

DE
REBUS GESTIS
A FRANCISCO XIMENIO

CISNERIO, ARCHIEPISCOPO TOLE-
TANO, LIBRI OCTO, AVTHORE ALVARO
GOMEZIO: qui sunt rerum
Hispanicarum

Tomus III.

NUNC PRIMUM IN GERMANIA
*recusi: quibus inscriptiones aliquot Tarraconenses ex
historia Hispanica Ludovici Pontis
adiuncte sunt.*

Omnia studio IOAN. SAMBVCI PANNONII, Cæs. Maicst.
consiliarij & historici.

Adiectus est in fine rerum memorabilium INDEX.



FRANCOFVRTI
Apud Andream Wechelum,
M. D. LXXXI.



1400 40
Litho
MADE IN GERMANY



DE
REBUS GESTIS
A FRANCISCO XIMENIO

CISNERIO, ARCHIEPISCOPO TOLE-
TANO, LIBRI OCTO, AVTHORE ALVARO
GOMEZIO: qui sunt rerum
Hispanicarum.

Tomus III.

NUNC PRIMUM IN GERMANIA
*recusi: quibus inscriptiones aliquot Tarraconenses ex
historia Hispanica Ludovici Pontis
adiuncta sunt.*

Omnia studio IOAN. SAMBVCI PANNONII, Cæs. Maieft.
consiliarij & historici.


Adiectus est in fine rerum memorabilium INDEX.



FRANCOFVRTI
Apud Andream Wechelum,
M. D. LXXXI.

IN EFFIGIEM CLARISSIMI VIRI,
FRANCISCI XIMENII Toletani Præfulis,
Simonis Cugnæ Riberae, Lusitani,
epigramma.

*Qui stupet ex humili me peruenisse cucullo,
Præfulis ad culmen, Cardineumq; decus,
Adiunctumq; sagis sceptrum, Libyamq; subactam,
Totq; Deo, & Musis templa dicata sacris:
Virtutes potius stupeat, quibus orbis, & omnis
Cessit honos, tituli, purpura, regna, duces.*



ROBERTO A STO-
ZINGEN, SERENISS. AR-
CHIDUCIS MAXIMIL. &c. PALATII

RECTORI, SENATVSQVE AVLICI
Imperialis Consiliario, &c.
Sambucus S.



XIMENII res prudenter & constanter, feliciterq; gestas, tot annorum interregni variam faciem, quibus Carolo V. nodum ad scepra idonea atate, longæque absentis Hispanias ille conseruauit, in Germania ut recuderentur, sæpe optauit: quod ipsum modò per Typographum sum cõsecutus. Nam cum Wechelus, cuius typis ac diligentia nil præposueris, ante annum duobus Tomis res Hispanorum denuo produxisset: inq; illis Ximenium, cum Petro Medina, & Ludouico Ponte, qui Tarracouiensia separatim comprehendit, Mendozæq; familias nobiliores desiderarem: sed hos nodum translatos scirem: dum Latini fierent, (quod breui succedet quarto Tomo, vel potius nunc accuratur) author eidem fui, tertium interim Tomum uti adornaret ipso hoc luculento Ximeno, & aliquot Tarraconensibus epigrammatis & inscriptionibus ex historia Hispanica Ludouici Pontis adiectis. Tui verò nominis præclara usurpatione, qui exemplaria nobis suppeditaris, hanc editionem constare volui: cum quia te amo tuis meritis, coloque, virum nobilitate vetustissima, eaque literata, Iuris cognitione præstantem, stilo polito, elegantiq; numeris poeticis tersum, erga omnes humanitate ac beneficentia prolixum: tum vero, quia omnium admiratione ita extas, clientelis flores, & amicitias abundas, denique aula Maximiliani Archiducis moderator cunctorum ferris, ac ita in oculis hæres, (taceo quantum sententiæ tuæ luceant in Senatu Cæsaris, & Imperiali) nemo ut sit, nisi mon-

EPISTOLA.

stro editus, ac extrema laborās barbarie: quin in tuis virtutum monumentis libenter, copiosēq; versetur, adq; te amandum alios facile excitet. Scio eam semper tuam fuisse modestiam, ut lucem fugias, quæ in te singularia omnes laudant, tute non agnoscas: veruntamen haud ego leuia duco, dum explico vitæ tuæ cursum, ac nonnullorum excutio memoriam. An tu exiguum censes, consiliis trium maximorum Imp. excellere, abs Diuo Ferdinando laboribus excitum, Spiræ assessorem floruisse, Romam ad Pium III. esse missum? paulo post à Maximil. II. filia carissima in Hispaniam missa, comitatui, & ut vocant, salæ præfectum ablegatū? mox Matthiæ & Maximiliani filiorum aula, regundisq; moribus adhibitum? hac tu non curas, silentio etiam obrui velis? absit, nil ista Stoica secta pficies, nō euades, ut maximè adnitare, quin te canamus, ac atas insequēs dotes loquatur sempiternas. Vale.

*Kalend. Ianuarius, hacq; nomine Iani, strenarumq;
ut accipias, oro, 1581. Vienna, ex
Mussolo nostro.*

* * *

PHILIP-



PHILIPPO II. HISPANIA-
RVM REGI CATHOLICO ET POTEN-
tissimo, doctor Agorreta Rector, & Aca-
demia Complutensis, perpetuam
felicitatem optat.



EST temporis natura, Philippe magne, ut res hominum quālibet præclaras, paulatim cæca obliuionis caligine inuoluat: contra cuius iniurias nullum aptius excogitari potuit remedium ad rerum diuturnitatem, quàm ut à disertis viris scriberentur. Hac enim literarum arte diuinitus inuenta, factum esse videmus, ut quæ multis seculis à nostra ætate sunt remota, in oculis hominum recetia verentur. Scimus, multa eruditorum hominum monumeta quotidie in lucem prodire, quæ tuo nomini augustissimo dicata, approbationem & laudem consequuntur: sed nullum inter ea esse existimamus, quod maiori merito sub tanti regis patrocínio in manus hominum venire debeat, quàm hi libri, qui tuæ maiestati à nobis offeruntur, & dicantur. Nam cum nostræ gētis magnorum virorum tum facta, tum dicta dignissima sint, quæ apud exteras nationes celebrentur, nulla quidem certè digniora videbuntur, quæ sempiternæ memoriæ commendentur, quàm quæ Franciscus Ximenius Cisnerius, Archiepiscopus Tolletanus, & Hispaniæ Cardinalis gessit: siue quis illius viri fortunam, siue incrementa per gradus, siue animum ad maxima quæq; natum, siue egregia eius facinora mente complectatur. Curauius ergo diligenter, ne Ximenij gesta amplissima, & dignitatis plena, ab hominū memoria euellerentur: quod necessariò euenturum videbamus, ni, antequam monumeta, quæ apud priuatos homines erant, aut animam qui rebus ipsis interfuerunt agerent, ab interitu literarum ope vindicarentur. Præcipua verò nobis cura fuit, ut quantum pro virili cauere possemus, nulla, aut perpauca essent, quæ cordatis viris in hisce libris, non quidem verbosis, aut ineptis, quibus omnis ratio otij, & negotij, illius magni viri, & post hominum memoriam clarissimi, constat, duplicere possent. Suscipe igitur rex Philippe qua soles frôte, munus hoc quod tibi offerimus: quo præter vulgares illas historiarum vtilitates, innumera de rebus gerendis documenta his tuis temporibus pernecessaria continentur. Multa hîc Philippi aui tui, & Caroli patris inuenies, nonnulla etiam tua præclarissima facta attinguntur, ut quæ sunt pro dignitate à tuis historicis conscribenda: sed in primis multa pro aui tui Ferdinandi Catholici recensentur, cuius consilia Ximenius plurimum iuuit: nihil enim vnquam eo inconsulto rex ille sapientif-

EPISTOLA.

simus tentandum esse duxit. Iam verò quæ per Ximenium Hispaniæ præfectum gesta sunt, & quanta eius contentione & periculo, duris illis temporibus regia maiestas seruata fuerit, quoniam longa narratione in his libris explicantur, non est cur nunc repetamus. Illinc tua maiestas apertè colliget, quantum Ximenio debeatur: qui post tot insignia beneficia, quibus vniuersam Hispaniam affecit, & quotidie afficit, omnium ferè magnatum odia subierit, dum regnū stabilire regi Carolo adhuc puero, & absenti laborat. Hæc si pro merito confiderentur, mirabitur nemo, quòd has literarum sedes omni indulgentia rex potētissimus foues, iure & virtute tutaris, & omni studio vt Indies sint illustriores curas. Experta est nuper hæc Academia quāti illam facias, cum illorum audaciam, qui eius libertati insidiantur, tua auctoritate compressisti: & literarum studiosos suo iure & legibus frui, quæ polles maiestate, iussisti. Ingentes tibi gratias agit hæc tua Academia: cur enim tuam non dicamus, cuius tu patronus Opt. Max. à Ximenio appellatus es? & quæ in medio regnorum tuorum sita, Hispaniæ tuæ ornamento est maximo? Gratias, inquam, tibi agit, quòd tua tutela & præsidio cōtra criminales maleuolos, in literarum otio gratissimo, honestissimis disciplinis omnem operā dat. Quis enim nescit, omnibus scholis publicis, quotquot homines memoria, vel scripto repetere possunt, immunitates complures à principibus viris, & pōtificibus max. fuisse semper concessas: & inter eas primarium locum tenere, ne qui sua nomina militiæ literariæ dederunt, alibi quàm sub Academiæ iudice litigare cogantur? Quæ immunitates & priuilegia si infringentur, nec iuuentus ita frequens ad literarum studia conueniret, nec animus inquires ea securitate disciplinis vacare posset, quam harum rerum natura postulat. Neque enim minus silentiæ artes inter molestissimas imperiosorum hominum lites, quàm inter bellicos tumultus. Pro tali igitur, & tam magno beneficio, hoc quod possumus diligenter præstare: vt hæc nostra literaria resp. sacris semper studiis sit occupata, & tales in eis progressus faciat, vt quoties reipub. vsus postulauerit, multi viri præsto sint, qui votis tuæ maiestatis satisfacere possint: quod hæcenus in rebus arduis abundè præstiterunt, quando eorum doctrina est requisita. Vale Rex potentissime, quem Deus ad defensionem Christianæ reipub.

diu nobis saluum & incolu-
mem feruet.

ALVA-

ALVARVS GOMECIVS
CASTRVS TOLETANVS, AD HORVM
LIBRORVM LECTOREM, QVOS DE GESTIS
Francisci Ximenij Cisnerij, Archiepiscopi
Toletani, & Hispaniæ Cardinalis,
scribebat.



SÆPE mecum demiratus sum lector optime, quæ esset hæc tam sapientissimorum hominum Complutensium negligentia, vt amplissimi viri qui hanc illis Academiam condidit, præclara facta paulatim intermori sinerent: & cum tot felicissima ingenia in eloquentiæ studio Compluti flourerent, scriptorem rerum, splendoris & gloriæ plenarū, ab Academia non curari, aut multos passim nō inueniri, qui vltro laborem scribendi subirent. Ergo cum hoc mecum assidue vulerem, subiit animum meum mira quædam cupiditas Francisci Ximenij res gestas scribendi: non quidem compedi alicuius gratia, sed vi quadam, & impulsu fatali. Nam hic animi affectus, statim vt Complutum veni ad honestas disciplinas cognoscendas, me mirifice tenuit, creuitq; mecum ad hanc usque ætatem. Illud tamen me semper malè habuit, quòd nec vnde res scribendæ sufficerentur, nec otium ad eas pro dignitate tractandas erat. Sed postea Deo viam parante, à Bernardino Alcaracio, scholastico Toletano, viro humanissimo, & opibus in vrbe sua pollenti, Toletum sum vocatus. Vbi cum ad Ioannem Vergaram qui Ximenio à secretis fuerat, doctrinæ & dignitatis causa, quæ vtraque in eo homine suprema fuerunt, assidue venire, & de prudentia, magnanimitate, ceterisq; Ximenij virtutibus sæpenumero tractarem, tandem homini, quantum senio & morbis atrocissimis vexato, eam scribendi cupiditatem inieci, vt de Ximenij rebus illustrandis cogitare cæperit. Ergo primo illo animi calore, exordia tanti principis, & incunabula adeo luculèter scripsit, vt etiam si id breui chartarum numero explicuerit, multum tamen Vergaræ debeamus qui res à paucis cognitas, & in ea fortuna conditione quam Ximenius priuatus tenuit positas, tam diligenter è tenebris eruerit. Magnum me fecisse operæ pretium arbitrabar, quòd ad rem tam difficilem capeffendam eius animum permouissem: nam profecto dignum rerum suarum scriptorem vir clarissimus nactus erat: sed ardore illo ob morbos ingrauescentes extincto, toto quòd postea vixit triennio nihil omnino scripsit: non quòd voluntas illi deesset, sed quòd mentis a-lacritas, quæ rebus huiusmodi conscribendis pernecessaria est, mortis vicinitate euanuerat. Postquam vir ille, longiore vita dignissimus, viuere desuit, Academia Complutensis, quæ ad rem procuradam, sibi posterisq; suis gloriosam, sese demū excitauerat: mihi, quem ex Vergaræ cōmunicatione, quo pacto res vniuersa tractanda esset, nosse arbitrabatur, operosam illam scribendi curam demandauit, quanquam nulla ex parte cum illo sim comparandus. Susceptis igitur Vergaræ commentariis, reliquisq; monumentis, quæ ad eam rem parauerat, ad

EPIST. AD LECTOREM.

Didacum Lupum Aialam, templi Toletani vicarium me contuli. Fuerat is in Ximenij familia à puero educatus, & crescente aetate maximis negotiis præpositus, quare gestorum ferme omnium certissimam notitiam ab eo me habiturum existimabam. Neque me fefellit opinio: nam literarum fasciculos complures mihi obtulit, quibus non solum ea continebantur, quæ cum rege Ferdinando de Oranica expeditione conuenta fuerunt, & quæ à Ximeno gesta sunt, sed etiã quæ cù Carolo apud Belgas agente Ximenius regnorum gubernator per arcanas notas tractauerat: unde sapientis viri consilia, cogitationes, & sensus licet cognoscere. Naclus sum, & Vallegij canonici Seguntini, qui Cardinali Ximeno à cubiculo fuerat, commentarium Hispano sermone de rebus Ximenij, diligenter quidem scriptum, sed ultra Philippi in Hispaniam aduentum non est progressus. Hunc commentarium Andreas Cuesta doctor theologus, qui postea Episcopus Legionensis fuit, è Nauarra deferendum ad me curauit. Incertum erat à quo Cuesta suscepisset: donec cùm ad historiam edendam, academia Complutensis regij senatus, de more, approbationem curat, vir amplissimus & clarissimus Didacus Spinoso, qui ad senatus regij & Inquisitionis præfecturas, quas nostri præfidentias vocant, assumptus fuit, & nuper magno eius merito Cardinalis Hispaniæ, & Episcopus Seguntinus creatus est, suum esse dixit, sibiq; restitui petiit: sed postquam in academia scriniis asseruari cognouit, liberali animo dono dedit. Venit etiam in meas manus commentarius autographus Floriani Ocampi, regij historici, de Ximeno, quem ille ad Vergaram vulgari sermone miserat, cùm hanc historiam scribere meditaretur. Dedit etiã academia Complutensis, si qua ad hanc rem facientia monumenta habuerat: nonnulliq; viri ex Ximenij aula, qui adhuc supererant, permulta retulerunt, quæ quauis literis mandari non poterant, tamen si à nobis ignorata fuissent, multum gratiæ nostra hæc historia fuerat amissura. Porro annales Lauræij Galindi Carauajali, quibus vir grauissimus, rerumq; illarum cum primis particeps, quinquaginta ferme annorum memoriã complexus est, haud vulgariter meam operã iuuerunt. Hæc te studiose lector nescire nolui: ut tibi ratio constaret nostri laboris, & scires nihil temere à nobis creditum, nihil ad gratiam, aut odium alicuius confectum hæc libris contineri, sed omnia inuestigata & eruta ex publicis actis, epistolisq; regum, & Ximenij, & ex magnorum virorum scriptis, quæ recensuimus. Post opus verò conscriptum, usus sum candidissimo iudice Francisco Varga, viro doctissimo & integerrimo, multorumq; negotiorum usu prudentissimo, qui post impetratam à rege Philippo II. vitæ quietem in Cilsensi secessu, attentissime hos libros audiuit, & amicè monuit, si quid erat quod animum offenderet. Et ut ingenue fatear, multa eius consilio sunt addita, multa immutata, multa etiam expuncta. Huic tantæ nostræ diligentie & curæ, accessit approbatio Ioã. Paccij Castri regie historie scriptoris, cui supremus senatus hanc nostram historiam explorandam & corrigendam dedit: quam adeo attentè perlustrauit, ut non modò ea quæ muneris sui erant, sed si quid oscitanter, aut improprie dictum, si quid parum apto loco collocatum, si quid delicatas aures erat offensurum, insigni candore & eruditione animaduertent. Vale.

ALVARI

ALVARI GOMECCI TOLETANI, DE FRANCISCI XIMENII CISNERII, HISPANIÆ CARDINALIS ET ARCHIEPISCOPI

Toletani, vita & rebus gestis, libri octo.

LIBER PRIMVS.



CISNERIS, haud ignobili municipio in regno Legionensi, antiqua gens Ximeniorum est: in qua honestissimi, & immunis conditionis homines permulti fuerunt, nonnulli etiam equestri dignitate, de more nostro, aucti. Nam Gonzalus Ximenius Cisnerius cognomento Bonus, ad Villaizar Cisnerorum suburbanum, in æde virginis Mariæ sepultus est. Huius sepulchrum candido è marmore constructum, & clypeus appensus, satis demonstrant hominis nobilitatem. Est enim clypeus quindecim tetragonis (quos nostri jaqueles vocant) depictus, & Banda baltheo in transfuersum diuisus. Sunt autem tetragoni gentis Ximeniæ insignia: Banda verò, ordinis equestris à rege Alfonso XI. instituti: ad quem non nisi nobiles admittebantur. Sunt circum illud Sacellum gentilitia quædam prædia ad Ximenios pertinentia: quibus & eius delubri, & sepulchri cura est. Quos autem liberos, quàmve sobolem Gonzalus ille bonus reliquerit, posteriorum incuria incertum est. Hoc saltem ex vetustis membranarum anno M. CCCXCVI. scriptis constat, Ioannem Ximenium Cisnerium, Ximenij Archiepiscopi proauum, sodalitatibus sancti Iacobi, quæ ad huc Cisneris durat, primum abbatem (sic enim præfectos sodalitarum vocant) fuisse: ad quem viri duntaxat nobiles admittuntur. Hi verò socij statis quibusdam diebus Gonzali Boni manibus parentant: unde eam sodalitatem à Ioanne Ximeno fuisse institutam populariter creditur. Nam à Gonzalo Bono genus Ioannem ducere, cuncti municipes pro certo habent, cui Toribius filius fuit. In æde Diuo Petro sacra Cisneris, est sepulchrum Ioannis familiaris commune, intra ædiculam probe constructam, in qua Franciscus Ximenius Archiepiscopus sacra hebdomadaria constituit, redditibus ad eam re necessariis sua pecunia comparatis. Toribius Ioanis Ximenii filius tres liberos procreauit: Garciam, Aluarum, & Alphonsum: à quibus duplex Ximeniorum familia processit. Si quidè 30 Garcias, & deinceps eius posterij antiquos adhuc Ximeniorum penates possident: nam cùm maior natu esset & ingenio (vt aiunt) difficili & præfracto, generoso tamen præditus, fratribus amandatis, gentilitia prædia sibi asseruit. Is primarium locum quoad vixit Cisneris obtinuit, summis quibusq; municipii honoribus functus, filias viris nobilibus elocauit: nam Garcias eius filius, quem virilis sobolis vnicum suscepit, Benedictino ordini initiatus, primum Pinciano cœnobio Prior, Monti deinde Serrato Abbas præfuit: cuius in sancti Laurentii, ad Garciæ patris sacellum, monumenta nonnulla cernuntur. Ex Maria quæ maior natu fuit, Ioanna procreata est, Garciæ Villaroello matrimonio iuncta: qui in Africam cù Ximeno Archiepiscopo traiecit, non ille quidem Castorlanus præfatus, sed manipulorum quorundam in ea expeditione ductor. Hæc Ioanna utpote Gonzali Boni hæres, quosdam eius sepulchri violatores, qui aurata calcaria, aliaque item militaria ornamenta subriperant, diris, de more Christiano, deuouit, & sacris arcuit. Villaroellus ex Ioanna vxore Mariam suscepit, quæ Sanctio Brauo, viro nobili nupta, Brauum peperit, virum sanè præstantem, & manu

A

strenuum, cuius rei signa permulta dedit aduersus Mauros pro Rep. dimicans: qui Garfiaz Ximenii Archiepiscopi patrum domum in praesentia tenet. Aluarus & Alphonfus, duro Garfiaz fratris ingenio cedentes, Campensi regione relicta, in transmontanam sese contulerunt. Verum Aluarus post Garfiaz fratris mortem Cisneros repetens, in partem fortis paternae ablatae, Garfiaz domum sibi vindicauit, qua tamen postea sponte Ioannae consobrinae cessit: nam nullos hic liberos procreasse traditur. Alphonfus verò, à quo Ximenii Archiepiscopi causa, multò illustrior familia deriuatur, Turrilacunae fortè subsistens, cum coactiones numarias curaret, quae ex Romani Pontificis condonationibus regis fisco debebantur, virginem honestam, bonis prognatam, cuius forma captus est, uxorem duxit, quae Maria vocabatur. Ex hac Franciscum Ximenium maiorem natum, Ioannem & Bernardinum sustulit. Franciscus de quo agimus, die lustrico dum sacro fonte tingitur, Gonzalus dictus est, Alfonso (vt opinor) patre, illius Gonzali Boni maioris sui memoriam sic conseruare cupiente: sed hoc nomen postea, religionis Franciscanae cui se addixit causa, mutauit. His rationibus adducti nonnulli, ex vetusta & illustri Cisneriorum gente, quae (vt ex nostris monumentis constat) plurimis & splendidissimis familiis, aut principum, aut claritatem dedit, eum originem ducere affirmant. Nam Didacus Fernandez Mendozius, in libello quem de stemmatibus, & nobilium in Hispania familiarum insignibus edidit, scriptum reliquit, Cardinalem Gonzalum Mendozium iure quodam propinquitatis incitatum, Ximenium tam studiosè prouehendum, & ornandum curasse. Nam vt genealogi nostri testantur, Didacus Furtatus Mendozius, Almirantus, Leonoram Garfiaz Lassi Iunioris, & Metiae Cisneriae filiam, uxorem duxit, ex quibus Inachus Santillanae Marchio nascitur, Petri Gonzalui Cardinalis pater. Nos tamen apud grauissimum praesulem Ximenii clarissimam virtutem, plusquam vllum cognationis vinculum valuisse pro certo habemus. Hunc igitur parentes, iam inde ab ipsis incunabulis ecclesiastico ordini dedicatum, honestè, & sanctè educauerunt: puerilibusque literarum rudimentis domi institutum, ad grammaticae praecceptores Complutum miserunt, qui ibi etiam id temporis habebantur non ignobiles. Quod propter loci viciniam, mihi verisimilius videtur, quàm quod in Vallegii commentario legimus, Roam scilicet, Siruelctani comitis oppidum, ad patrum sacerdotem missum, qui illum paulò post in Cuellaris oppidi gymnasium, quod in eo tractu multis retro annis percelebre fuit, ire iussit. Aluarum illi Vallegius fortè innuit, quem nullos liberos habuisse diximus. Sed is sanè (vt existimo) errat: nam nec Aluarum sacerdotem fuisse scimus, & Ximenius puer à parentibus in domum Garfiaz Ximenii missus est, qui Aluari & Alfonsi minorum natu frater fuit. Hinc, vbi fatis in eius disciplinae cognitione promouisset, Salmanticam florentissimam omnium doctrinarum Academiam veniens, civilis, Pontificiique iuris studiis operam non inutilem, neque infelicem dedit. Nam & praetiam haud multo post tempore domus ius docuit, & paternum sumptum collecta ex auditoribus stipe leuasse dicitur, sibi que laudem & ingenii & industriae peperisse. Ad optimarum verò artium, ac diuinarum in primis literarum cognitionem propensissimus, quicquid temporis ex iuris studio subducere poterat, theologiae imperiebat, non grauatius etiam in publicis philosophiae, theologiaeque scholis, operam dare magistro Roensi celeberrimo tunc harum doctrinarum professori. Ergo iuris curriculo peracto, in patriam reuersus, ex parentis Alphonfi autoritate, qui forenses causas procurabat, Romam contendere statuit, peruulgato nimirum omnium mortalium affectu sese à dira egestatis tyrannide vindicandi. In ea peregrinatione, cum in latrones semel atque iterum incidisset, viatico, veste, ipso etiam quo vehabatur equo despoliatus, apud Aquas Sextias iter susceptum sistere coactus est, donec commodum praeteriens Brunetus quidam, qui eius Salmanticae contubernalis fuerat, pecuniam mutuauit, & in communis itineris societatem (vterque enim Romam contendebat) admisit. Dum Ximenius Romae causas sese agitantis exercet, morte patris nuntiata domum contu-

nuò rediit. Certè matris viduitati, & fratrum orbitati commodè se posse subuenire arbitrabatur, si saltem Pontificium diploma impetraret, cuius vi & potestate sacerdotium aliquod inter suos indipisci posset: literas vulgo expectatias vocant. Harum igitur literarum quas obtinuit autoritate, Archipresbyteratum Vzeda oppidi, tunc fortè vacuum factum occupauit, sacerdotium quidem minimè opimum, sibi tamen cum natalis soli vicinitate, tum iurisdictionis, quae ipsos etiam Turrilacunenenses amplecteretur, dignitate peropportunum. Is sacerdotia vindicandi modus, apud omnes Episcopos inuidiosus est, quod iure suo fraudari videantur: vnde quibus ad resistendum minor vis est, vel inuiti cedere coguntur. Cum Alphonso Carrillo Archiepiscopo Toletano, homine potentissimo & cerebroso, negotium fuit tractandum, qui domesticum quendam sacerdotio statim praefecerat. Quare grauissima Antistitis offensione contracta, & captus, & custodia traditus, in penitentiore Vzeda arcis turri, quae ipsi deinde Archiepiscopo facto pro gazophylacio fuit, non sine vinculis tenebatur. Hunc inter caeteras custodias moestum & conticentem, non ignobilis conditionis sacerdos, eius oppidi ciuis, qui in vinculis etiam erat, perhumaniter solatus, sic finem dicendi fecisse dicitur: Depone moerorem, quo angeris, vir optime, nam in hoc ipso quo teneris vinculis cubiculo, Ioannes Zerezuella Aluari illius magni Comestabilis frater, grauioribus vinculis constrictus, acerbiorum custodiam passus est: cui ad Pontificatum Toletanum assumpto rerum praeteritarum & iniquae sortis memoria iucunda fuit. Quin postquam tuae frontis probitatem, totiusque corporis dignitatem sum contemplatus, talem tibi rerum commutationem futuram animus mihi iam dudum diuinat. Egit illi gratias pro tam blando sermone Ximenius: sed duriora principia esse dixit, quam vt exitum tam felicem essent habitura. Non defuerunt aliquot huiusmodi praedictiones, & ostenta, quibus eius futura magnitudo quantum curae immortalibus esset, praediuarari, animaduerti que potuit: quae profecto non commemorassem, nisi id exemplo summorum historicorum à me fieret: & à viris grauissimis relata mihi essent, qui id non semel à maioribus suis audiuisse affirmauerunt. Quare non verebor suis locis aliqua interferere, quae illum non humano aliquo fauore, aut caeca fortunae temeritate, sed potius diuino consilio & nutu ad tot res amplissimas gerendas destinatum fuisse ostendunt. Ab hac Vzeda arcis custodia, haud ita multò post ad arcem oppidi sancti Torquati, publicum fontium, sacerdotum carcerem translatus, complures ibi dies detentus, vna sacrarum literarum lectione duram fortunae, in qua versabatur, conditionem tolerabat: donec Archiepiscopus per Bondiani comitis nepotis sui uxorem tandem exoratus, abiecta cessionis spe, quam de iure sacerdotii extorquere à capto conabatur, liberum hominem abire permisit. Ille conceptam semel Antistitis indignationem veritus, ne quaesita, vt fit, non tantum expectata occasione, rursus erumperet, solum vertere statuit, atque ab vniuersa illius ditione ipse se exilio spontaneo multauit. Quocirca composita cum capellano maximo ecclesiae Seguntinae mutua sacerdotiorum permutatione, Capellaniam quam maximam appellant, ecclesiasticae dignitatis titulo insignem, adeptus est, sed non nullo, quod vberioris prouentus esset quam Archipresbyteratus, annuae pensionis onere praegravatam. Ioannes Vallegius aliter facta haec fuisse dicit: nam ei statim vt à Salmantica in patriam peruenit, Alphonsum Carrillum, eius virtute cognita, vltro sacram Turrilacunae, Talamancae, & Vzeda praefecturam detulisse: postea tamen Archipresbyteratus Vzeda causa, quem sibi sine Carrilli autoritate ex summi Pontificis diplomate vindicauerat, simultate orta, in vincula (vt supra dictum est) coniectum, clam deinde exolutum, Romam ad ius obtinendum petiisse: indeque lite composita reuersum, permutationem illam fecisse. Sed quoniam hominem officiosissimum id incognito hero facturum fuisse, verisimile non est: & lenioris momenti res illa erat, quam vt fido ministro Carrillus indignaretur: placuit Florianum Ocampum, & Ioannem Vergaram sequi, qui de eo dissidio ita vt diximus prodiderunt. Sed vtrunque pa-

gesta sunt, Seguntiam Ximenium petiisse constat: vbi ita integrè vitam instituit, vt ab omnibus bonis eius amicitia certatim ambiretur: inter quos familiarissimè vsus est Ioanne Lupo Medinensi, Almazani Archidiacono, viro singulari morum probitate, atque rerum gerendarum prudentia prædito, tum etiam opibus & auctoritate pollenti: cui iam tunc author Ximenius fuit eius Collegii literarii condendi, quod in suburbio Seguntino ius Academiae publicæ tenet. Qua in re, non obscurum sanè documentum dedit, animi ad literas prouehendas propensi, secumque tale aliquid meditantis, modò fortuna par votis offerretur. Fuit per ea tempora diuinus quidam in multis ad extruendas Academias per Hispaniam ardor: nam partim pacis beneficio inuitati, quæ perinde atque vernum tempus in arboribus flores, ita hæc omnes bonas artes aura quadam indulgenti euocat: partim Dei Opt. Max. consilio, barbariem & ignorantiam ab Hispania relegare iam parantis, Franciscus Aluarus Toletanam erexit: Magister Rodericus à sancta Ælia, qui dictionarium ecclesiasticum composuit, Hispalensem: Fernandus Talabricensis Hieronymianus, primus eius vrbs Antistes, Granatensem: quam Daualus successor & collegio, & re ditibus adauxit. Quin & aliquot postea annis, adhuc eodem studio in quorundam animis durante, Mercatus Abulensis Episcopus, in medijs Cantabrorum montibus Onnatina: in Bætica Gironius Vreniæ regulus Vrfanensem: Alexander v. r. Pont. Max. Valentinam: sed ferme inter primos Complutensem Ximenius. Ergo cum is Seguntia ageret, iam vitæ & diuitiarum modo constituto, totum sese ad diuinarum literarum studium conuertit, adhibito etiã Hebræo præceptore perdiscendæ Hebraicæ, Chaldaicæque linguæ desiderio: nam à ciuilibus & forensibus studiis adeò natura sua abhorrebat, vt multi ferò affirmantem audiuerint, quicquid illius disciplinæ pectore concepisset, se si fieri posset, libenter euomiturum. Interea Petrus Gonzaluus Mendozius Cardinalis, qui & Seguntinus Episcopus erat, magna hominis fama per motus, nihil tale cogitanti, aut ambient, vicariam detulit vniuersæ diocesis administrationem. Quod ille munus quanta potuit contentione recusauit, & deprecatus est. Sed cum Antistes potentissimus acrius instaret, & vrgeret, subit tandem onus, ne illius auctoritatem contemnere videretur. Susceptum igitur munus tanta animi moderatione prudentiaque gerebat, vt vniuersi facillè intelligerent, neminem inueniri posse, qui ab omni vel auaritiæ vel insolentiæ labe magis abhorreret. Quo factum est, vt ab Antistite suo plurimi fieret, & sacerdotis non contemnendis augetur: & simul maiorem bonorum omnium beneuolentiam comparauerit. Nam Alphonsus Sylua Cifontanus comes, ad Granatensem expeditionem profectus, dum egregiè pugnat à Mauris est captus. Hic ergo Granatæ cum intra custodias haberetur, Ximenium quæ præstare vitæ integritate sciebat, ditioni suæ vniuersæ præfecit, remque publicam, & familiarem, eius fidei & tutelæ commendauit. Cum itaque Seguntia, in litibus ecclesiasticis iudicandis cæteris omnibus abunde satisfaceret, sibi vni tantum displicebat: nimirum mens diuinis assueta rebus, quæ ab illo vitæ strepitu in tutissimum ouum se iam receperat, haud ferè poterat tempus ferè omne rebus fordidis impendi. Quare suas meditationes, & assidua cum Deo colloquia suspirabat: non tamen reperire modum poterat, quo se à suscepto munere extricaret, & in pristinam libertatem assereret. Cœpit ergo monacharum cogitare, nam hæc sola via Ximenio reliqua videbatur, qua & Cardinali Mendozio satisfaceret, & sui voti compos esset. Cum rem ad amicorum quam plurimos denulisset, illorum nonnulli haudquaquam pari spiritu afflati, magnopere hominem ab eo consilio dehortari, ac deterrere conabantur. At ille cum obfirmato in ea sententia animo, hanc viam liberatorem nostrum Christum Opt. Max. commonstrasse diceret, qua illum expeditius mortales sequerentur: amici diuinitus hanc homini mentem datam intelligentes, minimè quidem repugnandum rati, de sacerdotis quibus præerat cum eo agere cœperunt, vt ad Bernardinum eius fratrem natu minimum deferri, operam daret. Vagabatur tunc temporis

poris adolescens, nec satis constabat vbi nam locorum ageret. Prouidendum ergo dicebant, quæ fieri posset, ne egestate oppressus, vt qui & parentum iam pridem auxilio, & nunc fraterna ope destitutus esset, malis artibus victum quæreret. Ille dictis amicorum cedens, successores sacerdotiorum ipsos constituit, fratrem interim illis commendans, modò idoneus esse videretur. Domesticis rebus vtique compositis, Diui Francisci instituto, quod ex toto potissimum monachismo delegit, sese mancipauit. Cum verò eius ordinis monasterium nuper Toleti à catholicis regibus Ferdinando & Isabella cõditum, syncerè & antiquè religionis cultu florere audiret, illius se sodalibus adiunxit. Elapso verò tyrocinio, quod probationis annum vocant, huic se vitæ instituto professione solenni addixit, assumpta (vt diximus) Francisci appellatione, quò in nomen quoque ipsium, haud minus quam in familiam adoptatus videretur. In Vallegii commẽtario legi, Mendozium Cardinalem ægrè quidem tulisse priuari se, suamque Episcopem integerrimo vicario: & nonnullis quibus cum familiariter agere erat solitus dixisse, magnum virum Ximenium esse: & augurari se, ab illo cœnobio ad præclarissimam aliquam dignitatem abducendum: quod si eueniret, in magnum cessurum totius Reipub. Christianæ emolumentum. Hoc prudentissimi viri dictum in hominũ memoriis hæsit, & rei euentus veram esse vulgari Græci versus sententiam docuit: Bene qui coniciet, vatem hunc perhibeto optimum. Toleti igitur monachus factus, tanta continuò, tamque præclara veræ pietatis documenta dare coepit, vt breui maximam de se sanctissimi viri opinionem excitaret. Sed offendeat hominem quietis & tranquillitatis percupidum, celebritas loci: quò frequens & virorum & foeminarum turba variis de rebus interpellantium quotidie confluebat. Ergo vt ad solitudinem quandam mitteretur magnis precibus obtinuit. Quare in angustam quandam perpaucorum sodalium domunculam, non longè à Toleto, quam à circumfusa frequentium castaneorum sylua Castanetum vocant, amandatus est. Hic ille iam voti compos factus cælestem quandam vitam coepit meditari: satagebat corpus inedia, & labore, & vigilia attenuatum, animi imperio subigere: mentem precatione, & lectione, & contemplatione exercitam in sublimè tollere. Inuitabat ad hoc, præter loci silentium, ac solitudinem, lucus quidam vicinus tam proceris & densis arboribus, vt vix internitentis solis dubium lumen per meridiem admitteret. Hic sese ille penitissimè recondebat, vno duntaxat diuinarum scripturarum codice comitatus: vbi post mentem sacra lectione refectam, precationibus intentus, nunc positus genibus, nunc herbido solo recumbens, totus à sensibus propemodum abstractus, in supernam regionem ferebatur. Multo post tempore humanis negotiis redditus, hanc solitudinem solebat requirere: & sub aureis laquearibus positus, tuguriolum quod ad vitandas cœli iniurias hoc loco construxerat, sæpenumero suspirabat. Illinc nonnunquam à sui ordinis magistris Toletum euocabatur, quò ille inuitus, sed tamen veniebat. Mirum quiddam accidisse fertur, dum aliquando hoc iter faceret. Erat illi vir comes Sanctiacus, sui ordinis monachus, vir integritate vitæ ac simplicitate Christiana insignis: cum multa nocte Ajofrinum, non longè à Toleto oppidum peruenissent, in frugibus ad triturationem paratis recumbentes indormierunt. Euigilauit Petrus, & Ximenium in clamans, Te nunc (inquit) ò pater Archiepiscopum Toletanum venerabar, galero etiam rubro insignitum: Deum optimum Max. precor, vt infomnium a se, vt credo, missum, verum efficiat. Ximenius autem nihilo ob id commotior, dormi (ait) obsecro: nam hæc sunt mera somni ludibria. Hoc memoriae madare libuit, tum propter Sanctiaci sanctimoniam, tum propter ostenta, quæ Ximenii potentiam præcesserunt. Sed ille nullis diuitiis Castaneti cessum commutasset, quo tamen haud ita diu frui potuit: nam Franciscani ordinis mos est, vt subinde monachi sedes mutant. Verum eius votis Deo fauente, æqualis facta est permutatio: commigrare enim iussus est in perpussillum aliud monasterium, quod à proximo salictò Salzedam nostri vocant, nec amœnitate, nec solitudine Castaneto inferius. Ibi multò incultiore & horridiore

rem vitam agebat: nam & vino abstinuit, & herbis aqua elixis, vt mitiores essent, ad cibum utebatur. Sed neque hoc quidem viuendi genus diutius sequi, vt proposuerat, permillum fuit: breui siquidem illius monasterioli Guardianus (vt vocant) factus, minus illi licuit vt instituerat viuere. Hoc munus inuero & recusanti datum, summa cum laude, in primis verò tam nullo supercilio gerebat, vt monachos exemplo potius quàm imperio in officio contineret. Nam & infima quæq; ministeria sibi vltro assumebat, & nonnunquam aliorum operam præstabat tam lubenti animo, vt omnes pro virili anniterentur, sese ita gerere in muniis demandatis, vt Ximenius necesse non haberet ipsorum etiam res agere: vsque adedò verum est, vim acrem imperandi esse, si ductor, ipse præcedat. Quocirca contra prioris instituti sententiam, rebus iam gerendis intendere, actionis industriam animi contemplationi coniungere, operam omnem suam foras quoque ad res externas curandas perducere coactus fuit. Enim verò pugilem Deus hæcenus in umbra exercitum, in mediam ecclesiæ arenam parabat immittere: quem è latebris illis syluestribus hac potissimum ratione produxit in lucem. Erat hoc tempore Petrus Gonzalus Mendozius Cardinalis, qui ex Seguntino Episcopo Hispalensis Archiepiscopus, ac deinde Toletanus factus fuerat, in summa apud reges catholicos autoritate, & gratia: Isabellæ verò reginæ supra fœmineum capti prudentissimæ in primis carus. Erant autem priores reginæ partes in administratione regnorum, quæ iure hæreditario ad illam peruenierant, quàm mariti: quanuis vtriusq; primæ esse viderentur. Igitur cum regina Granata vrbe non ita pridem è Maurorum potestate recepta, in Castellæ regnum discedere pararet: huius Mendozii Cardinalis fidei ac diligentia commisit, & summopere commendauit, vt quempiam spectatæ religionis & probitatis quæreret, qui ipsi ab arcanis confessionibus esset: nam qui eam operam hæcenus reginæ præstiterat Fernandus Talabricensis Hieronymianus eximia sanctitate vir, ex Abulensi Episcopo, nuper Granatenensis Archiepiscopus factus, aula relicta in vrbe sua remanserat, anno M. cccc. xcii. quo hæc sunt gesta. Cardinalis qui nimis sollicitam hac de re sentiebat esse reginam, non esse dixit opus longa indagine: habere enim se hominem illi ministerio ad vnguem factum atq; formatum. Ergo illi Franciscum Ximenium, suum olim Seguntinum vicarium, tunc verò Salzedæ Guardianum, suis coloribus accuratissimè depingit: se tamen vereri affirmat, ne homo prisca seueritatis, & sanctimoniam, suam illam contemplationem quietam, & vitæ modum quantumuis incultum, velit conditione alia mutare. Regina Cardinalis sermone permota, quem sciebat non temerè, qua erat prudentia, quenquam laudare solitum, flagrare cepit studio hominem videndi, atq; alloquendi familiariter: quare Cardinali mandat, vt illum aliquam ob causam accersat. Ximenius per literas Cardinalis accitus, quanquam ægerrimè à secessu illo Salzedano diuellebatur, tamen ne optimo patrono deesse videretur, ad illum in regium comitatum venit. Vbi communicatis quæ Cardinalis voluit negotiis, à regina deinde, tanquam per occasionem vocatus, iniectis variis sermonibus prudentissima fœmina Ximenii animum interrogando & percontando elicere satagebat. ille regio cõspectu, alloquioque nihil commotior factus, vultu atque habitu corporis sedatæ mentis compositionem præ se ferente, tum oratione ipsa sapientissimis sententiis plena, quæ vera est latentis animi imago, facillè reginam in sui admirationem adduxit, & conceptam de se opinionem impleuit. Post aliquot dies rogatus est, vt reginæ esset à confessionibus: quod onus ea se respondit conditione subiturum, si regium comitatum sectari non cogeretur: se quoties sua opera regina indigeret venturum eius iussu, mox tamen rediturum in suum cœnobium: nec aliud multis precibus à Ximeno impetrari potuit. Magna tunc erat Ximenii fama apud omnes Hispanos, ob eius integritatem, & sanctimoniam. Nam regina apud maritum, ceterosque viros prudentes, non cessabat Ximenii dotes laudare: reperisse se hominem dicens omnibus pietatis, religionis, & sapientiæ numeris absolutum. Certè Petrus Martyr regum catholicorum historicus, qui styli ruditatem rerum à se tra-

traditarum fide egregiè compensat, in epistolis scribit, eum ex abditis syluis extractum, vultus pallore, & ob vitæ asperitatem totius corporis obducta macie, Paulum, aut Hilarionem, eremi incolas post tot secula in lucem retulisse: magnamque sui apud regios comites admirationem concitasse. Relictis enim Seguntinis sacerdotiis, fortunaque nequaquam aspernanda, in semotam solitudinem secessisse, & cum viuendi rigorem deliciis, quas aulici tantopere consecretantur, prætulisse, haud vulgariter mentes hominum commouit. Nec dubitat Petrus Martyr ipsum Augustini acumine, Hieronymi abstinentia, Ambrosii seueritate exornare. Addit præterea ab eius sodalibus iactatum fuisse, mentis plerunque veluti excessu, aut cum cœlitibus ipsis collocutum, aut certè rebus ipsorum contemplantis occupatum, sensuum quendam stuporem & alienationem subire solitum. Illud etiam à viris doctis memoratur: cum de itinere lassus esset, cõsedisse propter aquæ riuulum: cuius comes in mediam minus ferens (nam vterq; erat impransus) modò non animam videbatur agere. Qui dum Ximenius vt vires colligat hortatur, & vt in memoriâ Dei prouidètiâ, & curam quam habet de vilibus etiam passeribus, reuocet, vidisse fertur purissimum panem petrae quæ riuulo imminet, impositum: quem inter se partiti, & aqua sumpta, quod itineris superabat cõficere potuerunt. Cum ergo Ximenius in magna esset apud reginam autoritate, atq; omnia ferè Reipublicæ negotia de eius consilio & sententia gererentur: accidit vt Ioannes Tolofas magistratu Prouinciali, qui & per ampla dignitas est, & per triennium durat, se abdicaret: erat enim vir à negotiis alienus, & contemplationi supra quàm credi potest deditus. Vnde Ximenius à concilio sui ordinis in cœnobio Franciscanorū quarto à Burgis lapide, in Tolofatis locum absens suffectus est: quanquam monachi veriti fuisse perhibentur, ne homo rerum istarum nequaquam appetens, magistratum qui illi mandabatur, recusaret. At ille quod paulò antè cū reginæ nullas operas debebat, omni ratione depulisset, perlibenter accepit: vt occasione huius muneris, quod assiduas habet occupationes, haud ita frequenter ad reginam & aulam venire cogi posset. Sed nihilo rariùs ob hoc ab illa accersebatur: in cuius sinu non solum occultas animi noxas quas in Deum commiserat, sed quicquid publica aut priuata negotia molestiæ aut solitudinis incusserant, familiariter & amice effundebat: quæ cum semper maximis de causis in illa fortuna oriantur, necesse est, vt mole sua eos etiam quibus cum communicantur, obruant: aut saltem ingenti sollicitudine & tumultu eorum animos impleant. Quocirca quantum fieri poterat ad reginam itiones vitabat. Cum itaque vtriusque Castellæ provincia, tam quæ cis montes, quàm quæ ultra est, Ximeno visenda, & peragranda esset (erat enim amplior quàm nunc est ministri Prouincialis administratio) multæque res examinandæ & describendæ essent, monachum aliquem quærere cepit, & ætatis vigore, & ingenii dexteritate præditum, quem in laborum partem assumeret. Qua de re dum Compluti fortè moraretur, & cum Ioanne Marquina Complutensis monasterii Guardiano sedulo ageret: per opportundè (inquit) hoc mihi vt curem mandas: nam non ita pridem adolescens quidam huc à Toletò aduenit, qui in nostrum sodalium per me cooptatus præclaram indolem præ se ferre videtur: nam & viuido ingenio, totiusque corporis vegeta natura, omnia industriæ & virtutis munera, ni malè coniecto, mihi pollicetur: prorsusque iis rebus quibus ipse in præsentia tractandis indiges, apparet aptus: pulchris enim literis, celerique tractu manu minimè torpenti scribit: vnum est tamen cur à nobis diuelli doleamus, quòd cum voce & artis musicæ peritia excellat, magnam nosster chorus iacturam est facturus. Nam totam pueritiam inter pueros templi Toletani ministerio dicatos egit: post verò in quoddam Collegium migravit, quod Franciscus Aluarus Toletanus scholasticus in horum puerorum gratiam domi suæ instituit, antequam Academia Toletanam conderet, vbi latinæ literas disceret. Permotus Marquina sermonibus Ximenius, ad se Franciscum Ruizium (hoc enim erat adolescenti nomen) quamprimum duci iubet: cuius liberali aspectu delectatus sibi

fodal em delegit, & ad vitæ finem retinuit: eiusque fidem & vtilem operam in rebus maximis & grauissimis expertus, primùm quidem Miobrigæ Episcopū, Ciuitatem nostram dicunt, postremò Abulensem faciendum curauit. Igitur Ximenius in suscepto munere strenuè gerendo totus occupatus, eo quo priuatus solebat apparatu singula prouinciæ contubernia lustrabat: hoc est, vnico duntaxat sodale viæ comite, & asello quo & sarcinæ nonnullæ portarentur, & defessus nonnunquam sodalis veheretur: ipse enim religionis suæ tenax, nisi ægritudo aliqua cogeret, semper iter pedibus conficiebat. Ostiatim ab vtroque petebatur cibis, nisi illum nonnunquam ex itinere malè habentem Franciscus Ruizius vt quiesceret moneret, sibi que eas partes concederet, orabat. Nam Ximenius ad hanc rem planè ineptus, plerūq; domum vacuus redibat, & oleribus tantū vescabatur. Quocirca Ruizius si quando acrius de mendicatione facienda contenderet, hisce verbis obiurgare solebat: **Quin tandē non sentis o pater, minimè te ad has operas esse aptum, aut genitum? non omnib. omnia diu concesserunt. Tu precibus & meditationi vacato: & mihi hanc mendicandi prouinciam relinque.** Aliquando dum Baticā ex officii ratione perlustraret, ad fretum Herculeum, vbi Calpe mons est, quem nunc Gibraltarum ex corrupta Arabica nomenclatione appellant, appulit. Hic & Africæ terræ conspectu inuitatus, & quòd iam diu desiderio teneretur eò traiciendi, quod & diuum Franciscum fecisse didicerat, cœpit de nauigatione cogitare. Ardebat Ximenius miro quodam desiderio trāsmarinis hominibus Christum annunciandi, paratus supplicia & mortem subire. At quoniam per viros religiosos certior factus fuerat, foemina ordinis sui cultricē (ex his quas vulgo Beatas vocant) ibidē esse, vitæ & mœrum sanctitate clarā, & quæ diuorum præsentia sæpenumero frui crederetur: captato extemplo foeminae colloquio, ad eā rem quā animo conceperat eius sententiam prius requisit. Deterruit hominem vates mulier, & vt à proposito desisteret effecit: seruari enim eum ad res maximas perficiendas dicebat, in quibus grauiora certamina sustinenda forent, quàm si inter barbaras & Punicas nationes versaretur. Retardatus Beatæ dictis sententiā mutauit: & è Bætica rursus ad Reginam quæ illum per literas vt maturè ad se veniret rogabat, in Castellam rediit. Accidit per id tempus ad reginæ votum de Ximeno apud se diutius retinendo, per opportuna occasio: cœperat enim ille summo studio cum Regina agere, vt quod iam olim à Regibus nostris tentatum erat, atque minima ex parte confectum, per delectos quosdā censes perficiendum curaret, qui corrigendis atque in veterem disciplinam reuocandis omnibus omnium ordinum per totam regiam ditionem, tum virorum, tum foeminarum monasteriis, animum intenderent. Obsoleuisse omnem vbiq; prisca monachismi sinceritatem ingemiscebat: maximè verò apud suos Minoritanos, quibus vt nascentib. arctior quondam & sanctior disciplina fuerat, ita collapsis, & degenerantibus altior casus atque turpior contigerat. Nam præter vitæ licentiam, quæ sanè labe communis per id tempus religiosi collegiis propemodum esse videbatur, pleraque illorum sodalitia aduersus tam cōmendatam illam à diuo Francisco paupertatē, prædicia vbi que cum rustica, tum vrbana, vectigaliaq; & census obtinebant. Huius instituti qui erant, conuentuales fratres, & claustrales passim dicebantur. Hi pleraq; omnia magnifica, frequentissimaq; incolebant Hispaniæ monasteria: illi verò, quos propter accuratiorem ordinis sui obseruationem fratres obseruantes appellabant, pauca quedam, eaq; exigua cœnobia obtinebant. Per speciem autem huius censuræ, quam illi visitationē vocabant, hoc Prouincialis Ximenius agebat, vt conuentualium fratrum domus vel prece, vel pretio, quacunque demum arte atque astutia in obseruantium potestatem traducerentur. Ei negotio, quoniam cum opulenti & potentibus aduersariis contendendum erat, cum se imparem esse videret, reginæ fauore decreuit vti, atque longius solito apud illam morari: quæ ea de causâ Ximeno longè beneuolentior & æquior erat, & ipse competitorib. terribilior, & formidolosior, **Quod sanè consiliū pietatis quidem plenum, grauissimarum tamē dissensionum atque turbarum fuisse causam constat.**

stat. Nam & statim in Archiepiscopum Toletanū assumptus, nōdum eā de causa Prouinciali præfectura abdicata, cum adhuc acrius potestate auctus instaret de claustralibus illis reformandis, exortus est quidam Laurentius Vacca, sancti Spiritus monasterii Segobiensis commendatarius, qui prætextu Pontificiæ concessionis, sibi facultatem esse asseuerabat, quoscunq; vellet conuentuales in sancti Spiritus libertatem afferendi: hoc est arctam Minoritanorum disciplinam in suam quandam laxiorem commutandi. Is sanctissimos Ximenii conatus diplomatibus Pontificiis eludebat. Nemo erat licentiæ paulò amantior, qui non apud illum rationem inueniret, qua semel susceptam religionem abiiceret, seque ab excommunicationis vinculo exolueret. Itaq; fiebat, vt quantum vigilatissimus censor ad prisca sanctimoniam sodales suos diligenti studio reuocare niteretur, tantum ille commentitiis priuilegiis ad petulantiam & immodestiam desisteret. Qua de causa ab optimis & religiosissimis principibus Ximenius impetrauit, vt is salua summi Pontificis autoritate, qua præter fas & ius abutebatur, per regios lictores in vincula conuiceretur: ibiq; tantisper pœnas læsæ religionis daret, donec susceptum negotiū Ximenius conficeret: remq; omnem è Reip. Christianæ vtilitate, sui que ordinis integritate componeret. Laurentius tamen è vinculis aufugiens Romam ad Ascanium Sfortiam Cardinalem contendit, quem patronum quondā habuerat: vt eius præsidio cum seuerissimi hominis indignationē vitaret, tum in regum nostrorū gratiam rediret: qui Ximenii studia tantopere iuuantes, nō nisi per magnos intercessores placari posse existimabat. Suscepit illum benignè Ascanius: deq; eius innocentia facilè sine aduersario persuasus, literas fauoris plenas ad reges dat: & Petrum Martyrem Mediolanensem virum doctū, & in reb. gerendis strenuum, per epistolam rogat, vt suo nomine Ximenium adeat: detq; operam, vt si patria tandem Laurentius propter summi Pontificis rectè administratā concessionem carere debeat, saltem ablata per summam iniuriam supellex, & intercepti ex facultatib. suis fructus illi restituantur. Inuitus id Petrus Martyr fecit, qui probè rē omnē, vt erat, cognouerat: ne quid tamen in officio cessaret, Ximeniū adiuit, eiq; Ascanii mandata exposuit. Ad quem Ximenius (vt idem Martyr in epistolis scribit) contracta & obducta fronte conuersus, hominem (inquit) Petre Martyr, qui tam sancta regum decreta ausus fuerit rescindere tueris? minatusq; in reginæ odiū venturum si verbum amplius pro eo faceret, abire iussit. Hoc idē vt actum fuit, ad Ascaniū Martyr rescripsit: simulq; ipsum à patrocinio Laurētii Vacca, qui tanta inuidia apud nostros laboraret, dehortatus est, multa obiter de Ximenii sanctimonia, grauitate, & prudentia commemorans. Procefferat iam biennium, & eo amplius, ex quo Ximenius à Cardinali Mendozio Toletano præfule accitus ad reginā venerat: qui difficili correptus morbo, relicta aula in vrbē Guadalfajaram, natale solum, coactus est secedere. Post dies aliquot morbo ingrauescente, Reges qui in Cismontanis æstatē consumpserant, cum salutē hominis præstantissimi, sibi que multis maximisq; de causis carissimi, propemodum deploratā comperissent, ad Transmontanos visendi illius causa venire constituūt. Annus M. cccc. xciiii. ad finem vergebat, quando illi rectā Guadalfajaram veniunt, vbi decumbentem familiarissimè salutarunt, beneq; sperare iusserunt. Quòd si quid humanitas accideret, suam operam & autoritatem sunt polliciti ad res omnes, quæcunq; illi curæ cordiq; essent, conficiendas. Cardinalis augusto illo tantorum Principum conspectu exhilaratus, post actas officiosissimè regibus gratias, submotis arbitris multa cum ipsis de rebus ad rem publicam pertinentibus egisse, multa item quæ sibi videbantur vtilia, pro sua erga illos pietate, atq; fide, moribundus consuluisse dicebatur. Ex quibus tria potissimum fama vulgavit. Primū, vt pacem eū Francorum rege omni ratione perpetuò conferuandā curarent: deinde, vt serenissimum iuuentutis principem Ioannem filium, quem imperii sui successorem fore sperabant, Ioannæ illi quam excellentem vocabant, quæ Alphonso Portugallensium regi pacta de Castellæ imperio cœtauit, matrimonio iungerent: postremò, quod magni referre putaret, vt mediocri conditionis hominē, modò

aliis integritatis, prudentiæ, grauitatis, & doctrinæ dotibus præditus esset, in Pontificatū Toletanū sufficeret: quod item posteris vt idem facerent, inuolabili exemplo demandarent: eam esse, inquit, eius sedis amplitudinē, & potentiam, vt haud tutò committeretur cui & natalium splendor, & numerosa familiarum patrociniū esset. Afferebat autem in exemplum, quantum molestiarum Alphonsus Carrillus eis exhibuisset, regi Portugalliæ adhærens. Habere eos virum omnibus numeris ad eam dignitatem obtinendam absolutum, Fraciscum Ximenium Franciscanorum sodalium Prouincialem, quem sibi demortuo successorem darent. Verum è duobus primis alterum Ferdinandus, vt docuit euentus, aspernatus est: nam dum Gallicam potentiam suæ dignitatis æmulam vidit, nihil minus in animo habuit, quam pacem cum Gallo firmare: quod non sine graui reipublicæ incōmodo ad hæc vsq; tempora accidisse vidimus: donec per Philippum pronepotē huius nominis II. Hispaniæ regē potentissimum, non solum fœderibus, sed Isabellæ Vallesia Henrici II. Gallorum regis filia felicitissimo coniugio, pax ingenti vtriusque regni lætitia diutissimè duratura inita fuit. Alterum verò ita reginam malè habuit, quam incepta Hispanica, ex Ioannæ illius excellentis repulsa, ius habere certum erat, vt hominem alioqui prudentem, sibi que non vulgariter carum, palàm desipere ex morbo iactauerit. Tertium tamen, quod ad imperii conseruationem pertinere videretur, auidis auribus suscepisse dicuntur. Quanquam rogatus postea à regibus Ximenius quid de ea re sentiret, longè aliam sententiam sibi esse dixit: neque enim alium decere magis ad amplissimum Pontificatum vocari, quam hominem tam stemmatibus, quam propinquorum & clientum familia clarissimum. Nam præter Hispanorū erga reges suos obseruantiam, qua semper illos colunt, postquam regia potentia tot amplissimorū regnorum incrementis adaucta est, minimè verendum esse, vt vllos vnquā motus Archiepiscopi Toletani sint concitaturi. Ex altera aut parte perdifficile sibi videri, hominem humili fortunæ assuetum, & innutritum, repente eum animum posse suscipere, qui ad tantam rem pro dignitate gerendam aptus esset. Quare reginæ suadebat, vt Didacum Furtadum Tendillani comitis filium, ex eadem etiam Mendoziorum familia, Petri Gonzalui Cardinalis ex fratre nepotem, qui Alexandrini Patriarchæ titulo condecoratus, pontificatum Hispalensem obtinebat, aliis qui eum ambiebant reiectis, Toletano præficeret: id enim è reipublicæ vtilitate multis de causis esse videbatur. At Cardinalis digressis regibus, anno insequenti paucos post dies naturæ concessit, vir sanè omnibus modis magnus. Nam præter clarissimum tum natalium, tum fortunæ, tum dignitatis splendorem, quæ in illo ornamenta summa erant, incredibilem animi sublimitatem cum pari morum facilitate, elegantiaque coniunxerat: vt meritò locum in Repub. summo proximum ad supremum vsque diem tenuerit. Post eius ergo mortem, cura continuò reges incessit Archiepiscopum Toletanum sufficiendi: nam Petri Gonzalui Cardinalis hominis prudentissimi de ea re sub mortem sententia eorum animis infixæ remanserat. Rursus Archiepiscopi Toletani authoritas tanta semper apud Hispanos fuit, vt si quando de rebus ad Rempub. pertinentibus ageretur, is statim post regem sententiam diceret: nihilque vnquam illo inconsulto, aut rogatum aut decretum sit: Vnde & maximus regni Cancellarius, & Pontificum Hispanorum primas ingenti potentia & dignitate iam olim creatus, adhuc his titulis suo iure nominatur. Nam quantum antiquus ille splendor, quem quondam tenuit, non omnino perierit, tamen multum ex prima quam obtinebat potestate amisit: & longè infra illam maiestatem est, qua nostri illum maiores exornarunt. Idcirco Toletanæ Ecclesiæ sacerdotes, quandiu ius designandi apud eos fuit, anxie & sollicitè dispiciebant, qualem virum ad eam rem deligerent. Itaque aut homines virtute præstantissimi, aut maiorum natalibus clari, ad amplissimam dignitatem assumebantur. De Gotthorum temporibus, post cladem illam quam ab Arabibus Hispania sustinuit, & qua omnia ferme rerum antiquarum monumenta perierunt, nihil est quod certum tradi possit: quanquā ex conciliis Toletanis constat, sepe-

nuttero viros ex Gotthico sanguine illustres Toletanæ sedi præfuisse: quibus & concilia cogendi, deq; rebus sacris tractandi frequentem vsum fuisse, accepimus. Postea tamen Gotthico nomine & Christiana gente per africanos Arabes ex Hispania ablata, præter paucos qui in montibus Asturum & Cantabrorum diuino beneficio ad patriam recuperandā, religionemque reducendam sunt seruati: Alfonso VI. Hispaniæ rex anno M. C. LXXVII. XV. calendas Ianuarii, sexto post mense ab expugnata Toletō, conuocatis regni principibus, Archiepiscopis, & Abbatibus, permultisque aliis piis, & religiosi viris, Bernardum hominem Gallum, pietate, morum innocentia, animi magnitudine, & prudentia commendatum, quem non ita pridem Alfonso ex Gallia, vt sanctorum Facundi & Primitiui monasterio præfesset, accersuerat, Toletanum Antistitem creauit: & vrbi clarissimæ ac totius Hispaniæ principi Pontificatus in Hispania primatum restituit: Urbano secundo Pontifice maximo ad regis efflagitationem libenter concedente. Postea verò rex idem oppidis multis, arcibus, villis, opulentisque prædiis Pontificiam dignitatem locupletauit. Igitur tanta illico Antistitis Toletani authoritas fuit, vt Bernardus ex Hierosolymitana quam instituerat expeditione Toletum Roma rediens, viros quos ex diuersis Galliarum partibus literis & moribus exornatos secum adduxerat, ferme vniuersis Hispaniæ ecclesiis præficiendos episcopos curauerit. Ex his Raimundum quem Vranienti ecclesiæ præposuerat, successorem in Toletana habuit: cui Alfonso Rex Oretano tractu expugnato, eorum locorum ecclesias Toletano Pontificatui adiecit, parte quoque vectigalium quæ ad regem pertinebant, religiosè & liberaliter concessa. Tres aut quatuor huic successerunt, quorum plerique Bernardi comites fuerunt, vt ex cognominibus colligere licet, neque enim alia monumenta supersunt, quos sola morum probitate & doctrinæ opinione ad eam dignitatem euectos fuisse, credibile est. Nam paulò post viris ex primaria Hispanorum nobilitate Pontificatum amplissimum ambientibus, non nisi regum filiis, aut cognatis cedebat. Siquidem duos Sanctios, alterum Castellæ, alterum Aragoniæ regum filios, non longè ab ipsis principiis ad id sacerdotium electos esse legitur. Quod cum serie perpetua, præterquam in paucis quibusdam, vsq; ad Franciscum Ximenium, de quo agimus, obseruatum sit: in eam amplitudinem Pontificatus Toletanus creuit, vt regibus non ita grata iam esset tanta Archiepiscoporum potentia. Quas ob res Ferdinandus, & Isabella, reges catholici, huic dignitati virum qui nobilitate, & clientela valeret, noluerunt præficere. Sic ergo Archiepiscopatus Toletanus ad homines mediocri quidem fortunæ, sed virtutis & probitatis spectata quasi postliminio deuenit. Atque ita Petro Gonzaluo Mendozio vita functo, cum diu reges secum deliberarent, quem in demortui locum sufficerent, nam & Didacus Mendozius Archiepiscopus Hispalensis totius nobilitatis studiis ei succedere ante alios contendeat: Regina (vt Ximenius postea referebat) Ioannem Belalcazarem ex Astuniga familia; qui non ita pridem Belalcazario principatu relicto, Franciscano ordini se addixerat, designare voluit: Rex certè pro filio Alfonso Aragoniæ Cæsaraugustano Antistite vehementer laborabat. Sed posteaquam vxorem virilis animi fœminam, neque precibus, neque blanditiis, neque odio denique in suam sententiam pertrahere potuit, facile totam eam curam ex animo reiecit. Regina verò cuius arbitrio res cõficienda erat, quantum Ioannis Belalcazaris, de quo diximus, sanctimoniam ante oculos haberet: cum nullius ex optimatibus familiam tanta potentia accessione augere vellet, variis consiliis fluctuabat. Sed tandem in iuriconsultum quendam Oropesam nomine, regium senatorem, animus inclinavit, virum sanè præstanti morum integritate atque grauitate præditum, qui ætate iam fessa domesticæ quieti veniam à regibus impetrarat. Hunc ergo regina communicato cum Ximenio prouinciali consilio Archiepiscopum Toletanum designare statuit. Quare suo apud Pont. Max. legato per literas mandat, vt suæ nominationi apostolicam authoritatem more maiorum interponendam curaret. Verum haud ita multò post religiosæ mulieris animo

est obortus scrupulus, quòd Prouincialis viri optimi rationem nullã habuisset, quamlibet ab eiusmodi honoribus abhorrentis. Nam qui procul ab omni ambitione sunt, & nulla imperandi aliis cupidine ducuntur, ad magistratus, præfaturas, munera denique omnia obeunda, vel inuitos esse pertrahendos optimè nouerat. Huic errori opportunè succurri posse videbatur: nam Romæ habendus erat ea de re non semel legitimus Patrum senatus, & ob frequentiam negotiorum credibile erat non defutura impedimenta, quæ priorem designationem morarentur. Igitur misso magnis itineribus veredario, legatum suum regina mutatae sententiæ admonens, Franciscum Ximenium prouincialem designari iubet Antistitem Toletanum: eiusque designationis sancitam autoritatem & 10 literis Apostolicis (quas breues vocant) præscriptam, magna ad se celeritate perferri, iusto diplomati expediendo dilatione, vt fieri solet, impetrata. Romæ igitur negotia ex sententia reginæ processerunt: cum interim omnia in scio Ximeno, secretò gererentur. Sunt qui Oropefam oblatam dignitatem, quòd ei gerendæ imparem sese arbitrarentur, constanti animo renuissè dicant. Erat iam dū hæc cōfecta sunt, ad solenne quadragesimæ ieiuniū anni M. CDXCV. deuolatum tempus: quare necessariò Madritum, vbi Regina aderat, Ximenius venit, qui illi à confessionibus erat: & postquam muneri suo satisfecisset, in spei cenobium, quod Ocannæ est, discedere parabat: quòd sacris interesse posset, quæ solenni Christianorum ritu, in memoriam dominici funeris celebrantur. Iam Franciscum Ruizium sodalem admonuerat, vt a sellum, quo vehi solebat, sterneret: simulque aliquid herbarum condiret, ne impransū viam ingrederentur. Sed insperatò, dum hæc moluntur, Castellus vnus ex cubiculariis reginæ ad Ximenium venit, & priusquam discedat ad Reginam maturet, iubet. Doluit ille eo nuntio accepto, veritus ne quid, tempore præsertim tam sacro, impedimenti accideret. Continuo ergo ad Reginam adiuit, sese quanto ocyus posset explicaturus. Regina Romani Pontificis literas tunc allatas, post sermones aliis de rebus, ex consulo primum iniectos, in manus tradidit: & videto, inquit, quæso quidnam hisce literis summus Pont. sibi velit. Prouincialis ad primam statim inscriptionem, quæ sic à tergo erat (venerabili fratri nostro Francisco Ximeno 30 electo Toletano) vehementer commotus, depositis continuo in reginæ gremio obsignatis literis, & nihil ad se pertinere inquiens, de scabello surrexit: atque nulla, vt solebat, expectata missione, vultu admodum conturbato ad sodalem abiit. At regina, qua erat grauitate, dissimulandum interim rata, dum scilicet interiecta temporis morula animum hominis rei nouitate percussum redderet sedatiorem, abire in præsens facile permisit, petita tamen priusquam cubiculo egrederetur ab eo facultate, quicquid literarū illud erat resignandi. Paulò post Henricum Auricium Villadæ dominum, regisque auunculum, eiusque familiæ præfectum, & Aluarum Portugallium regii senatus præsidem, summa viros dignitate, ad prouincialem mittit, qui peterent ne vel Reginæ quæ illum tanti faciebat, vel Pontificis Maximi, cuius in ipsum imperii ius esset, autoritatè contemneret: quin vtriusque voluntati, imò diuinæ potius vocationi facilem se dicto que audientem præberet. Simulque alia in eam sententiam adderent mandata, quæ ad hominis ingenium emolliendum facere viderentur. Illi suscepto negotio ad monasterium venientes, cum comperissent prouincialem iam dudum inde profectum, Pintum versus contendere, citatis equis eam viam ingressi, hominem cum duobus sui ordinis sociis ad tertium ab oppido lapidem consequuntur pedibus iter facientem: reductumque paulisper è via, post multum sermonē, vltro citroque habitum, huc tandem perpulere, vt relicto itinere quod instituerat, Madritum reuerteretur. Igitur cum & reginæ, & procerum omnium 50 hortatu precibusque rogaretur, vt delatam dignitatem capefferet, fortè omnino animum atque inuictum præstabat, semper propositi sui tenax: ad eò vt Gutterius Cardenas è reginæ intimis, Ximenium aliquando de ea re compellens dixerit: Non est pater cur nos suspensos teneas: nam si annuis, Archiepiscopi Toletani ratione: siue renuis, magnanimitatis tuæ, & religionis causa, manus tuæ sunt

sunt à nobis deosculandæ. Reges paulò post Burgos deuenerūt, quòd allatæ sunt literæ Pont. Max. ad Ximenium prouincialem, quibus illum non modò hortabatur, sed pro suo in eum iure imperabat, vt Pontificatum Toletanum, cui rite præfectus esset, omni posthabita mora acciperet. Hic ille nihil amplius repugnandum ratus animo dolenti & inuito se ceruicem submittere asperrimo iugo, post sex ferme menses quibus hac de re controuersum fuerat, professus est: nihil tamè addubitabat, quin Deus opt. max. qui ineundi tanti muneris author fuisset, obeundi quoque adiutor esset futurus: illud semper excipiens, si nullis conditionibus, nullave pensione prægrauatam eam dignitatem darent. Nam similitris 10 quibusdam rumoribus sparsum fuerat, eius mediocritati quemuis sumptum sufficientem fore, quocirca prouentibus modicis, qui tamen idonei essent, contentum, regibus qui magna & religiosa meditabatur, reliquis qui superfuissent libenter cessurum. Non ideo indignati aut offensi sunt reges: quinimò incredibile dictu fuit, quanta regum animos, procerumque omnium lætitia peruasit, quòd ab eo tandem impetratum fuerit, vt Archiepiscopus Toletanus, hoc est, inter regni primarios autoritate & opibus primus esse non recusaret. Tanta est virtutis vis, & tam potens verus potentia honorumque contemptus. Digressi Burgis paulò post reges cum Turiaffonem nobilem quondam Romanorum coloniam, & nunc regni Tarraconensis non obscuram urbem, venissent: 20 ibi Franciscus Ximenius Archiepiscopus designatus in diui Francisci æde magna celebritate, astantibus etiam regibus, v. Idus Octobris (qui dies Franciscanis sacer, octauus à diui Francisci festo numeratur) solenni ritu inunctus, consecratusque est. Sacris verò peractis confestim ad reges accedens, illorū dextras per speciem deosculandi de more appetens, non tam (inquit) quòd beneficio vestro reges inclyti, Archiepiscopus factus sum, vestras exosculari manus velim, quam quòd eas mihi vos confidam porrecturos esse officii mei adiutrices: vt tandem mihi liceat in cælo archiepiscopi locum mereri. Reges contra quod ille per speciem regii cultus fecerat, re ipsa religionis ergò facientes, & post vniuersi qui aderant proceres, eius manum venerabundi sunt deosculati. Deinde omnium 30 aulicorum congratulantium comitatu, ingenti quoque quacunquæ præteribat populi plausu, in domum suam reductus est. Mittit illico per totam diocesim Toletanam præstantes viros, qui oppidis, arcibus, & præfidiis novos custodes & præfectos designarent, quorum fidem verbis cōceptis Antistiti per iusiurandum de more astringerent: cæterosque omnes, tum sacri tum profani fori ministros, donec sibi per otium lustrare liceat, quam idoneos & strenuos præficiant. Est enim ingens numerus in hoc pontificatu honorum, præfecturarum, & munerum, quæ temerè quibuslibet, propter oppidorum celebritatē, nunquam committuntur. Erat illi quoque prouidendum de perampla cum dignitatis, tum opulentia plena, Castorla præfectura, quam Petrus Furtadus Petri Gonzalui 40 cardinalis frater eo viuente semper obtinuerat. Quocirca cum reguli quidam ex Mendozia familia ad Ximenium venissent, reginæ nomine (vt aiebant) rogantes, vt Petrus rursus per eum præficeretur, ne cogere priuati habitu ab administratione prouinciæ discedere: futurum enim per quā iniquum, neque ingratitude insigni cariturum, si Gonzalui quondam patroni inimicorū, cuius nempe autoritate & testimonio in tam sublime fastigium conscendisset, fratrem modò dignitate deturbaret, qua Gonzalvus illum decorauerat. Solent reges dum rogant cogere, nec tam id precibus videbatur agi, quam imperio. At Ximenius excelsi animi, quem diu intra syluas obscuras presserat, aperta iam documenta exhibens, renunciare Reginæ iubet, se quod petitur nequaquam facturum. 50 Potero (inquit) rursus ad priuatam vitam & humilem cucullum, vnde inuitus abstractus sum, redire, neque enim vnquam hanc dignitatem ambiui: cæterum Toletanum Pontificatum mutilum, aut gleba vna imminutum nunquam profectò suscipiam. Audita voce tam constanti, ad reginam reguli cum responso redierunt, non tam Ximenii robur apud illam collaudantes, quam ingratum animum obijciētes: neque ea de re verbum amplius est factum. Post aliquot verò

dies, cum nihil tale iam expectaretur, forte Antistiti aulam ingresso Furtadus obuius factus est: qui alio cum vellet iter diuertere, nam Ximenii conspectum, veluti ab eo laesus, vitabat: voce paulo altiore illum honorifice appellat, & Castorlae praefectum salutat: addens se pro certo habere, talem se regibus, Reipublicae, & praefuli suo Toletano praestaturum, qualem haecenus sub fratre illusterrimo. Hunc igitur quandiu vixit, in magno pretio & honore habuit, & Castorlae imperio praesse voluit. Ergo tanta fortunae dignitatisque accessione, nouus antistes ceu nouus quoque homo factus, parem extemplo personam tanto fastigio induere visus est, nihil iam nisi sublime & excelsum animo agitans: seu quod ita natura comparatum sit, vt magni animi magnis honoribus fiant apti, sed quod diuinitus huic sane homini ad res magnas gerendas, vt caetera instrumenta, sic quod primum omnium est, par animi robur & magnitudo data fuerit. Primum igitur diuini sui constituendae vehementer intentus, consiliarios, seu assessores iuri dicundo, tum morum censores (quos visitatores appellant) homines cum doctrina, tum vitae integritate praestantes vndique conquisitos, sibi ascituit. Quod verò ad rem priuatam attinet, nullam sane aut sumptuosam, aut magnifici apparatus rationem per id tempus habere, vnuquamve habiturus videbatur: non frequentis familiae, non pretiosae suppellectilis: quin priscam illam sanctorum pontificum frugalitatem, cum Francisci sui humilitate coniungere visus est. Nam a seculo quo solebat vehebatur monachis sui ordinis affectantibus, aut ibat pedibus. Non argento mensam, non aulaeis parietes ornabat. Totum porro annum censum statuerat ita partiti: vt ex parte dimidia praesentibus egenorum necessitatibus subueniretur, reliqua verò deductis cum familia, tum Pontificatus necessariis sumptibus, in opera publica quae religionis cultui prouehendo, iuuandisque sacrarum literarum studiis necessaria essent, impenderetur. Totum ergo semissem pauperum vrbibus destinatum Ioanni Cardennae Burgensi, viro Theologo, & antiqui moris homini, quem piis praefecerat largitionibus, vnica syngrapha decreuit, nulla expensae ratione deferenda, in egenos distribuendum. Verum deinde succedentibus maximorum sumptuum occasionibus, in primis verò graui aere alieno, ex effusa in Granatenes nouos Christianos liberalitate contracto, semis illius largitionem, ad arbitrariam distributionem redigere coactus est. Quod sane consilium in dies magis necessarium animaduertebat: cum impositam sibi tum moderatoris, tum pacificatoris publici personam, dubiis turbulentisque Reipublicae temporibus, cerneret sine magna pecuniae vi sustineri non posse. Ad familiae quoque frequentiam, domesticumque cultum, atque ornatum, paulo post Pont. Maximi hortatu pertractus est. Quam quidem mutationem quoniam eius aemuli, quos egregia virtus semper est habitura, leuitati animi eo tempore ascripserunt, non alienum ab instituto erit, literarum exemplum, quas ad Ximenium Pont. Max. ea de re misit, adscribere: quod sic habet.

DILECTO filio Francisco, electo Toletano, Alexander Papa sextus. Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem. Sancta & vniuersalis Ecclesia, sicut te ignorare non putamus, ad instar caelestis Hierusalem, multis ac diuersis decoratur ornatibus: in quibus, sicut in excessu praeparando peccatur, ita in defectu nimium declinando erratur. Grata est Deo, & laudabilis cuiuslibet status condecens obseruantia. Et propterea quicumque, praesertim praelati Ecclesiae, sicut in moribus, ita in habitu & incessu, studere debent, ne nimio fastu superbi, neve nimia abiectioe superstitiosi esse videantur, cum vtroque autoritas ecclesiasticae disciplinae vilescat. Eam ob rem hortamur te, vt postquam te sancta sedes Apostolica de inferiori statu ad Archiepiscopalem dignitatem euexit, quemadmodum te in interiori conscientia secundum Deum viuere intelligimus, de quo plurimum gaudemus, ita extrinsecus iuxta condecens status tui, habitu scilicet, familia, & ceteris ad dignitatis decorem conuenientibus te habere & obseruare coneris. Datis Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die x. v. Decembris, M. C. D. XCV. Pon-

Pontificatus nostri anno xv. Sic ergo Pontif. auctoritate impulsus, cui minus audientem esse religio erat, vix tunc sibi imperare potuit, vt familiam modice auget, domum vtcunq; ornaret, & lautiore denique vitae cultu vteretur. Procedente tamen deinde tempore, animaduertens quantum splendor hic vitae apud vulgus momenti habeat, ad vindicandum à contemptu publicae personae dignitatem, quam in pretio haberi permagni ad quietem publicam refert: non modò ad iustam familiae frequentiam, mensarum magnificentiam, & elegantiam, ad omnis quoque apparatus gloriam amplitudinemque peruenit, sed cultum etiam sibi accersit non incuriosum. Nam & holoserica veste superinduebatur, & pretiosis pellibus, sed praecipue leucophaeis (quod vesti scilicet Franciscanae concolores essent) utebatur. Longo post tempore dum Reipublicae gubernandae praesertim, Beltranum Metinensem regium apud nouum orbem senatorem, vestem illi obtulisse aiunt, rarissimis pellibus ornatam ex animalibus transmarinis, quae tribus ducatorum aureorum millibus aestimabatur. Retinuit quidem illam Ximenius domi per aliquot dies, ne videretur offerentem contemnere, sed paulò post ad Beltranum remisit morbi praetextu, quo postremo laborauit, quasi sibi parum commodus eo tempore eiusmodi cultus & necessarius esset. Mirum quiddam in illis pellibus fuisse traditur: nam si quando explicabantur, aut quouis modo agitabantur, suauitas quaedam odoris ex illis afflabatur, quae totum opplebat locum. Lectos item sericis & purpureis stragulis ornatos, cum tamen ille Franciscanae regulae ad vltimum vsque spiritum obseruantissimus fuerit, & sindones lineas semper respuerit: & saepe à ministris deprehensus sit mollibus culcitris, & pretiosis pannis è lecto ablatis in nudis tabulis, aut humi somnum carpere. At in familiaribus, tam primo hoc tempore, quam deinceps recipiendis, maximum morum delectum habuit: nam & inculpatam vitam, omniq; turpitudinis non modò labe, sed & suspitione vacante exigebat. Pueros verò ingenuos ferculorum ad mensam ministros seuerissima disciplina continebat, pedagogo admoto qui illorum ingenia bonarum literarum rudimentis excoleret: à quibus & ipse nonnunquam diurni studii operam exigebat. Familiae porro vniuersae, hoc ipso Pontificatus sui rudimento, non exigua pars ex Franciscanis sodalibus constabat. Decem quippe ex illis spectata probitate viros contubernales sibi delegerat, quorum societate religiosae vitae memoriam, & quoad eius fieri posset formam quoque tueri, perque eos sacra officii sui munera exequi destinabat. Quo fiebat, vt penes huius ordinis viros futuram iam inde partem Pontificatum, honorum, magistratumque sacrorum omnes arbitrarentur: tanta erat Archiepiscopi in illos, tanta Reginae in Archiepiscopum amoris & benevolentiae significatio. Vnde non vulgares spes sibi proposuerunt, non in modò qui familiari illo Archiepiscopi vsu atque conuictu fruebantur, sed alii etiam eiusdem ordinis viri, insigni aliqua religionis atque doctrinae opinione clari. Qui si apud aulae primates, & auctoritate & gratia pollerent, porrigente vtcunq; manum Archiepiscopo, facile emerfuri credebantur. Sed vtroque sane sua spes sefellit: omnino enim Ximenius, seu quod religiosos homines longè ab humani ambitus scopulis retrahendos esse iudicaret, seu certo quodam alio consilio: nihil sane suis illis contubernalibus publicorum negotiorum vel communicabat ipse, vel ab aliis sinebat communicari. Interuutores verò, quales permulti rerum alienarum curiosi, & fumos vendere soliti, in aula regia esse consueuerunt, ad eos ingredi haud temere patiebatur: sed neque pedem in palatium inferre, aut inter proceres aulicos versari permittebat: adeò vt angustiùs, in Archiepiscopi aedibus agere, quam in suis coenobiis viderentur. Cum viris ordinis sui primariis quoties familiares sermones conferre contigerat, nihil aliud quam de tuenda religionis disciplina, de continendis in officio sodalibus, de precatationis, lectionisque frequentia, aliisque id genus exercendis pietatis studiis, non sine summa oris grauitate differebat. Qua de re non vulgari inuidia apud monachos laborare coepit, quasi ordinis sui ornandi parum studiosus: nec verebantur nonnulli sinistros sermones

de nimia hominis seueritate in vulgus spargere. Accidit per id tempus, vt Franciscani ordinis summus magister (quem illi ministrum generalem vocant) ex vrbe Roma in Hispaniam muneris sui exercendi causa veniret. Nam quòd quidam in hoc illum à Ximenii æmulis conspiratione facta accitum putant, quòd illius opera ad faceiendum Ximenio negotium abuterentur, affirmare nolim. Illud certè satis constat, homines sui ordinis ministri generalis aures grauisimis in Ximenium criminationibus onerasse. Nam insignem eius liuorem & maleuolentiam criminabantur: qui cum monachos doctrinæ & religionis laude præstantissimos facillè posset in amplissimis dignitatibus collocare, maximo deinde vsui atque ornamento vniuerso ordini futuros, non modò ipsorum incrementis nõ faueret, sed & reginæ animum sua sponte ordini deuotissimum aliorum deflectere, atque abalienare conaretur. Sed neque in fratrem suum vterinum Franciscano quoque ordini initiatum quem secum haberet, vlla amoris significatione propensum esse. Multa præterea in eius ingenium moresque indignè iacentes, quæcunque nimirum exulceratis animis odium, ob spes frustratas suggererat. At ille homo quidem externus, rerumque nostrarum ignarus, & suapte Ximenio magnopere infensus (erat enim conuentualis) vita, & studio, facillè tot calumniis irritatus, in Ximenii perniciem cœpit incumbere, palam & impotenter iactans minimè conquieturum, donec eum è fastigio quò indignè conscendisset, deturbatum, ad sordes pristinas reuocaret. Reginam ergo adit: & post paruam temporis à prima salutatione moram, eius attentione, tanquam de re magna dicturus, efflagitata, mirari se dixit, quonam consilio Franciscum Ximenium ad tantum honoris & potentia culmen prouexisset: cum nec natalium splendore moueri potuerit, nec doctrinæ opinione, cum omnium iuxta bonarum disciplinarum ignorans haberetur. Nam iuris peritiam in qua se exercuisse dicebatur, à limine tantum (quod aiunt) salutauerat. Iam verò eximiam quampiam prudentiam, rerumve gerendarum vsuum, qui potuisset ex solis Seguntienium sacrificulorum iudiciis, quibus breui alioqui tempore præfuisset, tam vberem, tamque regis negotiis tractandis accommodatam sibi comparasse: Quòd si vulgata illa ac proinde fallax summæ sanctitatis opinio, qua supremos ipsos cælites proximè credebatur accedere, ad eum augèdum ipsam impulsisset, caueret hæc fides sanctitudines, quæ nec horum temporum aut morum essent: satisque nobiscum præclare agi putaret, si vitam vtcunque innocètem præstaremus. Quòd si mentis caliginem remoueret, satis magnum habere poterat argumentum animi leuis & incòstantis, quod non ita pridem in totius domus & familiæ ratione designauerat. Nam ab austeriori norma, quæ monachum decebat, ad sybariticum luxum traduxerat, non sine magna omnium reprehensione. Quòd si vellet commemorare ingenii acerbicatem, rigidos, agrestesque mores, orationem asperam & insuauem, nulloque lepore conditam, ad hæc pallorem accersitum, tristitiam & supercilium, tum demum intellecturam quantum à proposito aberrasset. Hæc enim omnia animi tumidi & arrogantis propria esse, non autem veræ sanctitatis indicia, vt regina existimabat. Nam sincera sanctitas suavis est, & mitis, placida, hilaris, & tractabilis. Quare non esse cur dubitaret, quin fucum suæ simplicitati planè factum fuerit. Nam quòd delatum honorem tam longa ille cunctatione distulisset, vulpini hoc ingenii potius quam sancti indicium fuisse. Si quidem probi, nec dissimulatores viri, vt non ambiunt honores, atque magistratus, ita ritè atque incorruptè delatos modestè accipiunt, non tam præesse quam prodesse cupientes. Quare oportere quidem etiam atque etiam circumspicere, qua nam tandem ratione tanto huic ecclesiæ Toletanæ vulnere mederi posset, nisi suæ existimationis, atque adeo etiam animæ salutis obliuisci potius veller. Nam nihili hominem, ad ea se dignitate abdicandum adigere, cui par esse gerendæ nequeat, nihil profectò negotii esse. His permulta addidit conuictorum & fœditatis plena. Agrè se iam regina continebat, quin procacem hominem, & inuerecundum, è conspectu suo rapi, atque exportari iuberet: verum quid

quid suam maiestatem deceret memor, sese continuit. Ergo nihil aliud quam fatissime sanus esset, ad verbosam eius orationem subiecit: & an qui cum loqueretur intelligeret? Hic ille acerbius irritatus, Satis (inquit) sanus sum, neque qui cum loquar ignoro, nempe cum Isabella regina, quæ pauculus puluis est, vt ego. Et simul confurgens foras furenti similis abiit. Multum Archiepiscopi causam iuuit generalis ministri tam effusa petulantia, quæ reginæ quidem iram & indignationem meruit potius, quam gratiam aut assensum. Facillè sapientissima fœmina intellexit, morbo illum animi stimulatam potius, quam certo vilo iudicio ductam, in tam illoctum sermonem prorupisse. Interim Ximenius quam mature satis quid in ipsius caput minister ille moliretur amicorum indicio intellexerat, recti conscientia fretus, tantum abfuit, vt vel reginæ aures (id quod illi facillimum factu fuisset) duceret præoccupandas, aut certè post intentam calumniam, de apologia cogitaret, vt nec verbum vllum ea de re cuiquam facere sustineret: nec ministro quidem vllam offensi animi speciem præbuerit: quin singulari illum studio, mirificaque pietate colere, venerarique persistebat. Itaque omnia Ximenio moderatè dissimulanterque ferente, facillè totus ille fœuentis inuidiæ feruor contempuit, & paulò post in fumum euauit. Porro quanquam nihil aduersus sodales illos suos, quos sibi domesticos elegerat, querelarum habere præ se ferebat, quos neque conscios quidem illius in se conuersionis fuisse existimabat, tamen vel æmulorum aliorum tædio, vel quòd arctam viuendi normam istis displicere sentiebat, quæ sitis occasionibus alium alio, in cœnobium quenque suum amandauit, tribus modò reuerentis, Francisco Ruizio, Didaco Camachio, & Didaco Villalano, qui Ximenio ab arcanis confessionibus, & à priuatis sacrificiis essent. Quibus leges pendenti in tabula præscriptas dedisse fertur, varias quidem illas, sed quæ huc tandem omnes tenderent, vt intra suum angulum abditi, ab omni negotiorum strepitu, & ab omni profanorum hominum commercio abstinerent. Hæc tamen tam rigida illis imposita viuendi conditio in causa fuit, vt ad honores emergerent, fatente non nihil Ximenio. De Francisco Ruizio diximus: Didacus verò Villalano cum validis lateribus ad populum concionaretur, & aptus esset affectibus permouendis, regius concionator est factus, & in Abderitanum deinde episcopum assumptus. Quartus his annumerandus est Bernardinus Archiepiscopi germanus: nam nec morù æquabilitate, nec iudicio satis sano erat præditus. Hic enim, vt supra commemorauimus, cum à Nauarra rediit opera Ximenii amicorum, & fratrem Monachum factum rescivit, eidem ordini se addixerat. Sed non erat cuiquam illorum trium, quos Ximenius domi habebat conferendus: ac proinde fortunam infelicem sortitus, verum esse satis declarauit, suam moribus fortunam vnumquenque fingere. De quo, quoniam fraternam indignationem commeritus, domo Antistitis per hæc ferme principia perpetuò pulsus miseram atque calamitosam vitam duxit, pauca præfanda sunt. Erat Bernardinus in monachatu haud vulgariter pius & religiosus, quamobrem fratri erat carior. Sub ipsa etiam Pontificatus tempora, non modò consiliortum particeps, sed & totius Pontificiæ familiæ primus, vt par erat, habebatur. Aiunt tamen in eo Ximenium desiderasse animi constantiam, circumspectionem, & in rebus tractandis prudentiam. Nonnunquam enim naturali quadam temeritate, non sanæ mentis dabat indicia: sed quicquid id erat, fraterna beneuolentia dissimulabatur. At cum agrè animi vitia contineantur, præsertim vbi paululum licentiæ accedit, Bernardinus insolentior factus, cum neminem sibi apud fratrem præferri pateretur, non solum Archiepiscopi amicis & ministris, sed ipsi etiam, dum omnia pro libidine tractare cupit, cœpit esse grauis. Nam quicumque eum, aut leui facto, aut dicto offendisset, domo Pontificia, fratre inconsulto, statim pellebatur. Quòd si quid illum Ximenius obiurgaret, eadem erga eum libertate vti: grauibus verbis inuchi: eius ceconomiam impudenter culpare: protinusque locum aliquòd in propinquitus cœnobium mutare: aliquòtque dies conceptam indignationem absentia mora testificabatur. Manueto

animo ea omnia Ximenius tolerabat, & simul atque ira fratri deferbuerat, rursus ad se admittebat: nullumque amplius rei ante acta verbum faciebat. Accidit tamen, ut aliquando iratior multo quam solebat Bernardinus Compluto Guadalajaram sese receperit: vbi bilis impetu vehementer agitatus, nulla fratris Archiepiscopi ratione habita, libellum quendam scripsit, quadraginta & amplius rerum capita continentem, quibus non modò Archiepiscopi mores, sed familiaris luxum & intemperantiam, & totius Pontificiæ ditionis sub Antistite fratre licentiam, falsò & immeritò taxabat. Ea cum Ioanne Viana probo homine, & sibi amico, ceterum fideli fratris ministro communicauit, dictitans quàm primum occasio daretur, se libellum in manus reginæ traditurum. Nihil iniquius Ximenius (animo alioqui excelsus) ferebat, quàm si aliquid finistrum apud reginam de se iactaretur. Id Viana cum Ximenio statim notum fecisset, illico per sedulos ministros agit, ut captus Bernardinus deferretur, & simul quæ scripsisse ferebatur. Ergo vniuersis thecis, & armariis eius reclusis, tandem libellus inuentus est: ipseque acerbæ custodiæ traditus, atque paulò post Guadalajaram deportatus: vbi indignabundus & animi impos biennio integro decumbens, contumaciæ quidem morbum concoquere potuit, ni etiam insaniam vitio miser laborasset. Sanior tamen post illa factus, fratris læsi clementia implorata, rursus humanissimè receptus fuit. Sed ut vulgò dici solet, qui semel bonam mentem amisit, haud facilè curari potest. Agrotabat Compluti Ximenius & aderat Bernardinus frater: accidit verò, ut tunc causa quædã apud Archiepiscopi iudices ageretur, Bernardinus verò in alteram partem adedò inclinauerat, ut litem suam fecisse videretur: Iudices enim ex suo arbitrio sententiam quauis iniquam ut proferrent impulerit. Id Ximenius euestigio rescituit, altera parte nimirum proclamante, & iudicum suorum sententiã rescidit, morbo interim ob indignationem adaucto. Hic insanè Bernardinus fremere: & specie visendi fratris ad illum ingressus, multa primum conqueri cœpit, & quòd ipse in nullo pretio apud eum esset: multa deinde iudicum nomine, quos graui infamia eo pacto notasset, prorsusque despiciatissimos fecisset. Inualidus ob morbum Ximenij animus solitum in eo tolerando vigorem retinere non valens, acri illum oratione increpat: & ut taceat pro imperio iubet, alioqui statim in vincula coniciendum minatur. Bernardinus puluinarum quo caput Ximenii fulciebatur arrepto, os obturauit: & tanta vi guttur vtraque manu furibundus compressit, ut omni facultate ministros inclamandi adempta, qui in proximo cubiculo excubabant, modò non animam efflauerit. Bernardinus siue quòd eum iam mortuum credidit, seu rei atrocitate deterritus, nec animi præsentia nefario sceleri absoluendo necessaria præditus, de cubiculo dissimulanter exiens, ministris ne strepitu dormientem excitarent admonitis, in obscuram latebram se proiecit, vnde rei euentum aucuparetur. Aderat inter ministros adolescens quidam Auellanedæ, qui paulò quàm ceteri attentior, vultum Bernardini immutatum conspiciat, vocem etiam titubantem, gressus inconcinnos & ferme vacillantes subnotauit. Ergo sinistri quippiam accidisse suspicatus, præsertim quòd Ximenium & Bernardinum vicissim iurgantes audierat, suspensis passibus ad Archiepiscopi lectum accedens, ex vultus pallore, & ex frequenti suspirio animo illum defecisse credidit: socios aduocat, & ad medicos accersendos aduolat: qui id vi morbi accidisse existimantes, quod medicæ artis erat, sedulo faciebant, sed ut in re subita & ambigua, velut cespitantes. Donec ille ad se reuersus, nihil celans aut dissimulans, fratrem palam incusare cœpit, scelestum, sacrilegum, parricidam appellat: remque ut acta fuerat exponit. Sunt qui Bernardini furorem non ob sententiam rescissam abortum fuisse dicant: sed sacerdotiorum quorundam causa, quæ cum à fratre periisset, nec potuisset impetrare, eò tandem insaniam peruenit, ut fratrem strangulare voluerit. Ergo Bernardinus per gnauos exploratores conquisitus, Turrigios oppidum iuxta Toletum, olearum fertilitate celebre, compedibus vinctus abducitur: ut in humili tunc temporis cenobio, vitam sordidam, ut meruerat, traduceret. Quod

in

in commune ab omnibus monachis curatum est, quibus Bernardini facinus indignissimum visum fuerat. Tarasiam tamen Auriquesiæ matronæ sanctissimæ benignitate, quæ Turrigiorum ditionem eo tempore tenebat, bona molestiæ pars ablata fuit, quam in custodia pertulisset. Ab eo tempore tanto ille odio Ximenio fuit, ut nullius vnquam precibus similitatem deposuerit: ne hominem amplius videre sustinuerit, nedum alloqui, aut in familiam recipere. Amor enim quòd vehementior aut coniunctior est, si iustis de causis aliquando lædatur, nunquam ad pristinam charitatem redit, nec offensione oblitterata coalescit. Ferdinandus Rex longo post tempore vix à Ximenio impetravit, ut mitius contra fratrem germanum præsertim absentem ageret, eumque benignè iuuaret. Assignauit ergo Bernardino octogena nummum millia in singulos annos, ea conditione tamen, ne vnquam in eius conspectum veniret. Hunc ego Bernardinum extremam penè senectam agentem puer olim Compluti vidi, molli otio & genio indulgentem. Erat statura procera, fronte perfricta, vultu mirum in modum rubro flammeoque, naso prælongo, & incuruo, oculis introrsum reductis, totiusque corporis firma quidem compactione, sed macra. Auellanedæ verò sedulitatem semper ante oculos Ximenius habuit: nam & adolescentiæ vitio sæpius peccantem paterna emendabat indulgentia, præter seueritatis suæ consuetudinem: & ne quid illi dum viueret deesse posset, benignissimè prouidit. Sed ut ad initia pontificatus reuertamur: ut primum Ecclesia Toletana rescituit Ximenium in Aragonia vbi tunc agebat inauguratum, legatos ad eum mittit Franciscum Aluarum Toletanum, & Ioannem Quintanapalliam canonicos, illum iurisperitum, hunc theologum, qui illi totius Ecclesiæ nomine gratularentur. Quibus cum longum sermonem habuit: & multa se dixit cupere denuo instituere, & multa corrigere, & in antiquum statum restituere, quæ in rem communem essent cessura: sed illud in primis, ut canonici & eorum socii, qui portionarii dicebantur, ad vitæ communitatem, quoad eius fieri posset, redirent, qui iam diu ad vitam secularem & vagam deficiuerant. Ut saltem altaris ministri, qui per hebdomadarum vices sacra faciunt, illis diebus intra claustra templi continerentur, quòd religiosius munere fungerentur suo: se verò ut bona domicilia extruerentur curaturum, quibus commode vi possent. Legatis verò diligenter mandat, ut id ad capitulum referant, & primo quoque tempore ea de re decretum faciendum curent. Legati quauis rei difficultatem probè intelligerent, noluerunt tamen quid sentirent aperire: sed eius mandata ad capitulum bona fide relatuos, quemadmodum iubebantur, promittunt. Canonici verò per legatos de Antistitis sui voluntate certiores facti, mirum quàm fuerint rei nouitate & insolentia commoti. Non tam quidem quòd intolerandum videretur, tres illos sacerdotum ministros pauculis diebus intra ædem sacram contineri, quàm quòd vererentur ne homo seuerus & restituendæ veteris disciplinæ cupidissimus, qui tunc summa contentione agitabat, ut omnes omnium religiosorum virorum feminarumque per vniuersam Hispaniam societates ad prisca viuendi instituta reuocarentur, idem quoque de canonicis suis cogitaret. Auxit illorum suspicionem Ximenii ad præfectum fabricæ mandatum, ut super interiori templi porticu, quæ impluuium viridario consitum, ad mea vsque tempora cingebatur, domicilia construeret: in quibus multò plures quàm illi tres sacerdotes laxè habitare possent. Quare inito statim secreto consilio, Alphonsum Albornozium canonicum, qui & capellani maioris dignitateungebatur, prudentem virum, & industrium, Romam ad Pontificem Maxim. aliis negotiorum causis prætextis, mittunt, qui præsentem ecclesiæ Toletanæ statum capituli nomine tueretur: & Archiepiscopum si opus esset, in ius vocaret, ut res nouas moliri desineret. Sed Ximenius qui paulò post ista rescituit, non esse cessandum ratus, viatores, satellitesque, non sine authoritate regia statim in portum misit, qui Albornozium comprehenderent. Sed quauis magnis itineribus profecti, nauim conscendisse, & plenis velis nauigasse repererunt. Sed Ximenius vir

B iij

prudens & experiens, ita posse euenire ratus, vno tempore ad portum satellites, & Romam expeditissimam triremem mittit, qua viri sibi cari & strenui cum mandatis regis vehebantur, qui Garfiae Lasso, tunc apud Pontif. Oratori edicerent, vt quamprimum Albornozius appulisset, ablata in urbem veniendi facultate, vinctum in Hispaniam remitteret. Lassus statim vt regias literas accepit, & rem totam intellexit, Ostiam contendit, vbi quinque dies Albornozii celeritatem antevertit: tot enim cum esset ibi moratus, descendente de nauis vocauit ad cenam. Vbi postquam de Hispaniae rebus multa inter se collocuti sunt, regia illi mandata exponit: & Centurioni in custodiam traditus rursus in Hispaniam traicere cogitur. Postquam Valentiam appulit, ad Attienzae arcem translatus est, & tandem Complutum ad Antistitem deducitur: vbi totos ferè duo de viginti menses partim vinctus, partim in libera custodia retentus fuit. Carceris molestiae duriores Albornozio exhibebantur, quam mitis Ximenii natura ferebat. Sed cum punitio potius regis nomine, quam suo fieret, non nisi regis intercessione dimittendum putabat. Solent etiam qui nouam aliquam potestatem ineunt, seueritatem quandam penè inexorabilem sub ipsa principatus initia exercere, quod asperi & formidolosi vulgò habeantur. Sic enim qui contumaci sunt ingenio, & nouarum rerum auidi, sibi cauere curant: & in officio facilius omnes continentur. Interea Ximenius Toletum profectus, vt se Albornozius sequeretur iussit: & cum illic relinquendus crederetur, rursus secum Complutum reduxit, vbi tandem missum fieri placuit. Vfus fuit Albornozius fidelissima opera Tamai eius ministri in maritimo itinere vinctus, & post etiam Compluti: adeò vt se maximam suae calamitatis partem, in verbis & consiliis prudentis famuli deposuisse fateretur. Quare post omnes turbas sedatas iam liber, Tamaium gratitudinis ergò portionarium Toletanum faciendum curauit. Ximenius qui Tamai pietatem erga herum, & fidem ac sedulitatem à viris laudatis prædicari audierat, post Albornozii mortem, in familiam suam asciuit, & domus suae præfectum esse voluit: ac canonicum Toletanum creauit, vt summum bene nauatae operæ pretium. De statu ecclesiae mutando, aut de sacrorum ministris intra ecclesiam continendis, mentionem nullam ab eo factam Vergara existimat. Ego Didacum Lupum Aialam aliquando dicere audiui, Ximenium in priuatis sermonibus, quos interdum ad canonicos habuit, de ea suspitione sese purgasse, qua ad regularem viuendi modum eos reducere velle insimulabatur. Quanquam nonnulli referunt, vsum illum aliquando ad hanc rem exemplo tenuissimi panis Leucophæi, quem canonici Ximenio obtulerunt, vt inde sibi vestem clericalem cõficiendam curaret: tunc enim pannum laudasse, sed conditionem non probasse: vt cunq; enim res caderet, sub diui Francisci cuculla vitam viuere decreuisse se, dixit. Iubebat ergo, vt ipsi etiam canonici ad Augustini regulam se compararent & viuerent, quã multis adhuc cæremoniis referrent. Sed sibi propositum esse dicebat Heliae verba vsurpans, non in igne, neq; in cõmotione, sed in auræ tenuis placidissimo sibilo, hoc est, in lenitate & mansuetudine, omnia cum ecclesia sua tractare, & componere. De hebdomadariis autem ministris se non quidem præcipere, suadere tamen vt inter se ea de re agerent & tractarent, qua nihil sibi aut religiosius, aut sanctius videbatur. Ego vt his de rebus asseuerare nihil possum, ita ex ædificii perampla structura, & ex sermone cum legatis ecclesiae in Aragonia habito, & ex portæ forma quam ad vicum crepidarium adaperuerat, suis & ciuitatis Toletanæ quæ adhuc visuntur insignibus ornatam, eam quæ iactabatur animi sui sententiam fuisse, conijcere licet: cæterum tumultus & turbas emerfuras præuidentem, nihil amplius de vtraq; re siue priuatum, siue publicè Toleti egisse. Habitacula verò illa, magnifico atque sumptuoso opere constructa, in pontificalis palatii partem concessisse videmus. Post celebratum in Aragonia conuentum, & res omnes compositas, reges Almazanum oppidum in Castellæ limine situm peruenerunt. Sed rex paucos post dies, ad comprimendos Caroli Gallorum regis motus, qui in Gerundensium

fines

fines hostilia moliri nunciabatur, in Cataloniam rediit. Regina verò Burgos Ximenio adstante profecta est: vbi Lauretum oppidum septentrionalis Oceani portu celebre adire constituit, vt Ioannam filiam suam ad Philippum Austrum sponsum, Maximiliani Cæsaris filium, traiecturam ad naues deduceret. Sed cum itineris difficultas (nam per angustias quasdam & infestas montium salebras eundum erat) atque oppidorum vicorumque infrequentia tot hominum millia, qui reginam comitabantur, cum tanto præsertim apparatu & tot impedimentis, excipere non posset: Archiepiscopus, qui omnes omnium occasionum articulos ad ecclesiam Toletanam visendam captabat, idoneum tempus nactus, facilè à regina impetrauit, vt sibi tandiu abesse liceret, dum illa Burgos rediret. Ergo Complutum Toletanorum pontificum regiam sine vlla mora profectus, postquam se ibi ab externis negotiis feriatum videt, ea solum in animo versabat, quæ ad boni pontificis partes bene agendas necessaria esse arbitrabatur. Quocirca ecclesiam Toletanã inuisere, & conuentum sacerdotum (quem Synodum dicunt) indicere, demum totam diocesim circunlustrare cogitabat. Sed antequam proficisceretur, aream circunspicit amplissimis & magnificis ædibus in studiorum collegium ædificandis aptissimam. Cum ergo in his designandis cum architectis esset occupatissimus, regina quæ à Laurentano portu Burgos redierat, Ximenii absentiam, cuius consilio multum se iuuari sentiebat, diutius ferre noluit, & hominem ad se accersit: cunctantem verò & causas moræ nescientem, tandè occasione instantium Ioannis filii nuptiarum cum Margarita Maximiliani Augusti filia omnino ad se venire iubet: negabat enim principem iuuentutis, in tot tantorumq; regnorum spem natum, per alium quã per primatem Hispaniarum matrimonio iungi debere. Ergo magna omnium celebritate, atq; ordinum frequentia, nuptiæ coniunctæ sunt III. nonas Aprilis, anno M. cccc. xcvii. quib. ipse stipulandis & faciendis interfuit, & matrimonii solennia in conspectu regum religiosè iuxta & splendide peregit. Post hæc cum discessurum se iam ad cõpta negotia arbitraretur, miserando quodam casu præter votum manere fuit coactus. Alphonsus Cardenas Gutterii Cardenæ filius, magnæ spei iuuenis, dum inter æquales in ludis nuptialibus, qui magnificentissimi ob principes facti sunt, equum incautius admittit, dorso excussus corruit, & cervice fracta, è vestigio animam efflauit magno omnium mœrore. Erat Gutterius Cardenas reginæ familiaris, & intimorum consiliorum particeps: vnde haud vulgariter ob eius calamitatem doluit. Alleuabat ægritudinem Ximenius pio & prudenti sermone: nec minus acerbum Gutterii patris vulnus cõsolando leniebat. Postquam illa mœstitia nouis (vt fieri solet) rebus subnascentibus excussa est: decreuerunt reges, terminos quibus Castella à Lusitania distinguitur visere, & obiter Pintiam etiã, & Metinam. Hæc Ximenio per opportuna occasio visa est Toletum proficiscendi, ad res sui pontificatus agendas. Commeatu igitur à regina accepto, Archiepiscopus Complutum venit, & paucos post dies Toletum de nocte accedere instituerat, fastidians omnino apparatus illum, atque fastum, quo noui Antistites primo aduentu urbe inuehi consueuerunt. At cū id ciuitati vehementer ingratum esse intellexisset, eorum votis obsecutus est. Sed quò magis ille humanam gloriam fugitabat, hoc illa perseuerantiùs solidam eius virtutem sequebatur. Neminem Toletanorum præfulum tanta frequentia, tanto ciuium studio & applausu exceptum esse comperimus. Est quidè illa ciuitas pontificum suorum obseruantissima, quos haud secus ac numen quoddam cælitus demissum solet venerari: sed communibus Archiepiscopos colendi causis peculiare quoddam in Ximenio esse fama vulgauerat, quæ hominum studia mirum in modum excitauit, ad eius vultum & totius corporis habitum propius cõtemplandum. Ergo vbi dies aduentus eius adfuit, cunctus populus, omnis ætas, sexus, atq; ordo, vt est urbs frequentissima, per portas se effundens, campos omnes quæ venturus expectabatur, latè compleuit. Vbi verò ad primum ab urbe lapidem Archiepiscopus appropinquare nunciatur, ornatissimus maximi templi clerus, duplici agminis serie obuiam processit. Mulæ erant nitidæ & insignes,

quibus singuli de more sacerdotum Hispanorum sedebant. Præcedebant autem unumquemque sui antea bulones purpura fulgentes. Substitit Ximenius media via, quem omnes venerabundi salutarunt, & de osculatis manibus omnia illi bona precabantur. Paulò deinde ulterius procedenti, præfectus urbis cum omnibus imperii sui satellitibus, & clarissimus decurionum ordo, cum primariis civitatis, quos viatores & accensi præbant, occurrunt: subsistentique rursus singuli præteruecti felicem aduentum optabant, honorificis verbis appellantes. Historicus nostras Fernandus Pulgarus homo incorruptæ fidei, & sua lingua fatis eloquens, cuius historiam Antonius Nebriffensis latinam fecit, scriptum reliquit, fuisse solenne, ut in primo pontificis Toletani in urbem aduentu, præfectus urbis cum suis ministris, & ipsi etiam decuriones urbani post salutatum extra urbem Antistitem, cum ad portam urbis ventum esset, dimissis equis pedibus irent, equitantem Archiepiscopum comitantes usque ad templum maximum: sed huiusmodi honore Petrum Gonzalum Mendozium Cardinalem Archiepiscopum Toletanum, in gratiam Isabellæ reginæ, in cuius comitatu urbem primum ingressus est, sponte abstinuisse. Verum siue hoc eo tempore in Gonzalui adulationem primò sit tentatum, siue te vera hoc officii genus Toletanis olim Pontificibus (qua erant maiores nostri religione) delatum fuerit, seculo certè nostro compertum est obsoleuisse. Ad portam igitur urbis cum venisset Ximenius, tam conferta multitudo aditum obstruxerat, ut nonnulli de vita fuerint periclitati. Iam verò postquam urbem est ingressus, omnes fenestras sceminæ pueriq; occupauerant: summa tectorum culmina infidentium mortalium pondere laborabant: loca altiora omnia suspensis hominum vestigiis tenebantur. Tam densa denique vias turba compleuerat, ut vix summa satellitum apparitorumque contentione angustus trames procedentibus aperiretur. Sic tandem ad augustissimi templi vestibulum, amplissimo ornatu apparatu, præcipitante diei vespera peruentum est: ibi à sacerdotibus, qui venienti obuiam procefferant, sacro amictu velatis excipitur. Et post adoratam more maiorum sacrosanctæ crucis pretiosissimam particulam, quam iam olim ecclesia Toletana dono regum in thesauris asseruat, pro foribus astanti liber oblatum est, in quo ecclesiæ Toletanæ instituta, legesque continentur: quas ille ratas se habiturum conceptis verbis pollicitus, in illas de more iuravit. Inde in templi adyta religioso sacerdotum concentu inductus, post habitam supplicationem ad aram maximam, in Pontificale palatium, quod in proximo est, deducitur. Tertio verò postquam aduenerat die canonicis in curiâ suam per edictum vocatis, in hanc ferè sententiam verba fecisse dicitur.

QUAM inuitus fratres charissimi, in hunc quæ videtis dignitatis gradum ascenderim, neminem vestrum arbitror ignorare: quam verò immeritus illum occupem, nemo nouit præter me, qui sub onere tam recenti gemere iam incipiam, & nutare. Quo magis equidè sentio, non ab ipso modo numine subsidium mihi summis precibus implorandum, sed opem atque auxilium vnde cunq; sed à vobis in primis fratres obseruandi, petendum esse, tanta in Deum pietate, tanta prudentia & virtute præditis: quorum votis & rogationibus ad numina cælestia, & consilio in rebus gerendis, plurimum vtilitatis me capturum spero. Confido enim vos mihi omnem operam, consilium, studiumque præsturos, ut non in hac modo ecclesia, sed in vniuersa adeo dicecisi nostra cultus diuinus augeatur, mores formentur, ecclesiasticæ denique disciplinæ vigor, si non omnino instauretur (hoc enim optare magis corruptissimum hoc seculo, quam sperare licet) ad quandam certè præfæ integritatis imaginem componatur. Cuius quidè voti me facile compotè futurum spero, cum vos in primis videam ad omne virtutis exemplum formatos. Equum est enim, ut qui cæteris sacerdotibus in ditione nostra superiores emolumentis & dignitate estis, morum quoque sanctimonia sitis. Quæ enim eruditio aut disciplina ad vestros ciues, qui à rebus sacris profani sunt, dimanare poterat, si vos officia vestra contemneretis, opinionum diffidiis laborantes: & non potius tum vestrum cultu, totiusque corporis motu, atque gestu, tum mutua inter vos pace, sanctis colloquiis, &

bonis

bonis operibus, interiorum hominum verè sacerdotio dignum populo (ut facitis) ostenderetis: Ego sanè, ut aperte vobiscum agam, quoscunq; hac via ad cælestem Hierusalè ascendentes, de virtute in virtutem procedere animaduertero, horum profectò non modò conatibus adero, sed commodis etiam, dignitateque augebo: si quis verò (quod abominor) terrestrem Hiericho descendens, in latrocinia vitiorum, à quibus saucietur, inciderit, huius certè vulneribus, euangelici Samaritani exemplo, oleum superfundam, & vinum: sed ita ut multò magis ille olei lenitatem, quam vini sit austeritate experturus: nisi ubi putre vulnus (quod Deus auertat) sektione, vitione ve indigebit. Nam nec ab hac quidem quamlibet inuitus tempore potero, cum intelligam quicquid in vobis huiusmodi fuerit, à me vno apud supremum iudicem seuerissimè exigendum. Verum meliora profectò atque digniora de tam graui, tamque honesto ordine, speranda mihi esse persuadeo, aduersus quem officiis potius & humanitate, quam summo iure mihi esse agendum video. Quoniam verò iam dudum meditor synodum sacerdotum nostræ dicecisi, rei ecclesiasticæ constituendæ causâ, Complutum indocere, magnopere vos hortor, ut legatos vestros illuc mittatis, qui ex præfco maiorum instituto rebus gerendis intersint. Interim si quid vobis videbitur, in hac ipsa ecclesia, vel alibi per nostram ditionem, matura censura indigere, magnam monitoribus sum gratiam habiturus. Huic orationi cum per Decanum reuerenter respòsum esset, discessum est. Dati deinde dies aliquot procerum & ciuium salutationibus, à quibus quam poterat citissimè se expediebat: nam volumè sacrum in proxima mensa apertum semper erat, ad cuius lectionem, nisi quid esset ferio tractandum, post primas statim salutationes sese conuertebat: quod cuius mediocriter attento, ne homini rebus grauissimis occupato negotium ultra facefferet, iudicium erat. Habita est etiã non postrema supplicum libellorum ratio, plerisque quidem eius generis quibus esset liberalitate potius, quam oratione vlla respondendum: quos in fasciculos dispositos, ad largitionibus præpositum mittebat, qui votis omnium suo arbitrio satisfacere curabat. ita fiebat ut numerosior in dies ad palatii limina petitorum turba cõflueret: adeo sanè ut constet, Archiepiscopum quo die urbe profectus est flagitatorum multitudine exitu domus fuisse prohibitum, donec largitor prouido consilio iactans, quos diuidendos parauerat, nummis, peruium iter fecit exeunti. Multa ergo ille Toleti, quibus ibi commoratus est paucis diebus, præclara constituit: multa composuit, tum ad clerum populique disciplinam, tum ad summi templi, cæteraque ædium sacrarum facta tecta, suppellectilem, celsum, totius denique diuini cultus splendorem pertinentia: quæ longum esset sigillatim persequi. Vnum tamen non omittam, propter exempli claritatem, & rei difficultatem cum primis memorabile. Offendebantur quicunque templum Toletanum adibant sacelli illius angustis, quod Capellam maiorem vocant, vbi ara maxima solennibus sacris operandis erecta est: erat enim dimidio ferme quam nunc est angustior: quod delubri magnificentia indignum esse omnes iactabant. Porro vnica erat laxandi ratio, si sanctæ Crucis ædicula quæ illi continens est, sacello adderetur: quod facile factum erat diruto pariete medio. Erat autem ædicula illa regium opus venerandæ antiquitatis, veterum quos vocant regum tumulis percelebris: nempe Alphonfi septimi, qui Hispaniæ dictus est Imperator, & Sancti huius filii cognomento Desiderati, & item Sancti alterius ex Alphonso decimo genti: præter alios regni stirpis principes viros, quorum illic manibus per proprios sacerdotes quotidianis inferiis parentabatur. Quare multis retro seculis nefas visum fuerat, de diruenda regia capella cogitare. At Ximenius re statim perpensa, ædiculam regiam capellæ maximæ iungendam, & regum reliquias ad eandem transferendas decreuit. Regiis porro sacerdotibus ædiculam aliam sacris suis faciendis assignauit, tanta quidem celeritate, ut sub ipsum discessum præfco fabricæ negotium dederit rei primo quoque tempore consociendæ. Verum huic decreto post Archiepiscopi abijtum regii sacerdotes summa contentione intercedentes, rem ad capitulum demulerunt: patres obtestantur, ne suo se sacello exturbari, neu sacra clarissimorum

regum sepulchra, quæ illi certa quadam religione ducti cineribus suis delegif-
 sent, violari paterentur. Patres quanquam Antistitis sui consilium cum ecclesiæ
 dignitate coniunctum esse liquidò videbant, tamen ne Petri Mendozii Car-
 dinalis Archiepiscopi monumentum, quod proximè dextrum summi altaris la-
 tus constructum erat, pro lato altaris situ, longius relinqueretur, regionum sa-
 cerdotum causam tuendam suscipiunt. Hactenus tamen vt per legatos reginam
 orarent, tantisper negotium differri vellet, donec ipsa in re præsentem veniens,
 (expectabatur enim propediem in urbem ventura) de re tota pro imperio con-
 stitueret: sperabant enim Cardinalis sui, cui tantopere viuenti fauisset, etiam se-
 pulturæ rationem habituram. Regina cum capituli postulatis facile annuisset, 10
 paulò post in urbem veniens, re oculis subiecta, Ximenii consilium laudauit.
 Ita regii facelli spatium capellæ maximæ cessit: vbi ara maxima denuo constru-
 cta, & ingenti sacrorum signorum pegmate, quod ad summum vsq; templi for-
 nicem sublatum videmus, exornata: regii tumuli vtrinque in edito locati, sum-
 ma quidem tum illorum dignitate, tum ædificii ipsius elegantia, atque decore,
 Mendocii verò Cardinalis monumentum longiusculè quidem ab ara ipsa seiun-
 ctum mansit. Verùm id sanè in commodum, honorificentissima regionum mo-
 numentorum societate abunde pensatum est. Porrò regiis sacrificiis ædicula
 non longè à Capella maxima attributa: quæ olim sancti Spiritus nuncupata, san-
 ctæ crucis titulum in prioris facelli memoriam suscepit. Archiepiscopus vbi 20
 Complutum venit, conuentum primum suorum sacerdotum celebravit. Quo
 in conuentu multa è Reipubl. ecclesiasticæ vtilitate decreta sunt facta: quæ
 postea in secundo conuentu Talabricæ habito retractata & confirmata vulga-
 uit. Eorum publicæ tabulæ quoniam ætatis iniuria interciderunt, atque ab inse-
 quentibus Archiepiscopis multa dissimulato nomine in ipso acta translata sunt:
 nonnulla referre, potissimum quæ viri pietatem & prudentiam declarant, non
 ab re esse existimaui. Sacerdotibus presbyteris facultatem eligèdi sacerdotem
 dedit, ad quem occulta peccata deferrent, vicaria huic potestate data de qui-
 buslibet commissis absolueudis, quorum ad se duntaxat ex legibus sacris cog-
 nitiõ pertineret: ne fortè rem diuinam peragere volentes huius rei obice retarda- 30
 rentur. Quod sub id tempus persæpe contingebat, cum nondùm tam multi Pont.
 Max. priuilegia ad id faciendum, vt nunc, adepti essent. Primariis sacerdotibus,
 (quos curas vulgò vocant) præcepit, vt singulis dominicis diebus post horas ve-
 spertinas (quas completorium vocant) campanæ sonitu, vicorum sibi subiecto-
 rum pueros ad Deiparæ Virginis salutationem conuocarent: ibiq; eos per se aut
 per ædituum, Christianæ religionis symbola edocerent. Quod ab eo tempore,
 non sine magno puerorum in Christiana pietate profectu, ad ætatem nostram
 perseverat. Quoniam sacræ aquæ vsus, quæ pro foribus templorum est, negli-
 gentia passim interciderat, leuibus peccatis lustrandis more maiorum instituta
 & consecrata, vt cuncti ecclesias ingredientiæ ea se diligenter aspergerent, multa 40
 etiam proposita cauit. Iam quoniam sacra patina circumferri solet deosculan-
 da, & peruersa quadam ciuilitate inductæ erant mutæ rogationes, quibus præ-
 termisissis graues offensiones & inimicitia inter ciues exoriebantur: cauerat Al-
 phonfus Carrillus, vt minister qui patinam gestabat, statim ac quisquã proximum
 rogare coepisset, ad altare patinam reduceret. Ximenius quidem noluit cæteros
 osculo patinæ immerentes priuari propter vnus ineptam ciuilitatem, sed subito
 ad alium transire, nulla illius ratione habita: & vt sic fieret, graui multa contra
 ministrum & parochum indicta cauit. Forensium causarum diurnitatem ex
 variis aduocatorum allegationibus proficisci certò sciens, quas in fraudem pu-
 blicæ vtilitatis ob priuatum ipsorum emolumentum introduxerant, maximo 50
 sanctæ Synodi applausu sic ad certam breuitatem reduxit: ne quis in ditione sua
 iudex, siue is ecclesiasticus siue laicus esset, in leuiori momenti causis libellum
 vllum admitteret: sed de plano (vt aiunt) illas dirimeret & iudicaret. In reliquis
 verò, vt maiorum decreta seruarentur: & post vnum & alterum libellum, qui-
 bus causæ fundamenta ab vtraque parte concluduntur, positionum & interro-
 gatio-

gationum libelli secundum quos & ipsi litigantes iurati respondeant, & testes
 etiam qui producuntur quid sentiant declarare teneantur, & tandem vltimus
 libellus offerretur, qui & contrariorum dictis refutandis, & suorum confirman-
 dis sit satis: vltra quem si vel denuo testes darentur, vel libellus porrigeretur, o-
 mnia essent reiicienda vt inepta. Quod si altera pars forum mutaret, exceptio-
 nemve aliam de nullitate (vt aiunt) opponeret, id intra octo tantum dies cogno-
 sceretur, & sexto post die sententia, quam interlocutoriam vocant, proferretur,
 & diffinitiuæ continuò post vigesimum. Decreuerant superioribus temporibus
 Archiepiscopi, vt sacerdos qui continuis quatuor mensibus sacerdotio abesset,
 10 eo statim priuaretur citra vllam allegationem: huiusmodi priuationem Xime-
 nius abrogauit, & ad ius commune reduxit: facile enim prece, aut munere, aut
 gratia hæc pænæ eludebantur, & sacerdos teste conscientia fructus perceptos
 suos facere non poterat. At nunc Tridentini concilii beneficio, his atque aliis
 incommodis obuiam itum est. Cæterum res duas cum primis viles & necessa-
 rias Ximenius primus tunc excogitauit: alteram, vt parochi librum in suis ec-
 clesiis habeant, in quo nomina eorum qui lustrali aqua per baptismum expi-
 antur, descripta sint, additis insuper patrum, & compatrum (quos vocant) nomi-
 nibus, anno etiam, die, & mense prænotatis. Quo sanè prouidenti decreto scele-
 ratis multorum diuortis occursum fuit: quos si quando legitimæ vxoris fasti-
 20 dium ceperat, falsis testibus subornatis compatratus prætextu, matrimoniis illi-
 citis copulabantur. Quin & ad tutelarum curationes, ad sacros ordines suscipi-
 endos, ad hæreditas & sacerdotia ineunda, ad milleque alios vsus posterij se iu-
 uari sentiunt. Alteram, vt parochi, quadragesimali ieiunio ineunte, eorum no-
 mina conscribant qui Christiano ritu confessiones arcanas, quibus tenentur sa-
 cerdotibus, fecerint: eaque ad Antistitem ipsum, aut ad Toletanum Complu-
 tensémve vicarios, vt ratio territorij exposcit, intra dies quadraginta teneantur
 deferre: sic enim Antistites certi esse possunt diuinis & pontificiis præceptis es-
 se satisfactum. Iubentur etiam vt ab ipsis certiores fiant, si quid publici, aut noui
 reatus exortum sit, quod ipsorum autoritate corrigi debeat. Quæ duæ res ma-
 30 gno cum ecclesiasticæ disciplinæ fructu adhuc in nostra diocesi obseruantur, &
 inde ad alias deriuatæ sunt: nunquam verò sine ingenti iactura immutabuntur,
 aut intermittentur. Quædam verò circa pietatem diuis debitam religiosè sanxit,
 fecutus in plerisque XIII. Pont. Max. instituta. Diem præsentationis Dei ge-
 nitricis Mariæ, 11. calendas Octobris, solenni pompa, & festo apparatu coli iussit,
 XIII. verò calendas Aprilis, eadem solennitate D. Iosephū virginis matris spon-
 sum, vt coleretur, non solum sanxit, sed in calendariū Toletanum, in quo deside-
 rabatur, referri iussit. Diui Francisci diem festum esse voluit, & sic in honore est
 dies eius habitus vsq; ad Taueram Archiepiscopū Toletanum, qui in ordinem
 redegit. Iulianum Pomerium Archiepiscopum Toletanum, ob vitæ sanctimo-
 40 niam, & eruditionem sacrarum literarum olim inter diuos relatum, sed tempo-
 rum negligentia minus cultum quam vita inculpata & scriptis meruerat, calen-
 dario etiam Toletano vt adscriberetur curauit, & eius diem pridie nonas Mar-
 tii sua in ecclesia celebrari. Hic præter diuinis de rebus volumina, scripsit etiam
 historiam de rebus gestis à rege Bamba sub quo ille vixerat, quæ in bibliothecis
 Hispaniæ asseruatur. His absolutis, ad publici vsus opera, quibus instituendis na-
 tura propensissimus erat, se conuertit: nam religiosas virorum sceminarumque
 domos, virginum maritandarum gynæcea, studiosorum collegia construere in
 animum induxerat. Cum primis verò liberalium artium & diuinarum litera-
 rum studiis, quarum ille semper amore flagrauit prouehendis, Academiæ Com-
 50 plutensis ceptum ædificium vrgendum esse putabat: cuius quidem augendæ
 ornandæque, adusque vitæ exitum, curam & cogitationem nunquam remisit.
 Dum hæc per Ximenium in diocesi sua geruntur, monasticorum ordinum cor-
 rectio, quam summopere vt fieret curabat, grauissimis vbiq; motibus ac sedi-
 tionibus agitabatur: siquidem fratribus conuentualibus passim tumultuanti-
 bus, non pauci insigni nobilitate atque autoritate viri fauebant, cum aliis qui-

dem de causis, tum hac potissimum, quod antiqua maiorum suorum sepulchra, facellæque sumptuoso opere exædificata, atque annuis censibus aucta sacrorum ibidem perpetuo celebrandorum causa, in horum cœnobiis erant: quæ facile peritura existimabant, si fratres obseruantes, quibus censuum huiusmodi immobiliumque bonorum possessio interdicta est, conuentualium loco substituerentur. Neesse enim esse videbant, ut bona ipsa atque census aliorum dilaberentur: illa enim partim scœninarum cœnobiis, partim fratrum obseruantium literariis collegiis instituendis applicanda esse vulgò ferebatur. Verùm hisce difficultatibus in Hispania regia auctoritate per Ximenium succurrebatur. Romæ autem, ubi præcipuus causæ vniuersæ cardo vertebatur, longè maiora impedimenta atque incommoda peruincenda erant. Proferebantur pacta quædam conuenta, olim inter conuentuales minoritanos, & fratres obseruantes secundi, & Sixti quarti, Rom. Pont. auctoritate firmata, quibus inter alia cauebatur, ne fratres obseruantes conuentualium fratrum cœnobia, domosve, aut alias possessiones etiam sedis Apostolicæ permissio recipere. Aduersus illam conuentionem, in hac monasteriorum reformatione fuerant nonnullæ conuentualium domus Ximenii opera, dum reginæ à confessionibus esset, ab obseruantibus receptæ, & regulari obseruantia, veteribus earum colonis contentientibus vindicatæ: qui precibus & præmio illecti, domos suas obseruantibus reliquerant: idque nihil superiorum Pont. prohibitione obstante, Alexan. 20 Sex. Pont. Max. auctoritate probatum fuerat: & obseruantibus, uti domos & monasteria conuentualium, de habitantium fratrum consensu recipere, ac liberè retinere possent, permissum. Qua ratione fiebat, ut ex conuentualium cœnobiis nonnulla ad obseruantium ordinem transferrentur. Id incommodum ne latius serperet, minister generalis qui conuentualis erat, & perpetuo magistratu fungebatur (nam nunc per sexennium tantum retinetur) ab eodem Alexandro summa contentione impetravit, ut in ea monasteriorum correctione minimè liceret eam curam gerentibus, sine certis quibusdam adiunctis sociis conuentualis instituti fratribus, ab ipso generali ministro designatis, officio suo fungi. Hos igitur Roma missos cum à regis correctoribus (quos reformatores 30 vocant) contemptui haberi, nec ullam ipsis in eo ministerio auctoritatem deferri intellexisset, Pontif. Maximum miris modis ad iracundiam prouocat, tanquam illius auctoritati potissimum illuderetur: corrogatoque Cardinalium quorundam fauore, qui conuentualium partibus studebant, edictum à Pont. Max. de amplissimi etiam senatus sententia promulgatur, quo vniuerso censuræ huius atque emendationis monasticæ negotio supersederi iubebatur: datis de eare ad Catholicos reges, quorum auctoritate res gerebatur, breuibus literis, quas regina ad se statim allatas ad Ximenium mittendas curauit: erant autem hoc exemplo.

CHARISSIMI in Christo filii nostri, Ferdinando regi, & Elisabeth regi- 40 næ Hispaniarum catholicis, Alexander Papa sextus. Charissimi in Christo filii nostri, salutem & Apostolicam benedictionem. Ut imponatur finis dissensionibus, & querelis quæ continuò afferuntur, à fratribus præsertim ordinis minorum sancti Francisci, propter commissam in istis regnis & dominiis vestris reformationem: pro qua à generali aliqui sui ordinis istuc transmissi, ut simul cum prælati per nos ad id deputatis huic negotio intenderent, officio suo minimè fungi permittuntur, & variis iniuriis (ut asserunt) se affectos conqueruntur: decretum fuit in consistorio, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium vnanimi consilio, ut tam ipsis transmissis fratribus, quam per nos deputatis huic reformationi commissariis inhibetur, ut in huiusmodi reformatione, & eius executione non procederent: sed supersederent, donec veritate 50 per nos intellecta prouideretur, & aliud mandarem. Quemadmodum maiestates vestræ ex literis venerabilis fratris nostri G. Episcopi Portuensis Cardinalis Vlixbonensis, eiusdem ordinis viceprotectoris, & dilecti filii Gasparis Lassii Oratoris nostri, ad quas nos remittimus, plenius intelligent. Dat. Romæ apud sanctum

ctum Petrum, sub annulo piscatoris, die nona Nouembris, M. CCCC. XCVI. Pontificatus nostri anno sexto.

Hoc nuntio Ximenius maiorem in modum commotus est: facile enim vir prudens animaduertebat, hoc Pontificis interdicto quanquam in speciem temporario, illud potissimum agi, ut causa tota in præsens sopita, perpetua deinde dissimulatione extingueretur: hac enim via solet plerunque perplexis negotiis exitus inueniri. Sed ut erat ingenio acri, & animo magno, maximis semper difficultatibus sese opponebat. Quare obice ardentior factus reginam adit, eamque à tam molesto negotio propemodum abhorrentem confirmat: solitæque 10 suæ constantiæ atque animi præstantis ut sit memor admonet: & summo studio orat, atque obtestatur, ne causam tam piam deferat. Molestissimam haud dubiè rem esse, odii, tædii, laborisque plenissimam, sed tantò perseuerantius in eam incumbendum. Fieri enim non posse, quin tandem Christus Opt. Maxim. tam sancta consilia esset numine suo fortunaturus. His verbis regina animum collegit, & Ximenio quicquid gratia & fauore suo apud Pontif. Maxim. effici posset, benignè promittit, dum modò negotii pondus ipse subeat, donec ad optatum exitum perducatur. Hoc cumulatissimè Ximenio de se pollicente, denuo rem vrgendam censet: & simul quid sibi præfenti occasione constituendum videretur, quid Romæ, quid alibi prouidendum exponit. Ximenii igitur 20 opera, labore & industria effectum est, ut summus Pont. interdicto illo sublato, totam eam censuram & reformationem non modò exequendam decerneret, sed Ximenio ipsi, vnà cum Catanensi Pont. internuntio, ac Giennensi Episcopo statim committeret exercendam. Sed tam arcto quidem mandato, quod aduersariorum improbitati datum fuisse videbatur, ut non liceret ulli ex tribus Pontif. vicarium pro se constituere, sed per se ipsos mandatum exequi tenerentur. Hoc decretum cum prorsus inane esse animaduertisset (nec enim fieri poterat ut ipse, eiusve collegæ tot prouincias obirent, & tot adirent monasteria) non conqueuit, donec vicarios pro arbitrio substituendi facultatem impetraret. Ita negotium procedere de integro cœpit, & diuina tandem ope compositis aut 30 sublatis maximis, quæ in dies exoriebantur, difficultatibus, transactum omnino est atque confectum: monasteriaque omnia (paucis quibusdam exceptis) ad eum quem cernimus obseruantia atque religionis statum reducta sunt, tanta quidem Ximenii laude, ut inter egregia eius præclaraque facinora vnum hoc censendum sanè sit maximum & clarissimum: vel ob rei difficultatem, vel ob publicam vtilitatem, tanto ex hac religionis reformatione fructu percepto. Si quis monasticam disciplinam illius seculi in memoriam reuocare volet, aut aliarum hoc tempore nationum monasteria cum nostris conferre curet, facile intelliget verissima esse quæ diximus. Igitur hac tempestate quicquid in monasteriis nostris modestiæ, religionis, continentia, sanctitatisque est, huic viro referri debet acceptum. His difficultatibus incredibili quadam cōstantia euictis, 40 sentiens Ximenius sibi cum huiusmodi hominibus non semel, atque iterum esse colluctandum: qui ei præfenti pontificalium literarum, aut diplomatum, atque etiam Apostolici palatii officiorum aut præfecturarum, quotidie graues & molesti futuri essent, sese ab eius foro eximentes, atque ad Pontif. Max. causas suas pertinere proclamantes: ne qua ergo hinc viuendi licetia in diocesi sua emergeret, quam omnium virtutum generibus exornatam & illustratam cupiebat, ab Alexandro vi. aduersus istorum immunitates summa Pontif. consensione, qui sanctissimis Ximenii conatibus prorsus esse annuendum iudicauit, breues literas huiusmodi obtinuit.

VENERABILI fratri Fracisco Ximenio Archiepiscopo Toletano, Alexander Papa vi. Venerabilis frater, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum sicut nobis nuper exponi fecisti, in tuis ciuitate & diocesi Toletana complures personæ ecclesiasticæ fore noscantur, quæ pro eo quod nostri & apostolicæ sedis officiales existant, tuam ordinariam iurisdictionem eludunt, & videntes se non posse à te corrigi multa enormia committere non verentur: quæ nullate- 50

nus auderent, si à tua iurisdictione se exemptos esse non cognoscerent: flos volentes desuper providere, fraternitati tuæ, de qua in his & in aliis specialem domino fiduciam habemus, contra tales personas sub prætextu huiusmodi exemptionum iurisdictionem tuam ordinariam effugere volentes, auctoritate nostra procedendi, & illos iuris remediis compescendi, omniaq; alia & singula in præmissis, & circa ea necessaria quomodolibet & opportuna, faciendi, gerendi, & exequendi, quæ facere posses, si officiales nostri, & dictæ sedis nõ essent, plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem: non obstantibus præmissis, atque constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die 10 xxiiij. Iunij, millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo. Has cū ille gratas suscepisset, partim earum auctoritate, partim regii fauoris auxilio, quod sibi benignè quoties opus erat dabatur, ita in omni disciplina & sanctitate diocesim suam continebat, vt homines denuo renati viderentur, & bellum omnibus vitiis indictum, priscamque illam feueritatem rediisse: quæ probum iudicem adepta, animos hominum ad virtutem natos, etsi arduo & difficili negotio, tandem veluti postliminii iure in suam possessionem reposuerit. Erat porrò id temporis Ximenius sic animatus, vt in palatina versari aula, regiumve comitatum sectari, è re sua esse non arbitretur, nisi maximum, atq; euidentissimum operepretium sperari posset. Quare si quando ad reges ibat, protinus omnes id non sine magna Reipub. vtilitate fieri dicebant. Certè nihilo minorem publicæ administrationis curam gerebat, quàm muneris Pontificii: omnia enim diligentissimè circumspectiebat, ac perlustrabat: & quicquid in aulicis officiis, ciuilibus muneribus, iurisdicundi præfecturis, publicæ pecuniæ exactionibus, in vniuersa deniq; Reipub. tractatione dignum emendatione videbatur, ad reginam extemplo referebat. Inter multa verò quæ ab ipso vtiliter, atque è Reip. commodo, curata hoc tempore atq; confecta sunt, vnum Ioannes Vergara commemorat: quod vt perpetuam populis peperit felicitatem, ita perpetua laude tribuendum illi est magnæ virtutis testimonium. Vexabantur miseri populares toto Castellæ Legionisq; regno, id est per vniuersam reginæ cathol. ditionem, durissima vectigalis exactione, quod alcabalâ nostri vocant: ea est decima rerum omnium quæ venduntur, aut permutantur. Quod tributis generis proauorum nostrorum memoria ad tempus, & velut precariò impositum, vt esset vnder rex cõtra Mauros tunc bellum gerere posset, posteriorum temporum patientia perpetuauit. Hoc vectigal multò fiebat grauius & iniquius magna publicanorum acerbitate atque auaritia, & innumeris præterea litibus, & calumniis ob merces omnino non professas, vel minoris professas, quàm distractæ essent: aded vt populis omnibus, non vno alioqui onere pressis, tam impudens expilatio intolerabilis prorsus videretur. Iam verò quibus aliquid pecuniæ ex vectigali, vel perpetua vel temporaria assignatione, vel stipendii salariiue nomine, aut alia de causa auctoritate regia attributum erat, vix id multo post tempore, & summa quæ debebatur accisa, recipiebant. Vsq; aded nihil à publicanis, decumanisq; sine quaestu & munere priuatim annumerabatur. Horum autem rapacitati cū variis promulgatis legibus occurri tentatum esset, reprimi quidem in præsens, nunquam tamen omnino comprimi posse videbatur. Quin ex ipsis nonnunquam legibus atque sanctionibus grauiora (vt fieri solet) suboriebantur incommoda. Nam cū ad vitandas quotidianas lites de mercium pretiis disceptantium, lata lex esset, vt iuratis venditoribus crederetur: tanta paulò post deprehensa est periuriorum, quæ verbis conceptis apud iudices dabantur, frequentia, vt nihil iam vulgò vilius esset, quàm iurifurandi religio, nilve magis vsurpatū quàm ipsius violatio. Fouebat verò publicanorum auaritiam ingens potissimum potentium generosissimorumque aulicorum numerus: qui partim vectigalibus illis locandis atq; exercendis, partim illorum rationibus subducendis, conferendis, cõficiendisque, luculentissimo salario præpositi, damno publico ditabantur. Tanti igitur mali à Rep. auerendi curam suscipiens Ximenius, adhibito in consilium Ioanne Lupo

Lupo Cantabro, argentariæ coactionis callentissimo, rationem excogitauit, per quam eiusmodi vectigalia sine vlla diminutione ad fiscum peruenirent: & quæ ex eis concessa esset pecunia, in priuatorum hominum vsus cum fide & in tempore persolueretur. Igitur regia auctoritate sancitum est, vt vniuersa annuæ pecuniæ summa (quanta videlicet id temporis ex decumanorum redemptione in fiscum recipiebatur) ciuitatibus, municipiis, oppidis, pro cuiusque frequentia, opulentia, & negotiationis modo distributa imperaretur: quæ per suos cuiusque populi coactores à singulis negotiatoribus, opificibus, venalitiis, propolis cogeretur, & regiis quaestoribus, aut ex horum assignationibus priuatis hominibus promptè numeraretur. Extraordinariis autem decimis quæ, vel externarum mercium nomine, vel ex venditionibus ciuium qui mercaturam non exercerent, sisco deberentur, redemptioni ciuium relictae sunt. Ita ingenti populorū consensu atque plausu, publicam temporum felicitatem gratulantium, tota illa decumanorum, redemptorum, mancipum pulsa colluue, quies publica, & velut libertas parta est: & vniuersorum illud periuriorum, vexationum, deceptionumq; seminarium è Reip. visceribus stirpitus euulsum est atque deletum. Hactenus perseuerat hic cogendorum eiusmodi vectigalium mos (quem vulgus encabezamentum appellat) adaucta tamen pro temporum ratione summa, qui nullo vnquam tempore sine magno Reip. malo mutabitur. Hoc quanuis multo post à Ximenio fuerit constitutum, quando scilicet sub extremum vitæ curriculum regnorum gubernationi præfuit, vt ex literis ipsius ad Carolum regem apud Belgas agentem satis constat, videtur tamen multò antè de hac re pertractasse cum Isabella regina: nam eius testamento, vt primo quoque tempore fieret, iussum est. Ergo re tam præclara ad Reip. vtilitatem constituta, in diocesim Toletanam reuersus, ne familiæ suæ deesse videretur, quanuis eius rei curam inuitus susciperet, tamè de vxore Ioanni Ximenio fratri, qui secūdus natu erat, quaerenda, inter familiares tractare cepit. Oblata est autem honestissima conditio: nam Madriti Ioannes Zapata nuper è viuis sublatus, Petri Zapatae Barajarū domini, cognomēto lusci, frater, filiam nubilem Helionoram legitime procreatam, sub Mariæ Luxanae vxoris tutela reliquerat, pulchritudine & genere præstantem. Igitur cū Maria Luxana Archiepiscopi animum & potentiam consideraret, facile mulier prudentissima præuidit, si natam Ioanni Ximenio traderet, optimè se illam collocasse omnibus visum iri. Matre ergo curate, & Archiepiscopo annuente, sponsalia sunt facta. Cæterum vt erat ab omni fastu alienissimus, statim post peractas nuptias, Turrilacunam vt frater cum vxore concederet iussit: vbi in priuato loco, eo que Pontificiæ ditionis, & proprio vtriusque natali solo, frugalius & commodius vitam agerent. Atque ita per id temporis modicis quibusdam possessionibus Ioannem fratrem contentum esse voluit, quibus colendis occuparetur: nam cætera ad victum & familiam necessaria facile ex Archiepiscopi liberalitate suppeditabantur. Hic dum Turrilacunæ cõmoratur, tres ex Helionora liberos suscepit: Benedictum Cisnerium, Diui Benedicti die natum: & Ioannam, quæ Alphonso Mendozio, Cluniensis comitis maioris natu filio nupsit: & Mariam, quæ aliquot post mortem Archiepiscopi annis, Petro Zapatae consobrino collocata est, cui postea Barajarum possessio cessit, Petro Lusco, qui ei auunculus erat, absq; liberis decedente. Benedictus qui in spem succedendi in caput gentis Cisneriæ, & familiæ nomē educabatur, in adolescentia liberaliter fuit institutus, & postea Petronillam Mendoziam primariam foeminam, ducis Infantatus ex sorore neptem, vxorem duxit. Huic Archiepiscopus magnam dotem dixit, attributis peramplis redditibus & possessionibus, peculiari Ximenii labore & industria partis, dum Oranum expugnat, & gubernationi regnorum præest: nam bona ecclesiastica, in vsu iure canonico designatos, nemo religiosus & solidus insumpsit. Helionora in ipso ætatis flore, Archiepiscopo superstitè, satis præcepta fuit, lacrymas & luctum marito relinquens. Erat insigni probitate & pudicitia: atque digna prorsus, quæ Archiepiscopi nurus esset. Benedictus literis Græcis & Latinis eruditus, magnam de se spem con-

citauit: erat enim ingenii acrimonia, & acumine mirabili præditus. Sed acutus ille & vehemens spiritus, qui raro sine furore prouenit, rebus gerendis parum aptum faciebat. Studiis literarum oblectabatur: & sæpe Madrito, ubi inter suos uiuere constituit, studiorum causa Complutum diuertebat: ubi ut Academiæ patronus colebatur, & familiaritate doctorum hominum gaudebat, in quos erat beneficus & liberalis. Lupum Alphonsum Ferreram politicioris literature profectorem magnopere coluit, à quo dicendi artem studiosè audiebat. Reges ob mortem immaturam Ioannis principis nimio mœrore penè obruti, sub mensem No uembrem iam hyeme appetente, anno m. cccc. xcvii. Valentia profecti, quæ ad pontem Tagi, quem Traiani vocant, in Lusitania sita est, Complutum ueniunt, 10 ubi tunc Ximenius aderat: cuius piissimis uerbis modum regina lacrymis & ægrimoniam posuerat: nam illam ut filii morte afflictam consolaretur non multo antè inuiserat. Quamquam ob Margaritæ abortum quæ grauidam Ioannes princeps reliquerat, aulæ luctus fuerat renouatus. Hospitium in domo Pontificia simul cum regibus eo tempore Ximenius habuit, quod eius authoritati datum fuit. Sub finem April. anni insequentis Toletum reges concesserunt. Ximenius uerò de sua dicecesi sollicitus, synodum sacerdotum quam secundam indixerat, dum illi Toleti dimorantur, Talabricæ congregandam curat, & in quibus sui hospitis Ioannis Aialæ, uiri in eo oppido primarii, magna sacerdotum frequentia piè & religiosè habuit. Nam singulis ferme diebus Ximenius pontificio ornatu sacra celebrabat: concionesque de rebus ad sanctam Synodum spectantibus, à uiris doctrina & probitate claris habebantur: ob quas Gregorius Castellus iudex pontificus, magnam apud omnes gratiam, sed apud Ximenium potissimum inuit. Ibi ea omnia quæ priore Synodo constituta fuerant, rursus approbata, & confirmata sunt: multa item de nouo adiecta. Ex quibus unum cum primis egregium, & ad morum licentiam emendandam necessarium esse visum fuit: ut in futurum scilicet, singulis quibusque annis Synodus saltem semel haberetur. Sed siue humanarum rerum accidat condicione, siue potius negligentia nostra & culpa, nihil minus curamus quam quæ maximè ex nostro usu sunt. Varia deinde negotiorum mole passim in Repub. gliscente, eiusmodi Synodi per eum cogi 30 amplius nequuerunt: neque post hæc à Ximenio habitas, vlla ætas nostra, præterquam semel à Ioanne Tauera, conuocatas uiderat. Sed per ecumenicū concilium Tridenti celebratum, magna Episcoporum & doctorum hominum frequentia, non modò cuiusque Episcopatus priuatas, sed prouinciales etiam Synodos fieri sancitum fuit: quas cura & religione Philippi regis catholici, frequentes cogi & haberi in Hispania uidemus.

LIBER SECVNDVS.

ROST conuentus sacerdotum celebratos, uulgatosque anno eius seculi 40 m. cccc. xcviii. dum sacris profanisque suæ diceceseos rebus componendis Talabricæ totus intentus esset, reginæ quæ Toletj agebat, & Cæsaraugustæ proficisci parabat, ubi solennes conuentus habendi erant de rebus permultis ad Reip. utilitatē pertinentibus, literæ sunt reddite, quibus iubebatur, ut quamprimum reginæ sequeretur: cuius opera & consiliū magno usui essent futura. Paruit illico Ximenius, & Complutum quò reges iter contulerant, properat: ubi paucis diebus commoratus, in Toletana & Complutensi præfectura, quæ in sua dicecesi amplissimæ sunt, duos grauissimos viros, Villalpādum, & Friasium, vicarios constituit: & regium è vestigio comitatum est secutus. Iter illi per Seguntiam necessariò faciendū fuit, ubi prima potestatis gerendi rudimēta, vicarius Petri Gonzalvi Mendozii exercuerat. Sacerdotes Seguntiensis ad Fontem calidum, id est vico nomen, obuiam prodeuntes, primatem venerabundi salutarunt: senes præsertim, qui longæ ætatis beneficio quondam vicarium uiderant. Ille omnes comiter susceptos cupidissimos sui dimittit.

mittit. Nam qui hominum, quibus cum uiuunt, tractandorum artem nouerunt, quosdam stimulos, & plenos veri amoris impetus, suæ erga eos beneuolentiæ, relinquere consueuerunt. Ventum est Harizam proximum nostris limitibus Aragoniæ oppidum: ubi illustri apparatu à sacerdotibus susceptus, quauis alieni regni ditionem ingressus, sui que iuris in primis tenacissimi, crucem tamen, quæ de more patrum, Toletanum Antistitem celsa præcedit, illic quoque antecedere se iussit. Meminerat, Petrum Gonzaluum Mendozium præclarissimo elogio testamento declarasse, crucem argenteam, quam sacro ecclesiæ Toletanæ ærario legauit, Granatæ olim in Alhambra arce pro vexillo erectâ, prima deditæ urbis auspicia demonstrasse: sequæ semper aut iter facientem, aut in urbibus diuersantem, per Compostellanam, Hispalensem, Granatensem, Cæsaraugustanam, Tarraconensem, Valentinam, aliasque omnes diceceses præcessisse, ut primatus insignis. Hæc honoris prærogatiua, regum, populorumque consensu Toletanis præfulibus meritisimè data est. Cùm Cæsaraugustam accessit, quo reges haud ita dudum peruenerant, uoluit sine ullo strepitu urbem ingredi, sed proceres non permiserunt. Nam inter alios, Alphonius Aragonius catholici regis Ferdinandi filius, Cæsaraugustanus Antistes, & Aragoniæ regnis gubernandis præfectus, humanissimis officiis Toletanum præfulem prosequutus est. Hic cùm res graues incidissent, quibus tractandis Ximenii præsentia necessaria fuit, nulla in re quantum prudentia ualere magis ostendit, quam cùm Isabella regnorum hæres, in Emanuelis Lusitani coniugis complexu, qui illuc uenerat unâ cum uxore, post Ioannis principis mortem, regnorum successioni ab Aragoniis destinandus, acerbissimo fato erepta fuit. Nam Aragonii, Valentini, & Cataloni ingenti controuersia in dubium uertebant, an successio illorum regnorum, ad fœminam posset iure deuolui. Sed partus doloribus subito correpta, quorum impotentiæ & vi, infirma alioqui puella sufficere non ualens, animam efflauit. Quæ, ut scriptores eius temporis testantur, longissima uita digna fuerat. Nam ut nomine, & uultu, ita quoque animi dotibus matrem clarissimam referebat, corpore tamen macro magis, & gracili. Cùm ergo è dolore grauius laboraret, Ximenium accersi regina iubet, ut in tam graui discrimine parturientem religiosis dictis confirmaret, & ad omnem fortunæ casum paratam faceret. Hoc ita prudenter Ximenius effecit, ut cùm eam ex uultus coniectura morti proximam iam esse præsentiret, piissimis sermonibus sic mortem contemnendam esse persuaserit, ut hac uita mortali spreto ad Deum quamprimum euolare concupisceret. Vix ex utero prodeunte infantulo, animam in Ximenii manibus Isabella emisit, non indignantem aut mœrentem, quòd ante diem in ætatis flore occumberet, sed potius uiri sanctissimi monitis exultantem & lætam obnixè. In illa uiltima uitæ respiratione, à Ximenio petiit, ut desolatorum parentum curam susciperet: & ne quid ex subito casu incommodi caperent, prouideret: nam eos proculdubio tam graui ictu consternandos esse certò nouerat. Fecit id sedulo Ximenius: & cùm utrunque parentem mœstissimum offendisset, & Isabellam apud Deum Opt. Maxim. agere profusus lachrymis dixisset: tanta commiseratio regum animos inuasit, ut Antistitem bono animo esse iuberent: & se mortales esse, & mortalem genuisse dicerent, & ob temporis transacti usuram immortalis Deo gratias agere. Hic iam fronte confirmata Ximenius, coepit apud eos de rerum mortalium inconstantia grauius differere, benè actum esse cum principe filia prædicans, quæ è terrena possessione, & caduca, ad immortalem & celestem translata esset. Quòd aperte declarabatur, cùm ex dictis pietatis & sanctimoniam plenis, quæ moribunda protulit, tum ex rebus paulò antea actis, quibus mortem sciuisse aperte intelligebatur. Crebrò enim fœminis palaunis dicebat, unâ cum partu mortem quoque sibi adfuturam. Quocirca priusquam tempus partus accederet, conscientiam suam diligenter excussit, & viros religione & sanctimonia claros assiduos sibi & frequentes adesse uoluit: quibus cum multum sermonem de alterius uitæ mysteriis habuit. Quæ omnia etsi regum animis maiorem dolendi causam darent, quòd se tali hærede priuatos intelligerent, eum tamen

dolorem regibus cum multis aliis communem esse, Ximenius dicebat, quorum permultum intererat eam diutius superesse. Ceterum Deo Opt. Max. ea omnia curæ futura, cum præfertim editus in lucem infantulus vulnus maternæ mortis mitigaret, & animos res novas meditantium contineret, beneque de omnibus sperare faceret. Nam ut naturali patrioque affectu eos concitari, nemini mirum videri deberet, ita quoque summæ sapientiæ, & excellæ cuiusdam virtutis esse, qualem omnes ab illis exposcebant, vulgares naturæ affectus superare, & potius animum ad æquitatem componere, quàm se nequicquam affligere. His, atque aliis sermonibus cõfirmati reges, optimo Antistiti pro tam beneuola & sapienti oratione gratias agentes, bonam doloris partem deposuerunt: atque nepotis in quem vniuersa regnorum successio inclinauerat, cura suscepta, non multò post lustralibus aquis aspergendum curauerunt, Michaelis nomine indito. Qui ex Ximenii consilio, lectica aureis stragulis exornata in complexu nutricum per totius ciuitatis vicos circumlatus est: quò nimirum mœrori sedaretur, qui ex insperata Isabellæ principis morte, omnium animos occupauerat. Quamquam & hic quoque ferme biennio post, cum ex matris imbecillitate multum contraxisset, Granatæ obiit: & ad Ioannam maiorem natu filiam, quæ Philippo Maximiliani Imperatoris filio nupsit, hæreditas peruenit, fatis nimirum Carolum rerum imperio parantibus. Hac miserrima catastrophe Aragoniæ conuentibus solutis, in Castellam reges reuertuntur, & vnà Ximenius Antistes. Quibus Ocannam nobile ac fertile oppidum in Carpentania aduenientibus, ille Complutum statim reuertitur: neque enim moram, sine aliqua maxima causa, in regum aula facere (quod superius dictum est) proposuerat. Decurrebat iam annus à Christo nato supra millesimum quingentesimus, sui verò Pontificatus quintus: quo tempore cum aliquid otii sibi fuisse concessum videret, quod secundo ab hinc anno meditari cœperat, de studiosorum collegio Compluti erigendo, omni opera vrgendum curauit. Nam tertio postquam electus est anno, qui quadringentesimus nonagesimus octauus eius seculi fuit, iam ille aream Compluti designauerat, totiusque ædificii symmetriam, ex Petri Gumelii præstantissimi architecti arte adumbratam comprobauerat. Quod sanè nobis argumento est, simul cum propo-
 30
 sita pontificatus suscipiendi sententia, literariam domum ædificandam sibi proposuisse. Toto igitur semestri tempore in hoc intentus, pridie Idus Martias, hora ferme post meridiem quarta, cruce Franciscani cœnobii præeunte, & sodalibus religiose supplicatione facientibus, iacta sunt collegii diuo Ildefonso dicati fundamenta. Quibus ille profcindendis adfuit, & antequam lapis primus poneretur, quod felix faustumque esset, puris precibus ad Deum fufis, auspiciatissima oratione, & signo crucis locum expiauit, Geniumque Complutensem illustriorem fecit. Illic enim sub Sanctio quarto Castellæ rege, qui Ferox cognominatus est, Gõzalum II. Archiepiscopum Toletanum scholam condidisse certum est, eisdem
 40
 immunitatibus præditam quibus Pintianum gymnasium: ut ex diplomate regio, quod Compluti adseruatur, fatis constat. Nimirum situs hilaritas, & vicini fluminis amenitas cum pari cæli benignitate, modò non clamare videbantur sedes illas musis aptissimas esse. Ergo illico aurea & argentea numismata per Gonzaluum Zegri (qui tunc fortè Ximenio comes fuit) fundamentis de more prisco sunt iniecta: & imaguncula palmi longitudine ex ære fusa, sacco & cucullo Franciscanum monachum referens, dextro frontispicii latere, cõcauo loco post primum lapidem in fundamento est collocata: intra cuius cauum pectus pergamena charta (ut aiunt) inclusa fuit, Francisci Ximenii fundatoris, & Petri Gumelii architecti, & anni, mensis, & diei, quibus ea geri cœpta sunt, memoriam seruans. Mirum est hunc diem à sapientissima Academia inter fastos suos repositum non fuisse, & religione maxima celebratum: quemadmodum olim natales vrbium dies colebantur, & nunc dedicationes basilicarum & templorum coluntur. Cum præfertim exemplis innumeris eius diei felicitatem fulgere videamus, tam ingenti doctrinæ luce Hispaniæ reipubl. & huic potissimum Transmontanæ regioni parta. Dum in Academiam constituendam Ximenius incumberet, & totus in re præ-
 cla-

clarissima esset, reges Granatam nuper à Maurorum ditione multis laboribus & ingenti virtute receptam, ad eam confirmandam, & in officio retinendam, prudentissimo consilio venerunt. Vbi cum multæ res passim occurrerent, quæ regibus alioqui prudentissimis negotium facefferent, dubiosque & suspensos tenerent, Ximenii præsentia necessaria visa fuit: cuius solertia & consilio ancipites illæ res expediretur. Quapropter ad reges illicò venire iussus, quod tum gerebat intermittere coactus, vniuersæ fabricæ cura Balthanaso viro optimo & illarum rerum peritissimo cõmissa, Granatam venit: vnde reges post mensem Hispalim profecti sunt: Ximenius verò donec reuertentur Granatam mansit. Multa interea
 10
 ad illius vrbis tranquillitatem, multa ad mutua Christianorum cum Mauris commercia, multa denique ad religionem ipsam spectantia excogitauit. Nam cum diuina prouidentia & beneficio, Ferdinandus Talabricensis Hieronymiani ordinis sodalis, vir sanctimonia & doctrina clarus, ad eius vrbis Pontificatum assumptus esset, facile Ximenius ab homine minimè ambizioso obtinuit, ut concordibus animis de illorum salute inter se communicarent, eosque omni cura & diligentia ad Christi fidem reducidos curarent. Quod cum diligenter secum cõsiderassent, hæc demum ratio ad id exequendum potior visa fuit. Vocatis primò ad se sacerdotum illorum principibus (quos illi Morabitos & Alfaquinos vocant) cum iis quotidie mansuetè & comiter de rebus ad religionem spectantibus disputare, nihil per vim cum illis agere, sed potius omni libertatis genere eorum animos sibi deuinciendos curare, quod & fecerunt. Nam partim sericis telis, partim rubris pileis coccineo grano tinctis, quibus gens illa impensè delectatur, non contemnenda summa comparatis, donatos à se dimittebant. Qui nuper igitur contempti & captiui esse videbantur, æqua libertate & splendore cum victoribus se frui cernentes, animis paulatim erga nostros conciliatis, Christi dogmata amplecti cœperunt: populoque deinceps suadere, ut mendaci Mahometo abnegato, Christum verum Deum sequerentur. Fuit id adeò prouidens & salubre consilium, ut intra paucos dies Alfaquinorum authoritatem turbæ secutæ, ad Baptismum petendum cateruatim conuolarent. Nam dies quidam inter fastos relat-
 20
 30
 40
 50
 tus est, quo plusquam tria millia hominum lustrali aqua expiata sunt. Quos cum non posset Ximenius priuatim singulos de ecclesiastico more tingere, decreuit aspersorio vniuersos lustrare, quod mersionis simplicis locum habuit. Cœpta est fieri eiusmodi conuersio, xv. Kalend. Ianuarias anno Domini M. cccc. xcix. qui dies Gotthicis temporibus, Reccesuintho rege procurante, Angelicæ ad Deiparam virginem legationi, ex institutione Eugenij II. Archiepiscopi Toletani, non autem Ildefonsi (ut vulgò creditur) consecratus, religiosissimè & persanctè colitur. Cum hoc igitur auspiciatissimo die bona quadam Ximenii fortuna, tanta res fieri cœpta sit, ingentis huius beneficii causa, quo resp. Granatensis tunc per eum affecta fuit, Deiparæ virgini, sub cuius tutela ecclesia Toletana est, solennia facta cum Granatæ, tum Toleti eo die quotannis faciendâ curauit. Hæc nunc duabus his celeberrimis vrbibus magna senatus religiosi cura celebrari, & confici videmus. Bona pars Granatensis vrbis iam fidem Christi libérrimis animis susceperat, quando exorti sunt quidam contumaces & rebelles, qui paternarum traditionum nimis studiosi, dolentesque prisca Maurorum superstitionem in Hispania funditus eo exemplo perire, populi animos crebris concionibus à Christianismo vehementer deterrebant. Hos omnes Ximenius, ne quid detrimenti nouellæ illæ plantationes caperent, vinculis coercitos in custodia detinuit: & quod eius ingenio repugnabat, indignis modis tractari permittebat. Inter hos Zegri quidam, partim ob generis nobilitatem, partim ob egregias animi & corporis dotes, authoritate præstabat. Nam sermone hominum iactabatur, è patritia illius Abenhamaris familia, qui rhythmis vernaculis passim à nostris hominibus decantatur, rectam originem trahere. Is magnopere assidua contra suos increpatione Ximenii pios conatus retardabat. Qua de causa decreuit Ximenius, omni ferè humanitate deposita, seuera in eum ratione animaduerrere, & ei quem comitate & beneficentiâ nullo modo potuerat placare,

atrocia remedia admouere. Data est cura cicurandi hominem Petro Leoni, Ximenii à sacris ministro, qui verè animo leonino præditus ad eò fortiter in ea re se gessit, vt hominem alioqui ferum, & immani animi truculentia reluctan-
 tem, mansuetum & humilem reddiderit, prorsusque Ximenii voluntati obtem-
 perantem. Nam aliquot post dies, siue impotentia difficilis conuinctus, siue po-
 rius diuino ad id inspirante fauore, qui omnibus hominibus ad salutem præsto
 est, Zegri ad Alfaquinum Christianorum (sic enim dixisse memoria proditur)
 se deduci quamprimum postulat. Deducitur vincus vt erat, & squalidus: qui
 à Ximenio petiit, vt quò posset liberè eloqui, vinculis illum iuberet exoluere:
 neque enim quicquam pro rato habendum esse, quod ab homine captiuo com-
 pedibus & manicis constricto diceretur. Ille vinculis leuatis, continuo genu-
 bus volutatus, terram primùm, deinde manum propriam, ex Maurorum ritu à
 prisca gentium adoratione dimanante, deosculatus, se velle fieri Christianum
 dixit: id enim sibi ea nocte manifesta visione ab Ala (ita enim Mauri Deum
 vocant) admonitum: seq; diuinitus ad eam rem vocari certò scire. Quod tunc
 proculdubio se declaraturum esse confidebat, quando tale quippiam accidisset,
 vbi eius fides erga Christianos exposceretur: vt interim taceret, quantum mo-
 menti ad rem quam in præsentia parabat Ximenius, sua ad Christum conuersio
 allatura esset. Sed ne ego ridès (inquit) stultus sum, qui aliunde momenta requi-
 ro, quàm ab hoc tuo ferocissimo leone, cui si nostri semel committantur, nemo
 erit, qui nõ illico Christianus fiat. Hoc aut renidenti vultu, quasi subnotare veller
 Leonis erga se acerbiter. Lætior ea de re quàm credi potest Ximenius, ablatis
 captiuitatis vestibus, totoq; illo pædore absterfo quem ex diurna eaq; grauif-
 sima custodia cõtraxerat, veste coccinea & sericea indutum, ad sacrum fontem
 venire iubet. Vbi ille per baptismum reuiuiscens, nomen simul cum religione
 mutauit: & Gonzalum Ferdinandum Zegri se appellari voluit: quoniam olim
 adolescens, in latissima illa planitie quæ ante urbem Granatam est, cum magno
 Gonzalo Ferdinando, forti dimicatione & ancipiti certamine, manum con-
 feruerat, viresque ducis præstantissimi cum singulari humanitate expertus fue-
 rat: & potissimum in gratiam optimi Antistitis, quem magni Gonzali amicum,
 ob eius excellentiam, esse sciebat: certè illum officii nõ vulgaribus, in sui amo-
 rem pellicere curauerat. Qua de causa cù paulò antè Neapolim Gonzalus ma-
 gna instructus classe iterù nauigaret, regnum illud è Gallorum faucibus, quod,
 irritis sceleribus factis, per vim & fraudem occupauerant, erepturus: itineri ac-
 cinctus ad Ximenium venit: nihil prosperum sibi fore existimans, si Antistite o-
 ptimo & sibi amicissimo in salutato oram soluisset. Commodissima accidit Xi-
 menii consiliis hæc Gonzali Ferdinandi Zegri conuersio: nam simul atque id
 vulgatum fuit, Mauri quibus prisca superstitio cordi erat, animis mutatis, Chri-
 stianismo iniantur. Tantum potest vnus hominis apud populum autoritas,
 qui sua virtute & animi præstantia fidem sibi & amorè inter suos peperit. Quin-
 quaginta millibus nummùm in singulos annos à Ximenio Zegri donatus, non
 modo Christianæ religioni apud suos dilatandæ, sed & Reip. commodis augen-
 dis multis in rebus postea vsui fuit: quemadmodum in Ferdinadi regis catholici
 historiis traditur. Hoc successu exultas Ximenius, occasione tam commodã vr-
 gendam, & totum Mahumetanum errorem penitus ex animis illorum, quando
 opportunitas dabatur, extirpandum esse ratus, nihil illorum opiniones moraba-
 tur, qui inueteratam cõsuetudinem paulatim aboleri consultius esse censent: id
 enim tantùm in rebus parui momenti, & vbi de animarum salute non agitur, lo-
 cum habere existimabat. Ergo Alfaquini ad omnia obsequia eo tempore exhi-
 benda promptis, Alchoranos, id est suæ superstitionis grauissimos libros, & om-
 nes cuiuscunque authoris & generis essent Mahumetanæ impietatis codices,
 facile sine edicto, aut vi, vt in publicum adducerentur impetrauit. Quinq; mil-
 lia voluminum sunt ferme congregata, quæ variis vmbilicis, punica arte, & o-
 pere distincta, auro etiam & argento exornata, non oculos modò, sed animos
 quoque spectantium rapiebant. Multi eis se donari à Ximenio petierunt, sed
 nemini

nemini quicquam concessum est. Ignibus omnia, publica in pyra, ad vnum exu-
 ri, præterquam aliquot ad rem medicam pertinentia, cuius gens illa, nõ sine ma-
 gno profectu studiosissima semper fuit, quæ propter saluberrimæ artis dignita-
 tem, ex incendio illo liberata, in Bibliotheca Complutensi nunc seruantur. Ha-
 ærenus quidem prospero cursu Antistiti nostro propositum successerat: & quan-
 uis res difficillimas & grauissimas sit aggressus, incomparabili tamen prudentia,
 qua semper est vsus, omnes ex voto confecerat. Non deerant tamen quibus in-
 dignum esse videbatur, prorsusq; ab instituto Christiano alienum, quenquã per
 vim aut huiusmodi artibus, ad fidem Christi capeffendam adigere, cuius vnicus
 scopus mansuetudo est, & prompta in primis, ac sincera voluntas. Cùm præfer-
 tim Toletanis conciliis, quorum tam celebris apud omnes Christianos autho-
 ritas est, seuerè admodum sancitum sit, nemini vim ad credendum Christo in-
 ferendam. Cæterùm ille consilium in ea re faum secutus fuit, pauloque post ad
 durissimùm scopulum allidens, vt in rebus humanis, quoties aliquid præclarũ ten-
 ratur, parata semper inuidia est, quæ ardua quæq; negotia subuertit, milleq; im-
 pedimentis obsistit, animi sui constantiã ostendit, quantumq; robur pectori in-
 esset, in acerbissimo casu declarauit. Est in vrbe Granata locus, qui Albaizinus à
 Mauris appellatur, regio prærupta, & reliquæ vrbi imminès, & suis mœnibus ab
 eadem separata, quæ domorum plusquam quinq; millibus habitatur. Illuc fortè
 fortuna, quidam ex Ximenii familia venerat, cui nomen Salzedus erat, duobus
 ministris comitatus, exiis qui pedites Ximenium præbant. Hos Albaizinenfes
 aliquot conspicati, qui iam dudum priuata aliqua de causa Salzedo infensi erãt,
 verbis primùm asperis & duris eos accipientes, deinde obiurgatoriis, & contu-
 meliosis, postremò vesanis, & furore plenis, mutuo sese cœperunt accendere, &
 in eam tandem rabiem deuenerunt, quæ mentis aciem & rationem obscurans,
 vulnera demum, & homicidia patrat. Pedites igitur duo illi ministri ferro sunt
 miserabiliter confossi, eademq; Salzedum fortuna secuta fuisset, nisi cõmodum
 se proripuisset, & Mauræ mulieris beneficio sub lecto occultus tantisper delituis-
 set, quoad ille tumultus sedaretur. Sed non ita facile sedari potuit, nam clamori-
 bus hinc inde increbrescentibus, cùm adhuc captiuorum pectoribus dulcissime
 libertatis imago obuolaretur, occasionem eiusdem recuperandæ sibi dari auidè
 exoptantibus, cœpit vniuersus Albaizinus concuti, & hinc & inde arma concla-
 mari. Excitata demum tota ciuitas est, & omnium animi ad res nouas erecti, nihil
 magis quàm defectiõnem minabãtur. Augebatur in singulas horas furor, quoq;
 minus resisti poterat, eò maiores vires capiebat. Superuenit interea nox, quæ o-
 mnia incommoda auget, sed timori potissimum incrementa magna addit, ani-
 mis bonorũ vltro sese cõtrahentibus, & faciem illam tenebrarũ formidantibus.
 Mali verò homines per noctis licentiam pudore ac metu liberi, citra vilius reue-
 rentiam, impunè quilibet tentare audent. Quare illico vniuersi Granatenfes,
 siue quòd dissimulãter Ximenio tanquã suæ superstitionis euerfori infesti, iram
 & odium iam dudum occultabant, siue potius quòd ex eius familia suos illos ri-
 uales esse agnouerant, quibus cum nuper ad Albaizinum contentio habita fue-
 rat, domum Ximenii obsidere instituunt: & quem paulò antè cantilenis per vi-
 cos celebrabant, liberalitatem eius prædicantes, quam in se demerendis nullis
 sumptibus parcens exhibuerat, nunc quæ vulgi leuitas est, mutatis animis do-
 mum eius cingunt, eumque è medio tollere volunt, aut certè vniuersam eius fa-
 miliam, cui oppidò quàm indignati erant. Suadebant plerique Antistiti, vt tur-
 barum furorem in tempore euitaret, protinusque ad Alhambam se conferret,
 id est vrbis Granatenfis præsidium, vbi cohortis prætoriæ dux cum electissimis
 militibus ad tuendam ciuitatem excubat. Pium consilium refutauit Ximenius,
 indignumq; suæ grauitate duxit, se des aliò ea nocte mutare, cùm præsertim peri-
 culum esset, ne eo absente in familiam sæuiretur. Idcirco ad omnem fortunam
 paratus, maluit cõmunem euertum cum suis expectare, quã quicquam alienum
 sua constantia facere. Nox illa fuit terroris plena, totaque infomnis peracta est.
 Nam fidi famuli pro hero solliciti, herus contrà illorum curam gerens, mutuis

officiis sibi prospiciebant: nihilque esse in tanto metu remittendum arbitrabantur, quod ad salutem suam pertineret. Vt autem aurora diluxit, quoniam tumultus duraturi videbatur, Tendillano comite ad se accersito, qui Alhambrae custodiae praefectus erat, ciuitatis curam magnopere commendat, atque suos praetorianos milites, qui ducenti plus minus habebantur, vt paratos in procinctu habeat. Ipse interim prudentia sua omnia tentare, nullum lapidem non mouere, nunc Alfaqinos, nunc turbas alloqui, semperque nostris spes bonas ostendere, vt facile eos motus comprimendos, pristinaeque vrbi serenitatem Deo Opt. Max. annuente restituendam esse crederent: quod tamen ante decimum diem factum non fuit. Neque enim, quanuis omnem diligentiam, omneque studium ille adhibuisset, ante id tempus pacari potuit. Tertio statim post coortam seditionem die, cum vellet Ximenius nuncium quam velocissimum ad reges mittere, quo de his omnibus quemadmodum acciderant edocerentur, iamque iter adornaret, accessit vir eius ciuitatis patritius Cisnerus nomine, qui se Aethiopen habere dixit, pedibus in singulos dies octoginta quatuor millia passuum, si opus esset, facile conficientem: cui si negotium demandaret, intra biduum reges proculdubio literas quas mandaret recepturos affirmabat. Facile Ximenius persuasus est, & Aethiopo ad se venire iussu literarum fasciculum dat, quem in manus reginae, aut si id minus liceret, Almazano regio secretario traderet. Digreditur omnia promittens Aethiops, qui vt est hominum sordidorum ingenium, nihil suam existimationem reputantium, ad secundum, aut tertium diuersorium sese epulis & vino obruens, in sequentem diem iacuit. Quinq; dies praeterierant neque vnquam Hispalim quo mittebatur peruenerat. Accidit id periniquo fato Ximenio, sed vt nonnullis videbatur, commerito, qui misero homuncioni, & vt genus id hominum est, non satis mentis compoti, tantam rem commiserit. Quanquam ingens turbatio homini quantunuis constanti solet mentis dimidium eripere. Na cum variis curis distrahitur animus, mirum non est si omnia non praecaveat. Peruenerat interea ad reges Granatensis tumultus fama, eumque multis partibus adauxerat, tota ciuitatem rursus in ditionem Maurorum uenisse, & ta atroci & graui iactura Ximenium Toletanum antistitem occasionem omnem dedisse, dum studio nimis pertinaci Mauros, homines adhuc rudis, & traditionum suarum tenaces, nullis praemissis catechismis, aut doctrinis, subito vellet Christianos fieri. Stupor in primis reginam tenebat, quae ferme iam rumoribus credens, de Antistitis sui prudentia dubitabat, cum ab eo nihil per tot dies renuntari, nihil quod factum excusaret, aut afferri, aut scribi videret. Regem vero, cui tot ingentibus laboribus, tot difficultatibus, vrbis illius expugnatio constiterat, grauis quidam dolor occupabat, adeo vt iram conceptam non dissimulans, indignabundus ad reginam quae Ximenium excusabat dixisse vulgatum sit. En tot maiorum nostrorum, & nostros triumphos, Hispanae nobilitatis sanguine & sudore partos, ob Ximenii tui stultam peruicaciam, momento temporis dissipatos, & euersos. Haec regis tam iusta, vt tunc omnibus videbatur, increpatio eodem mentem reginae acrius pupugit, quoniam nondum coniugis animo excidisse sentiebat. Alphonso Aragonii filii honores praereptos, & Ximenii praelati iniuriam. Anxia igitur animi regina, literas doloris, & querimoniae plenas ad Ximenium quamprimum dedit. Quas cum ille recepisset, tandem secum cogitare cepit, quantum rebus detrimenti proueniret ex ignauis & socordibus ministris: si quidem impuri Aethiopsis causa, laudem suam & auctoritatem, in offensionem & contemptionem apud reges uenisse animaduertebat. Qua de causa deinceps cauit, vt probos & strenuos homines, vel ad minima quaeque negotia susciperet, hoc sepe numero inter familiares dictitans: Qui operam exactam in conficiendis negotiis captat, exactos etiam ad ea ministros conquirat oportet, magnoque illos in pretio habeat. At qui facile quoslibet sine examinatione ad ardua vel leuia tractanda ex aequo admittit, is plerunque rem male gerit, nec habet quem accusare possit negligentiae, praeter seipsum. Ergo vt regum indignationem, & conceptam iracundiam mitigaret, Franciscum Ruizium sodalem suum cum mandatis

dati Hispalim ad reges misit, statim se illuc venturum promittens, rationem omnium illis redditurus, simul ac motus Granatenses resedissent. Adeo rem omnem Ruizius a principio eleganter edocuit, adeo singula per partes disseruit, vt regum animos, serie rerum actarum audita, leniuerit, & suo patrono praescam beneuolentiam restituerit. Post vero Ximenius Hispalim ueniens, omnem praesentia sua, si qua remanserat, offensionem absterfit. Nam omne animi sui consilium, circa res Granatenses, accuratius patefecit: quod se tantisper reges celauisse dicebat, ne quid sibi impedimento essent ad id opus quod parabat peragendum. Stumptibus igitur immodicis consideratis, quibus profusissimas largitiones in Mauros fecerat, & vitae discrimine quod sustinuerat animaduerso, cum nullius ad id auctoritate, aut imperio cogeretur, aut vllum inde emolumentum, nisi vnicam Dei Opt. Max. gloriam & laudem captaret, non solum omnis indignatio discussa est, omnisque ratio offensionis abolita, verum magna illi actae sunt gratiae, quod rem tam difficilem animo primum concipere ausus, ad exitum tam felicem perduxisset. Nam cum Albaizinenfes laesa maiestatis lege tenerentur, conditioque illis proposita esset, vtrum supplicium mallent, an baptismum: ad Christum omnes ad vnum sunt reducti, & simul quicquid in reliqua vrbe infidelis turbae commiserat. Quos omnes Archiepiscopus Granatensis, in partem gregis sibi commissi receptos, sedulo vt par erat, Ximenio adiuuante, Christianis mysteriis per singulos dies imbuendos perstudiosè & sanctissime curauit. Sacris etiam missarum, ceterisque diuinis psalmodiis, quae ex antiquorum patrum traditione, in orthodoxis ecclesiis decantantur, eos interesse consuefaciebant. Sed quoniam Granatensis Archiepiscopus lectiones, quae interdum ex veteri, aut ex nouo testamento, horis praesertim nocturnis occurrebant, vulgari eorum idiome recitari passim demandabat, librosque excudi permittebat, qui adhuc ex eo tempore in nostram aetatem durat, quibus aliquot missarum solennia, & nonnullae euangeliorum partes in Arabicam linguam translata continentur, secutus vt credo, quod Paulus ad Corinthios scripsit, Ximenius qui Paulum longe aliter interpretabatur, indignum esse, & penè per piaculo dicebat, margaritas ante porcos proiicere, hoc est, hominibus nondum bene in religione confirmatis sacra nostra irridenda, aut contemnenda proponere. Hac enim mundi senescens calamitosa, & deploranda aetate, quando hominum vulgari mentes tam longe ab illa puritate, quam Pauli temporibus retinebant, degenerarunt, nihil minus conuenire, quam sacrosancta illa, & non nisi a viris integerrimis & sanctissimis percepta oracula idiomaticis vernaculis vulgari, quae indocti, vt Petrus Apostolus ait, ad suam perniciem detorquent. Nam talem esse vulgi naturam dicebat, vt obuium quodque & expositum contemnat, abditum vero & inaccessum in pretio habeat & reuereatur. Idcirco vt quaeque gens prudentissima fuit, ita quam longe a mysteriis suis profanum vulgus & turbas arcuisse, quin & ipsum Christum, sapientiam summi patris, multa quoque non alia causa in parabolis dixisse assererat, quam vt a turbis imperitis absconderet, suisque discipulis seorsum reuelaret. Placere quidem sibi eos sermone vulgari libros circumferri, qui ab hominibus piis scripti, aut optimorum exemplorum enarratione, aut ardentibus verbis, & grauibus rationibus, prudentique adeo, & maturo dicendi stylo animos profus deiectos excitarent, & ab his rebus, quae sensibus se offerunt, ad illa diuina contemplanda reuocarent, quales ipse in vulgus edendos, quamprimum esset otium, meditabatur. Caeterum nouum & vetus instrumentum, in quibus multa sunt, quae doctum & attentum lectorem, castumque & pium hominem requirunt, tribus illis linguis asseruanda esse, quas non sine maximi mysterii causa carissimi filii capiti, in acerbissimo quod patiebatur supplicio, Deus opt. max. superponi voluit. Iam vero diuinans affirmabat, tunc demum magnam Christianae religionis perniciem adfuturam, quando vtriusque testamenti oracula, in vernaculas linguas vulgarentur. Id enim pessimis quibusque vulgari hominum ignorantia abutentibus, ad vniuersum catholicae ecclesiae statum labefactandum, paratam occasionem subministraturum: cum

nihil sit facilius, quam stultæ plebeculæ imponere, sapientiæ præsertim opinionem sibi ex vulgatis mysteriis arroganti. His tam prudentibus Ximenii dictis, non nihil ab eius consilii progressu temperatum est, quanuis eis, qui Talabricensis fauebant, visa sint paulò duriora. Cæterum plusquam vellemus veracem Ximenii sententiam, rerum quas cernimus euentus, comprobauit. Magnè deinceps apud omnes venerationi Ximenius esse cœpit, siquidem tam graui affectus incommodo, & tam arctis angustiis circumuentus, neque ipse animo defecerat, neque se in latebras abdiderat, aut regum suorum conspectum fugerat. Porrò plus mentis acie videre, quam solent homines, credebatur, quòd re ancipiti, neque planè confirmata, barbara ciuitate adhuc suum Mahumetum spirante, tanta animi contentione, vt Christi doctrinam amplecterentur, laborauerat & effecerat. Idem ferme consilium Fernandus Cortesius amplissimi imperii Mexicani expugnator, cuius antiquorū Imperatorum æquandus, siue longissimam, eamque difficillimam ad ignotas terras nauigationem, siue rerum gestarum magnitudinem consideremus, secutus proditur: qui incredibili audacia, & ingenti Christianæ religionis amore, simulatque urbem aliquam in potestate ceperat, illico templa feruidus intrabat, & cunctis attonitis animique eius præsentiam admirantibus, aris dæmonum expiatis, eorumque imaginibus euerfis, Christi crucem reponebat: illamque adorandam prædicabat, vique adhibita, repugnantès nonnunquam cogebat. Ordo rerum à Ximenio gestarum me admonet, vt quid ad harum gentium tunc repertarum salutem & vtilitatem, ab optimo antistite excogitatum sit, paucis exponam. Nonnullis antè annis, quam hæc quæ modò dicebamus fierent, Christophori Colūbi Genuefis solerti industria, incogniti orbis notitia ad reges nostros allata fuerat. Vbi cum multa grauias & Christianis hominibus indigna per nostros duces, & centuriones, reliquumque item Hispanorū militum vulgus, qui illuc commeauerant, patrari nunciarentur aduersus illas gentes, alioqui imbelles, & inermes, statim Ximenius, dum Hispali apud reges moratur, cœpit cogitare, quo pacto his malis succurreretur. Nam cum omnes illuc traicientes, vnico tantummodo opum congerendarum studio tenerentur, vnicaque illa inexplebili auri cupidine, terras sub alio sole iacentes, quærerent, primò de deprædandis, & spoliandis miseris hominibus, & ni aurum proderent, malè multandis, post de erudiendis, & Christo iniandis, maligna & perfunctoria cura agebant. Idcirco regibus Ximenius suauis, vt viros religiosos, sanctimoniam & integritate vitæ præstantes, ad eam rem curandam transmitterent, qui solutionis vite licentiam omnem comprimerent. Id statim religiosissimi principes effecerunt, & de Ximenii consilio & voluntate, cum cæteris viris, qui ex omnibus Hispaniæ cœnobis electissimi conquisiti sunt, vnà quoque sunt profecti Franciscus Ruizius Ximenii comes, Ioannes Trassierrus, & Ioannes Robledus, omnes Ximenio carissimi, & intimi: quorum cum ille probatissimos mores, & insignem eruditionem cum non vulgari pietate coniunctam abunde nosset, voluit magis humano affectui pro tempore cedere, quam Christi nomini & gloriæ deesse. Multum enim interesse existimabat, per quos in tam barbaris tamque late patentibus terris fides prima plantaretur, & coleretur. Ex his Franciscus Ruizius, cum ad cæli mutationem sustinendam parum firmo corpore esset, incommodissima valetudine vexatus, post semestre tempus, ad reges, & antistitem suum rediit, Francisco Boadillo Hispaniolæ præfecto, in custodia secum adducto, vt repetundarum reus ageretur, & variarum criminationum, quæ aduersus illum opponebantur, apud regium senatum rationem redderet. His rebus confectis, & ad hunc modum ex voto compositis, quoniam ex Granatensibus molestis, cæterisque omnibus immodicis curis, quas ob reipub. commodum sponte subibat, permultum tædii & languoris Ximenius contraxerat, annuente regina, cui potissimum eius absentia molestissima erat, in diocesim suam, à qua iam diu abfuerat, rediit. Complutum Natalem Domini celebraturus venit, qui iam supra millesimum quingentesimus secundus numerabatur. Tamen antequam

tequam Hispali discederet, cum aliquando diui Lazari Nosocomium, quod extra muros vrbs de more est, inuiseret, & ægrorum frequentia reditus impares esse intellexisset, vt tricena millia nummum in singulos annos compararentur, curauit: quibus eo morbo laborantibus aliqua ex parte subueniretur. Dum Compluti Ximenius moratur, Academiæ molem quam parabat adurgens, & pontificiæ suæ ditioni omni studio & cura prospiciens, Alpuxarrenses, qui montes niuosos vrbi Granatæ imminentes incolunt, partim Granatensibus indignati, quòd cæremonias patrias reliquissent, partim ne ipsi quoque ad easdem deferendas cogerentur veriti, præruptorum montium quos habitant natura freti, defectionem adorti sunt. Hæc res non mediocriter animos regum conturbauit, nam in expugnanda prouincia, nullibi durius aut periculosius laboratum & dimicatum fuerat. Cuncti in Ximenium denuo fremere, eiusque rursus consilium improbare, quòd pertimescendæ illius seditiois causa & origo videbatur. Idcirco per literas à regina reuocatus rursus Granatam venire cogitur, operibus ædificiorum quibus intendebat, interruptis. Quòd cum iter studiosè faceret, antequam ad urbem Granatam perueniret, omnem tumultum regis virtute sedatum fuisse, & Alpuxarrenses, totumque illum saltum habitantes, qui à colore Sierra Vermigia nostra tempestate, olim Orospea Græco nomine propter tramites rupibus impeditos est appellatus, acri prælio & cruento deuictos, tandem Christi sacra suscepisse per amicorum literas agnouit. Cuius rei nuncio lætitia magna, vt æquum erat, affectus fuisset, ni Alphonsum Aguilarium, magni Gonzalui fratrem, in eo prælio occubuisse intellexisset, dum stationem quandam tempore incommodissimo tueri contendit. Nam noctis tenebris occupatus, & imbribus penè obrutus, miserabiliter montis faucibus interclusus, trucidatus fuit. Cecidit pugnans innumerabilibus vulneribus confossus, & postremò immanissimi hostes eius cadauer in frustra disseuerunt. Periit simul magna familiarium ac fidorum manus, qui vt illum defenderent fortissimè depugnarunt. Permultum ea victoria animos Ximenio obtractantium placauit, qui totam illam querimoniam de Mauris ad sacra nostra coactis depofuerunt. Ximenium Granatam ingredientem reges benignissimè susceperunt: cui in Alhambra arce, vbi catholici reges diuersabantur, locus ad manendum est datus: omnique genere comitatis, & fauoris, liberaliter est tractatus. Dum igitur duorum ferme mensium spatio, arcanis grauissimisque de rebus cum regibus assidue agit, & cum nobilioribus ex Maurorum gente hominibus, qui se hortante Christi religionem susceperant, libenter versatur, & fidei Christianæ ab eis rationem exposcit, in morbum grauissimum hac de causa (vt creditur) incidit. Est vrbs Granata non quidem à malo punico hiante dicta, vt vulgò creditur: nam Granata Maurorum lingua horreorum domus est, vt periti illius sermonis interpretantur, fabellam ad id peruetustam recensentes, de principe scemina, quæ antiquæ Illiberis incola, ex cuius ruinis Granatam esse ædificatam volunt, sua illic frumenta recondebat. Tota vrbs quinque collibus affurgit: in medio Alcazaba, & Alhambra est, quæ ex altera parte turribus Vermigiis, ex altera verò Albaizino clauduntur. Hic in duo iuga diuisus, quintum monticulum ad septentrionem constituit: cui horti, quos Hinadamares vocant, iunguntur. Imminent vrbi montes perpetuis niuibus tecti, quos Serram niuosam vocant. Alhambra regiam & prætoriam cohortem, eiusque præfectum (vt supra demonstrauimus) tenet. Quæ quoniam loco excelso posita est, ventis tenuibus assidue perflatur. Ea verò Alhambra pars, vbi Ximenius honoris causa à regibus manere est iussus, latis fenestris portisque patentibus aerem illum copiosissimum admittit. Vnde homo assiduis curis confectus, ac propterea corpore imbecillo, in ægritudinem grauissimam incidit. Quæ cum longior videretur, parumque medici remediis vulgaribus proficerent: reges quos sollicitudo incredibilis tenebat, lecto accumbentem salutarunt, & dulcissimis verbis consolati, & bono vt esset animo hortati sunt. Male habuit humanissimam reginam, & Ximenii inprimis amantem, tanta virium.

in eo diminutio: idcirco digressa, agitare cum medicis cepit, an habitaculi & loci mutatione eius saluti consultum iri crederent. Quibus in re ancipiti & parum cognita omnia tentanda esse suadentibus, regina per nuncios obnixè postulat, ut quoniam medici è salute sua id esse statuebant, quibus in capitis periculo non obtemperare piaculum est, mutatis sedibus Genalarifum adeat. Is est locus Alcazabam versus, extra Alhambram positus, viridarius & hortis amœnissimus, quò nimirum vernis temporibus exhilarandi animi causa Granatæ reges se conferre consueverant: inde quod est prospectus iucundissimus in bonam ciuitatis partem, quæ intuentium oculos subiecta vrbe mira ratione & varietate oblectat. Paruit regis mandatis Ximenius: sed neque ob hoc melius se habere sentiebat. Mensis vnus iam elapsus erat, postquam ille Genalarifum migrauerat: indiesque deteriori valetudine vsus, morbo vires maiores assumente, marasimum grauissimum contraxit: in idque febris genus incidisse videbatur, quæ Græco nomine hectice appellatur: quoniam ossibus inhaerens, consueta & familiari tabe vix sentitur, donec corpus exedit. Nihil medici interea inconsultum, nihil intentatum aut inexpertum relinquebant. Regina ad illum, quod eximia cuiusdam beneuolentiæ indicium erat, iterum visendum anxia diuertit. Omni sermonum genere iacentem confirmat, beneque eum sperare iubet. Sed morbi importuni & sæui, principum hominum præsentiam non verentur: nihilque minus illis deprecantibus aut iubentibus, in mortalia corpora sæuire desinunt. Erat ferme ad maciem extremam reductus Ximenius, medicis omnibus nihil se amplius ad eius salutem præstare posse apertè protestantibus. Fortè nobilis ex Mauris mulieribus fœmina Francisca nomine, quæ quondam Christi sacra, Ximenii lustrica aspersione, inter cæteros susceperat, & quam Zualio sportularum & penoris præfecto, fidelissimo ex suis ministro, matrimonio collocauerat, dum ad multam noctem in Ximenii cubiculo intimorum familiarium colloquiis interesset, de eius valetudine inter se tractantium, ad Ximenium, illis astantibus accessit: & nosse se (inquit) Granatæ permultos rei medicæ peritissimos, qui nulli medicorum Christianorum cederent, sed potissimum mulierem, hac de causa in magno pretio apud omnes habitam: quæ longæ ætatis beneficio edocta (erat enim plusquam octogenaria) sine vlla venarum sectione, & sine vlllo pharmaco, solis vnctionibus morbos depelleret, corporaque in pristinam sanitatem restitueret. Quod si eam liberet accersiri, non dubitabat, quin Deo fauente, salutem esset recepturus. Placuit Franciscae oratio. Et quoniam salutis dulcedo magna est, etiam eius spes hominum animos mirè afficit: vnde cuius se medicum protestanti, quod viri sapientes iam olim annotarunt, incunctanter fides habetur. Sed non tam id facere exoptatæ salutis imaginem alii existimant (quanquam est omnibus ea suauissima) quam finistram opinionem de medicis vulgò conceptam plerunque temere se gerentibus. Neque enim multum referre existimatur, his aut hominibus imperitis, æque vtrisque in tenebris errantibus, desperatam salutem committere. Accersita illico est vetula, quæ venis exploratis, & ventre pertentato, non esse medicis insultandum, dicit, si morbum periculo & difficultate plenum artis vi depellere nequiuissent: se tamen, Deo auxiliante, sub cuius tutela tantus vir spiritum ducebat, sperare ante octo dies ad pristinam salutem Ximenium reducturam, vnctionum duntaxat & herbarum beneficio. Vnum tamen interea præmi loco deprecari, ut id medicis insciis ageretur: qui authoritati suæ consulentes, huiusmodi medelas ab illiteratis hominibus profectas verbis atrocibus consueverant improbare: statimque ad artis suæ præscripta, pugnis quibusdam verborum, quarum illa imperita erat, omnem rem deducendam curarēt. Quod etsi illa parum morabatur, remediorum suorum nempe conscia, permultum tamen ægrotantis interesse, ne quid ei scrupuli aut suspitionis ex illorum dictis suboriatur: quasi verò dona sanitarum, non magis numinis beneficio, quam ope vlla humana comparentur. Equum postulare visa est mulier: & ne quid deinceps medicis innotesceret, curatū est. Ergo per noctis tenebras iam omnibus digressis,

sis, sedula anus ad Ximenium veniebat: eumque nemine repugnante vnctionibus fouebat, leniterque oleo condito perfricabat: donec tandem assiduis medelis, intra octo dierum præscriptum tempus, fidem suam mulier liberauit. Namque omni febris liberum Ximenium hilaritati solitæ restituit: & qui se in lecto vix mouere poterat, iam pedibus ambulare gestiebat: quod per probam seruatricem facile concessum fuit. Interim tamen dum firmior reddebarur, gestatione vti iubet: & antemeridiano præsertim tempore, qua flumen Darrus præterfluit, animi securus & tranquillus, ut aliquot spatia obambulans conficeret. Nam à maioribus longo experimento obseruatum erat, Darri auras aded salutare esse, ut vel vnico earum remedio, sæpe ægri desperati conualuerint: & idcirco grabatis decumbentes, quando aliter fieri nequiret, ad ponticulum Darri educi solitos, quater ab Alhambra ad Alcazabam est. Est enim riuus alioqui aurifer, quod ipso nomine indicari ferunt, de auro in Darrum per Arabes mutato, barbarè nimirum prolata voce. Quod ego quamuis argutè excogitatum, non tamen esse verum existimo, sed fortasse Græca potius nomenclatura, quales multæ passim in vernacula lingua seruantur, Darrum quasi Diarreon dictum, quod inter Alcazabam & Alhambram fluat, urbemque interscindat, ad differentiam Singilis fluminis, quod ad turres Vermigias per campum, qui à rege appellationem habet, ab vrbe distans non nihil feratur. Cùm verò paululum vires confirmasset, ut quamprimum in patriam terram contenderet monuit, familiarium locorum beneficio pristinam salutem prorsus habiturus. Facta sunt omnia ex eius præscripto, nam illico adhortantibus regibus, Ximenius in Castellam profectus, antequam Complutum quò iter instituerat veniret, integra iam sanitate fruebatur. Ibi ergo patrii cæli indulgentia, & otii nunquam antea concessi beneficio, rursus animum ad cæpta opera cõuertit. Sed quoniam in eum locum, ex omnibus reip. Christianæ Gymnasis, bonas literas iamdiu ab Hispania exulantes reducendas, ut diximus, curabat, ad Complutum exornandum sese comparauit. Igitur viam illam, quæ maxima appellatur, reſtitudine & longitudine conspicuam, cæno ex aquarum pluuiarum sordibus, quæ propter loci planitiem stagnabant, oppletam, lapidibus vniuersam sterni iussit, & medio alueo paulum deprimi, quo aquæ præcipites sensim laberentur, illamque puram & vicinis domibus innocuam relinquere. Hanc aliquot post annis Alfonso Fonseca, tertius à Ximenio antistes, vir polioris vitæ, & torius elegantie gnarus, ad eam pulchritudinem, quam nunc cernimus, reduxit, ablatis ligneis columnis, & earum loco marmoreis substitutis. Aiunt tunc animum fuisse Ximenio, viam illam maximam ad portam vsque Mantuanam continuare, omnibus ædificiis quæ sese obiter obicerent dirutis, sed negotiorum multitudine, rerumque grauiorum interuentu, quod proposuerat nequaquam effecisse. Interea dum hæc gerebantur, Franciscus Ferrera, Complutensis ecclesiæ abbas, qui quarto ferme ante anno Romam missus à Ximenio fuerat, de Academia Complutensis erectione cum Romano Pontif. acturus, vir sanè industrius, & ad congressum potentiorum aptus, obtentis literis, diplomatibusque illis quas breues vocant, ad eam rem conficiendam necessitati, ad Ximenium venit. Ex partim Alexandri sexti, partim Iulii secundi indulgentia, omni benignitate, omnibus gratiis & fauore refectæ, liberalissimè concessæ sunt. Quas postea Leo x. ingeniorum & studiorum magnus fautor, incrementis multis confirmauit. Fuit enim Ximenius quo tempore vixit, summis pontificibus carus, tum propter summam in sedem apostolicam perpetuò reuerentiam, tum propter non vulgaria, in eosdem priuatim officia, de quibus suis in locis dicemus. Sub hæc eadem tempora Philippus catholicorum regum gener, & Ioanna eius vxor, Fontarabiam, extremum Hispaniæ oppidum & Galliæ oppositum, quod priscum Olearsum fuisse creditur, peruenerant, literis accersiti, ob magna reipublicæ negotia. Philippus, ut prægnanti Ioannæ consuleret, iter per Gallias eo tempore facere instituit: vbi comiter per Gallum accepti, omni que regia magnificentia tractati, in Hispaniam dimissi sunt. Postquam Toletum principes nostros venire, ut ibi hære-

ditariæ successioni à populis Hispanis destinarentur, Ximenius literis reginæ certior factus est, quæ iam Toleti eos opperiebatur, continuò Compluto discedens Toletum, nouis principibus, cum cæteris omnibus Hispaniæ proceribus, qui illuc conueniebant, reuerentiam exhibiturus venit, & aduentum faustum eis gratulaturus, qui tam longinquis regionibus emensis, Diuis iuuantibus, incolumes tandem in suam Hispaniam venissent. Per octo ferme dies, quibus Ximenius principes antecefferat, omnem curam intendit, vt fenatus, populusque Toletanus, tanto imperio designandos principes, quàm splendidissimo posset apparatu ad se primò venientes exciperet. Fecit id sedulo officiosa ciuitas, regibus suis demerendis alioqui propensa: nam per omnes vicos, & vrbis plateas, publica lætitia certatim ab omnibus colebatur. Ximenius eo quo ingressi sunt die, qui anni millesimi quingentesimi secundi, septimus Maij numerabatur, pontificalibus ornamentis indutus ad templi vestibulum, intra portam indulgentiarum, vbi ara pro tempore extructa crucis signum rasili auro & mira gemmarum copia ornatum ostentabat, venientes opperiebatur. Postquam prostrati crucem adorarunt, à Ximenjo venerabundè sunt erecti & ad templi aram maximam deducti, vnde post preces ad Deum fusas, in regiam ad parentes profecti sunt. Quinq; ferme menses Toleti ea de causa moratus Ximenius est, parum quidem aulicas delicias curans, cæteraq; hominum militarium oblectamenta, quibus per eos dies regius comitatus sese exhilarabat. Ergo intentionem ad ea conuertit, quæ iam diu animo meditabatur. Intelligebat sanè vir prudens sacrorum voluminum lectionem, quæ Biblia Græco nomine passim appellatur, cunctis qui sacris initiati sunt, sed præsertim theologis maximè esse necessariam, nullibiq; magis eosdem illos rerum theologiarum studiofos dormitare, quàm in ea versanda tractandaq; idque potissimum è trium linguarum ignorantia prouenire Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ, quibus non solù quicquid scitu dignum est in omnibus disciplinis profanis, est proditum, sed sacra omnia continentur. Diuinabat vir prudentissimus, in tanta hominum nostrorum inertia, diuinas literas negligentium, impios homines quamprimum exorituros, qui earum lectione armati, & ad suos affectus detorquentes, Christi ecclesiam ausu quidem nefario, & immani, à nostra tamen imperitia profecto, impugna- re, & euertere tentarent. Quin antiquissima quæque Christianæ religionis tempora secum reputans, diuina prouidentia ita esse factū videbat, vt quemadmodum à prudentibus imperatoribus ex hostium, cum quibus dimicant, pugnandi natura, ratio & consilia sumuntur, ita quoque aduersus dæmonum artes, qui ingeniis humanis percallidè abutuntur, remedia quoque ex eodem fonte petenda esse. Christus enim opt. max. vnde omnis sapientia ad homines emanat, sanctos ecclesiæ Christianæ patres per quasdam doctrinarum vicissitudines, aduersus emergentes hostes cōuenientibus armis prudentia sua instruxit. Ximenius, qui ex publica morum corruptela, ipsorumque adeò religionis principum immoderantia, vulpeculas aliquas in occulto nutriti coniectabat, quæ vineam mysticam cum minus expectaretur demoliri tentarent, neque ad id aliunde comparato præsidio, quæ ex factorū voluminum perperam intellectorem promptuario, non abs re timere cœpit, ne nostri imparati, & in vtriusque testamenti libris peregrini & hospites deprehenderentur. Magni igitur Origenis diligentiam imitatus, qui hexaplis illis decantatis, omnes sacrorum voluminum, quæ tunc habebantur, translationes in vnum coniunxerat, editionem Bibliorum faciendam curauit. In ea veteris testamenti libri ternis columnis per singulas paginas sunt distincti. Prima Hebraicam lectionem tenet, media vulgarem, qua nunc vtimur, tertia versionem Græcam lxx. interpretum translatione etiam Latina illustratam. In margine verò inferiori, ne quid desideraretur, Chaldaica, quam vocant, paraphrasis subiecta est, Latina versione è regione apposita. At nouum testamentum Græcam lectionem quàm emendatissimam, & vulgarem translationem habet. Additum est postremum volumen Hebraicarum dictionum eruditum & copiosum Onomasticon, ab eius linguæ peritis valde lau-

laudatum. Id in aliquot bibliorum huiusmodi libris, quorundam incuria, qui eos asseruandos susceperant, non sine graui iactura, desideratur. Res fuit cum primis operosa, & magnifica, & quæ non modò tam ingentem principem, sed etiam ingentis animi virum, ad difficultates omnes euincendas rem tam arduam comitantes, requireret. Accersit continuò ad se homines vtriusque literaturæ peritissimos, Demetrium Cretensem natione Græcum, Antonium Nebrissensem, Lopidè Astunigam, & Fernadum Pintianum, Græcarum literarum & Latinarum professores, quorum scripta & studiofa monumenta passim nunc in manibus habentur: Alphonsum medicum Complutensem, Paulum Coronellum, & Alphonsum Zamoram, Hebræarum rerum consultissimos: qui cum olim inter suos publicas scholas fuissent moderati, tunc Christianæ fidei sacris ex animo susceptis, ecclesiæ orthodoxæ domestici & alumni essent, meritò ad tantum negotium à Ximenio sunt vocati: quod illorum virtuti, eruditioni & constantiæ, meritò est commissum. Cum his viris de suo consilio sermones confert, liberalissimè impensas promittit, & singulos præmiis propositis priuatim inuitat. Ante omnia festinandum admonet, ne, vt sunt res mortales caducæ, & fluxæ, aut illi patrono ad eam rem promptissimo, aut ipse tam accommodis adiutoribus priuaretur, quorum præsentiam & operam pluris quàm vllas pretiosas possessiones, aut diuitias æstimaret. Accenduntur cuncti Ximenii verbis, & ab eo die, donec vltima manus fuit imposita, nihil est à viris eruditissimis cessatum. Conquisiti sunt vndique, vtriusque testamenti vetustissimi codices, ad quorum fidem castigatio excudendorum fieret, & vitiosa loca sanarentur, & quæ dubia & obscura essent illustrata collucerent. Sed potissimum adiumento fuerunt Bibliothecæ Vaticanæ venerandæ antiquitatis apographi, quorum copia per Leonem x. Pont. Max. benignissimè Ximenio facta est, cuius iam tum magnificentia demiratus, cœpit hominem in magno pretio habere: & eius consilium, quamuis in vltimis terris positi, quoties reip. Christianæ negotia postulabant, in rebus arduis requirere. Lxx. tamè translationis explicatio, partim ab aliquot Academiæ Complutensis eruditis hominibus, qui iam tunc sub Demetrio & Pinciano præceptoribus in Græcis literis non vulgariter profecerant, partim à Demetrio, Pinciano, & Astuniga, adeò feliciter confecta fuit, vt nihil à lxx. interpretibus iuxta Græcam eruditionem sit dictum, qualia per multa apud eos habentur, quod à nostris in tanta breuitate fuerit prætermisum. Fuit inter hos ad hoc munus vocatus Ioannes Vergara, cui libri, quos vulgò Sapientiales vocant (vt ab eo sæpius audiui) explicandi sunt commissi: in quibus multa quæ in vulgata translatione difficilia esse videbantur, in antiquam lectionem restituit: nihilque magis seni, cum otio fruebatur, sibi dicebat in votis esse, quæ librum ecclesiastici (quem Panaretum vocant) scholiis aliquot illustrare: sed retardauit præclarum institutum incommodissima valetudo. Durauit ab hoc anno, qui m. d. li. Christi nati fuit, annos continuos plus minus quindecim de sacris bibliis edendis cura: vt penè cum Ximenii vita, finem quoque editio susceperit. Vbi si per partes narrandum esset quantum laboris exhaustum sit, quantum tædii & fastidii deuoratum à viris illis operi præfectis, in exemplaribus excutiendis, quamq; multiplici & ardua negotiorum mole Ximenius interim aliò euocaretur, nimium profectò in eis dicendis immoraremur. At illud vnum quod ad impensas à Ximenio in ea re absoluenda factas pertinet, reticendum nequaquam est. Septem Hebræa exemplaria quæ nunc Compluti habentur, quatuor millibus aureorum ex diuersis regionibus sibi comparasse, Alphonsus Zamora Hebræarum literarum professor, septennero referebat: vt interim de Græcis & Latinis taceam, quorum illa ab vrbe Roma, hæc tum ex peregrinis locis, tum ex variis in Hispania bibliothecis, ab octingentis ferme annis characteribus Gothicis scripta, magnis sumptibus Complutum sunt delata. Iam verò Chalcographorum & scribarum salaria, doctorum hominum non vulgaria præmia, mercedes internuntiiis propositas, quibus ad codices vetustos adipiscendos vtatur, assiduam denique subministrantium cateruam, quam ad res quæ in sperato emergebant

expediendas sustentabat, & mille alia, quæ longum esset referre, si bene quis ratione subducta numeret, quinquaginta millium aureorum, & amplius, summam conficiet: quod & maiores natu frequenter dicere audiui. Hac tandem diligentia, & auctoritate, & liberalitate, opus illud absolutissimum produit Leoni x. Pontif. Maxim. dicatum, cum in testimonium grati animi, tum quod vniuersa, quæ ad sacrarum literarum illustrationem pertinent, nemini magis quam Romano Pont. penes quem tota ecclesiæ Christianæ auctoritas est, consecrari & offerri debeant. Opus me hercule miraculo par, & cuius tanta apud omnes qui vbiunque terrarum in sacris literis versantur, veneratio est, vt ad Complutensium bibliorum exemplum, quicquid aliubi excuditur, certatim 10 reuocetur: & in sapientissimorum virorum scriptis, quoties de lectione sacra controuertitur, testimonia ab eisdem petita proferantur. Hoc ergo, quod diuini beneficii loco ego quidem reponendum arbitror, signo dato, mentes nostrorum hominum, atque adeo mortalium cæterorum, ad sacras literas tractandas sese conuerterunt, & velut ex longo veterano ad sacra mysteria perscrutanda euigilant: quæ, vt in precemiis huic operi per viros illos eminentissimos propositis, sapienter & copiose dicitur, multam lucem, ne vniuersam penè dixerim, ex linguarum cognitione, quibus vtrumque testamentum scriptum est, suscipiunt. Audiui Ioannem Brocarum Compl. excusorem, Arnoldi Guil- 20 lielmi Brocarii filium, sæpenumero ad æquales dixisse, eo ipso die quo vltima manus à patre operis excusioni imposita fuit, se puerum eleganter vestitum cū vltimo bibliorum volumine ad Ximenium venisse: qui impendit lætatus ita cælum suspiciens acclamauit: Grates tibi ago summe Christe, quod rem magnopere à me curatam ad optatum finem perduxeris. Et ad familiares continuo conuersus, equidem (inquit) cum multa ardua & difficilia reipub. causa hætenus gesserim, nihil est amici, de quo mihi magis gratulari debeatis, quam de hac bibliorum editione: quæ vna sacros religionis nostræ fontes tempore perquam necessario aperit: vnde multò purior theologica disciplina haurietur, quam à riuis postea deductis. Non satis animi sui magnitudini Ximenius ingens hoc bibliorum edendorum opus esse arbitrabatur, adhuc alia secum voluebat, quæ 30 morte præuentus absoluere non potuit. Nam vt Ioannem Vergaram, aliosque complures, qui eo tempore apud eum vixerunt, dicentes audiui, Aristotelicorum voluminum editionem parabat: vt singulæ paginarum facies ternis columnis distinguerentur: quarum prima græca Aristotelis verba emendatissime contineret: media vulgatam translationem: extrema verò nouam quandam, & liberio rem versionem: vt eis veluti commentariis, scriptoris alioqui difficilis sensus abditi illustrarentur. Nam ad earum disciplinarum cognitionem, quas in schola sua tractandas proposuerat, eum quoque authorem per necessarium esse intelligebat. Atque ad nouam illam versionem faciendam, viros aliquot in græcis & philosophicis literis doctissimos accersendos vndeunque curasse. 40 Huic rei inter alios qui adhuc conquirebantur, Ioannes Vergara designatus est: qui diligenter Latinos fecit octo de physico auditu libros, tres de anima, Metaphysices verò quatuordecim. Hi Toleti in templi maximi bibliotheca seruantur. At cum bibliorum editioni Aristotelica esset successura, atque illa nondum absoluta Ximenius è viuis sublatus sit, mortis præoccupantis iniuria, quæ semper viris magnanimis periniqua & immatura accidit, præclari operis ingenti spe studiosos homines frustraui. Verum hæc ad eruditorum virorum studia iuuanda esse videbantur. Illiterata verò & imperita turba, quorum maxima vbi que copia est, ne vanis fabulis, aut Milesiacis historiis, quibus 50 quot sanctimonia & pietate plenos, quibus ipse se olim priuatus oblectauerat, partim latinè edendos, partim in linguam vernaculam per viros prudentes transferendos, eosque non sine magnis impensis vulgandos curauit. Hi sunt Catherinæ Senensis epistolæ, Angelæ Fulginatis, & Metildis opuscula, Ioannis Climaci gradus, Vincentii Ferrerii, & Claræ virginis cœnobitarum suorum viuendi

viuendi instituta, Christi vitæ meditationes, quas Landolphus Carthusiensis scripsit, Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis vita: qui omnes, si Landolphum demas, cuius adhuc memoria recens est, propter excellentem vitæ puritatem, incorruptos & grauissimos mores, in diuorum numerum relati, scriptorum suorum pietatem commendant: veraque documenta exhibent, quibus in tanta hominum peruersitate, & in tanta omnium viuendi licentia, ad arduam illam virtutis viam rectum iter dirigere possimus. Sed cum hi libri partim ab antistite per cœnobita diuisi, partim à bibliopolis euestigio distrahi fuerint, paucissimi nunc inueniuntur, & sui pretium raritate adaugent. At verò cum diuinis 10 cantibus obeundis musici libri mutili & laceri in ecclesiis haberentur, veritus ne quando illorum inopia diuinæ laudes intermitterentur, quæ mirum in modum, illa præsertim simplici modulatione, quam Gregorianam vocant, piorum animos religione afficiunt, in membranis vniuersam officii diuini seriem multis voluminibus excudi iussit, appositis etiam musicis notis, quæ per suam diocesim distribuit. Hæc si nunc excudenda forent, magnis sumptibus & impensis opus esset. Durant adhuc ex illis multa, sed quæ senio & casibus tandem conficiuntur, nisi alter Ximenio similis exoriat, qui eius vestigiis insistens in integrum facta testa restituit. Ne quid tamen relinqueret quod ad publicam vtilitatem videretur pertinere, non solum earum rerum studia quæ discipli- 20 narum difficultatibus peruincendis, rebusque grauissimis tractandis inseruiunt, sibi esse excitanda proposuit, sed etiam agrorum excolendorum, atque adeo vitæ rusticæ vniuersa exercitia. Nam quemadmodum illis studiis animi pascuntur, ita his corpora victum & subsidium percipiunt. Alterutris autem homines si occupentur, beatam vitam domi, forisque agent. Tres fratres Tabricæ orti sunt Ferreræ nuncupati, ingeniosi sanè, & sua quisque eorum arte eruditus. Natu maior studiis eloquentiæ deditus, oratoriam Compluti professus est. Secundus musicæ artis studiosus, organis pulsandis in diui Ildephon- si delubro per Ximenium præfectus fuit. Tertius in rei rusticæ scriptoribus le- 30 gendis versatus, in eamque exercendam natura propensus, Geoponicæ artis callentissimus euasit. De ea diligenter scriberet præcipit, præmiis etiam propositis, vt indocti & rustici homines, qui tunc agriculturam indignissime tractabant, aliquid vulgari lingua quod legerent & edicerent ad manum haberent, ne disciplina honestissima periret. Hoc ille argumentum ita feliciter tractauit, vt iure cum prisca illis contendat qui græcè latinè de ea re scripserunt. Quanti verò fiant quæ scripsit, testimonio sunt crebræ illorum voluminum e- 40 ditiones, nostris nimirum hominibus ea semper auidè exoptantibus. His igitur rebus, vtpote operæ & curæ leuioris, vsque in annum ab hoc de quo diximus quintum occupatus, aliud etiam constituit non sine magna laude. Hoc de Mozarabum sacris instaurandis fuit, cum Toleti ageret. Nam cum per id tempus cæ- 40 teri (vt diximus) aulæ proceres, totusque regius comitatus, ob publicam lætiti- am, ludis diuersis intenti essent, Ximenius sui templi bibliothecam inuisere statuit, vbi complures codices venerandæ antiquitatis, manu præsertim scriptos, afferuari certior factus fuerat. Cæterum quoniam incommodo & iniquo loco posita deprehendit (nam & luce, & aura puriore carebat) libris itidem malignè in- 50 structa, cum alioqui amplissimi reditus, quibus templi fabrica dotata est, illam vel Vaticanæ parè, vel si quæ aliæ celebres habentur, facili possent negotio facere: statim de ea apparatus & copiosius ornanda, & in locum meliorem mutanda cœpit agere. Confecissetque sanè vir celsi spiritus, quæ proposuerat, nisi tot rerum grauissimarum cura eius animum euestigio occupasset. Relictus tamen est 50 posteris locus reipub. in re tam clara & magnifica iuuandi. Neque enim tam ingentis ditiosis princeps, qualis Archiepiscopus Toletanus est, solum concioni- bus ad populum habendis, puerisve sacro oleo ex Christiano ritu confirman- dis, & eleemosynis distribuendis, aut vicis suæ dioceseos peragrandis, tem- plisque inuisendis, & id genus aliis, quæ certè magni momenti, eiusque mune- ris sunt, contentus esse debet: sed excelssima quæque concipere, expeditio-

nes in Mauros adornare, littoribus nostris ab hostium incursionibus tranquillitatem parere, totius regni molem sustinere, tumultuantes populos sedare, reges ut præclara conentur adhortari, doctos homines & ingenia prouehere, disciplinis nitorem restituere, rem literariam pro viribus iuuare, mores denique prauos corrigere, bellum vitis omnibus indicere, eorumque prorsus radices extirpare. Quæ omnia ad eum cumulatè Ximenius præstitit, ut ad summum fastigium ea dignitas tunc perducta, inclinationem quam videmus minata videatur. Nam inclytam illam Toletanorum præfulum auctoritatem, quorum nutu diuina & profana in Hispania gerebantur, ab hoc tam egregiè & constanter conseruatam, successores paulatim amiserunt: non tam ipsorum (ut opinor) culpa, quam humanarum rerum natura, quæ cuncta nouis rationibus ad senium paulatim perducit. Sed certè multa fuisse inueniet, qui res attentius considerauerit, quæ illam Ximenio magnitudinem pepererunt. Anna Castella, matrona prudentissima, & in nostra ciuitate cum primis nobilis, tria potissimum numerabat: quod solitos redditus Archiepiscopatus nullis pensionibus accisos percepisset: quod Ferdinandum vices filiorum gerentem, vicarium potius principem, quam proprietarium (ut aiunt) regem habuisset: cui nimirum tam necessaria fuissent Ximenii operæ, quam Ximenio regis fauor & beneficentia. Vltimò quod his occasionibus peropportunè oblati, animum illi natura parem dedisset, ut se ea fortuna dignum agnosceret: proque dignitatis & rerum magnitudine, in eis omnibus, ut virum magnanimum decebat, se gereret. Quibus rebus tandem factum est, ut totius reipub. cura suscepta, ferme biennium rerum summæ præfuerit, vniuersis regulis & Hispaniæ populis nihil contra tentare audentibus. Sed ad templi Toletani bibliothecam, quo illum venisse dixeramus, redeo: vbi cum singulos libros diligenter excuteret, de omnibusque certior fieri vellet, ut si quando vsus exposceret, haud eorum codicum inopia laboraret, fortè ad quedam vetusta volumina in membranis Gothicis characteribus scripta peruenit. Sed antequam ad ea quæ circa hæc volumina Ximenius gessit, dicenda accedo, pauca mihi de Gothicis sacris narranda sunt. Gens Visigothica (hoc est) qui occidentales dicebantur Gothi, quo tempore Hispaniam penè vniuersam Honorii imperatoris permisit occupauit, cum esset Arrianæ impietatis dogmate infecta, tantam catholicis eius prouinciæ ecclesiis perturbationem inuexit, ut cultus diuini in varios ritus cæremoniasque diuisi fuerint: & neque inter orthodoxos quidem ipsos, vna vel sacrificandi vel horarias preces (quæ canonicæ dicuntur) psallendi cõsuetudo esset. Sed postquam vniuersa Gotthorum gens, Leandri & Fulgentii studio, post annum ceterisimam circiter quadagesimum ex quo in Hispaniam venerat, antiqua impietate abdicata, orthodoxam fidem vnà cum suo rege Recaredo cupidissimè accepisset: pace ecclesiis restituta, de sacris communi consilio constituendis agitari cœptum est: idque potissimum in vrbe regia. sic enim Toletum post aduentum Gotthorum, qui sedem regni illuc transtulerunt, cognominabant, cum antea (ut Rodericus Toletanus pontif. rerum Gothicarum diligens scriptor tradit) à Vandalis, & Selingis, Germaniæ gentibus, qui vnà in Hispaniam commigrarunt, Hispalis vrbs regia, & vocata & habita fuerit. Toleti igitur conuentu episcoporum indicto (quod concilium quartum Toletanum fuisse ferunt) patrum decreto sancitum est, ut in vniuersis Hispaniæ ecclesiis, preces priuatæ, missarum oblationes, & omnes publicæ psalmodiæ, vnico & eodem exemplo à sacerdotibus celebrarentur. Cura hunc ordinem instituendi Isidoro pontifici Hispalensi, summa tunc sanctimonia & doctrina claro, demandata fuit. Quanquam in hoc authores variant: nonnulli enim Leandrum Hispalensis ecclesiæ antiquiorè antistitem ei muneri præfectum asserunt, cui Isidorus comes datus fuerit, sed illud constat, ab Isidoro eum ritum Isidorianum officium fuisse nuncupatū. Perseueravit in Hispaniis ecclesiis hæc sacrorum religio, quandiu res Gotthorum in ea floruerunt: hoc est centum viginti circiter annos, vsque ad miserandam illam calamitatem, cum per Mauros Arabesque, vniuersa penè regio cæde incendiisq;

diisq; vastata, fufis, fugatisq; Hispanorū copiis, in barbarorum ditionem venit. Cum autem in publica clade, vrbs quoque ipsa regia in hostium potestate, idque ea conditione venisset, ut oppidanis liceret Christiano ritu, legibus, moribusque in ea viuere: quanuis pleraque ciuium multitudo spontaneum exilium Arabiæ prætulit seruituti, nonnulli tamen quibus patrii domesticique lares cariore libertate fuerunt, conditione accepta, sub Arabum & Maurorum imperio sacris suis retentis, in vrbe manserunt. Ergo eiusmodi homines quod Arabibus permitti viuerent, Mistarabes appellati sunt, & illorum ecclesiasticus ritus, officium Mistarabum. Quæ vox cum temporis diuturnitate, tum barbarorum lingua est corrupta, & in Mozarabum degenerauit, qua nunc vulgus vitur. Igitur iis qui sic inter Arabes Toleti manserunt, sex ecclesiæ in quibus rem diuinam facerent à Mauris permixtæ sunt, diuorum Marci, Lucæ, Sebastiani, Torquati, Eulaliæ, & Iustæ numinibus dedicatæ: in quibus ritum illum Isidorianum, qui incoluim florentiq; ciuitate in templis omnibus canebatur, captiua etiam quadringentos ferme annos conseruauerunt, quod Toletanum officium appellabatur. At verò vrbe ipsa diuina tandem benignitate, Alfonsique regis Ferdinandi magni Felicitibus auspiciis recuperata, cum de sacris in ea instaurandis restituendisque ageretur, rex Ricardus Massiliensis abbas suafu, & Constantiæ reginæ vxoris assidua instigatione, ritum sacrorum à diuo Gregorio olim institutum Toletano prætulit, quanuis populis clamantibus, vsu suorum sacrorum tot seculis inter medios barbaros conseruatum, per summam iniuriam aboleri. Quæ verò de singulari militum certamine, altero pro Gothicis sacris, altero pro Gregorianis dimicantium, deque pyra in medio foro Toleti incensa dicuntur, in quam sacri vtriusque officii codices coniecti sunt, apud alios authores qui de eâ re scripserunt explicatius, & vberius, legi poterunt. Sed tamen ut rex animos turbarum leniret adhuc sacra sua auferri frementium, cum in vrbe nuper recuperata inter varias basilicarum, sanorum, ædiumque sacrarum dedicationes, parociales in primis (quas vulgo parrochiales vocant) ecclesiæ regionatim cõstituerentur, ad quas populus rei diuinæ causa conueniret, finiq; limites per vicos domosque singulis definirentur, solis illis sex ecclesiis, in quibus Isidorianus ritus, vel inter hostes per tot annos durauerat, fines nulli præscripti sunt, sed sui cuique Mozarabes, illorumque posteris, vbi illos intra extrave urbem in agro Toletano morari contingeret, immunitatibus, & priuilegiis non vulgaribus concessis, pro parrochianis & tribulibus assignati fuerunt. Quandiu ergo illi Mozarabes eorumque posteris floruerunt, suamque ecclesiā, sacraque gentilitia frequentarunt. Sed paulatim familiis deficientibus, ritus etiā ille deficere, & Gregorianus sensim in sex etiam illas ecclesias introduci cœpit. Tandem ergo factum est, ut nō nisi paucis quibusdā stas, festisq; diebus, eo ritu in illis sacrificaretur. Literarū verò Gothicarum characteres Latinis nostris non multum sunt absimiles: nonnulli enim eadem sunt forma, alii verò dissimili: quos per Gudillam quendam Episcopum, vnà cum fidei nostræ rudimentis, genti Gotthorum traditos ferunt: qui primū Gothicis, deinde Toletanis, postremò Mozarabum appellati sunt. Ferunt etiam veteris ac noui testamenti libros, in vulgarem Gotthorum linguam per hunc Gudillam translatos fuisse. Igitur cum ad ea volumina Ximenius venisset, de re tota (ut supra narratum est) edoctus, indignum esse & graue iudicauit, sanctissimas præcorum Hispanorum cæremonias à viris præclaris institutas, & miraculorum testimoniis comprobatas, in tantam defuetudinem venisse, ut iam iam interitura esse viderentur. Cœpit re altius considerare: & ut erat præcarū cæremoniarum studiosissimus, Mozarabū ritus instaurandi curā suscepit: adhibitisque viris quotquot extabant eius rei peritis, primū libros omnes quibus sacra illa continerentur, Gothicis characteribus conscriptos, in vulgaris literaturæ formam redigendos, impressoriisque formis excudendos curauit. Quibus non sine magna impensa in exempla innumera vulgatis, ad extremam templi partem, occidentem versus, in ædicula que corporis Christi dicebatur, sacellum elegantis structura ædificauit, in quo tredecim sacerdotum collegium, adiunctis tribus

ministris, instituit, quos Mozarabes sodales appellauit. Hoc collegium idoneis prouentibus annuis instructum sub capituli Toletani patrocinio constituit. Ipsis porro sacerdotibus perpetuam horum sacrorum curationem demandauit: ut eo ritu singulis diebus sacrificare, horariasque preces continere solenne esset. Ad quos & sex Mozarabum ecclesiarum sacerdotia pertinere voluit: quæ quoties vacua esse contingeret, ipsi optare possent sacerdotes, quibus illa Archiepiscopus conferret: aliasque leges addidit, quas non est operæpretium referre. Sic ergo sacra illa per Ximenium restituta, & ab interitu vindicata sunt: in cuius restitutionis memoriam cenotaphium reparatori in medio sacello honorificè erectum cernitur, impendente desuper coccineo galero, 10 Cardinalitii honoris insigni. Per hæc tempora, cum nondum Toleti publica pauperum iuuandorum, qualis nunc est, cura increbuisse, duo mediocri conditionis homines, Hieronymus Madritus, & Petrus Zalamea, partim suis pecuniolis, partim diuitum religiosorum erogationibus, ad quos studiorum suorum rationem deferebant, aliquot ex afflictis, & ægrotis pauperibus, in vnum locum cogere, eisque medicorum consilio salutarem opem ministrare, miseris viduis præsidio esse, orbitati pupillorum subuenire, milleque alia huiusmodi opera pietatis plena, Deo subinde aspirante, perficere cœperunt. Celebre statim in vrbe nostra eorum studium est habitum, nec latuit vigilantem pastorem: nam & frequenter de moribus suæ ciuitatis interrogabat, & de actis singulorum inquirebat. Vocari ad se Hieronymum iubet: cuius pietatem postquã 20 ex variis sermonibus cum eo habitis abunde cognouit, maxime animi eum esse hortatur, & ut tam salubrem occupationem non intermitteret, humanissimè monet: videat etiam quibus in rebus ipse vsui esse posset, nam in eis omnibus se aut consilio, aut auctoritate, aut pecunia iuuaturum, suppetiasque laturum: idque statim re ipsa præstitit: aliquot nummorum millibus ad pauperum curam Hieronymo datis. Mirum est, quantum roboris & efficacis ex hac Ximenii sollicitatione Hieronymus cepit: illico enim sodalitates instituit, quæ tam publicis, quàm priuatis egenorum, præsertim quos pudentes vocant, necessitatibus pro virili succurreret: ita enim eos appellamus, qui ostentim mendicare erubescunt, & domi nimis angustè, & arctè viuunt. Porro cum negotiũ susceptum ex voluntate succederet, Hieronymus ad Ximenium notitiã omnium defert: qui Complutum discedere volens, liberam facultatem Hieronymo & sodalibus dat, quicquid in ea re vellent instituendi. Hieronymus de sodalitates consecratione, deque eius legibus agendum ratus, conuocatis sodalibus, primum ne quid sine numinum tutela fieret, eam immaculatæ Dei genitricis conceptioni dedicarunt. Dein de communi omnium consensu sancitum fuit, ut quoniam misericors Hieronymi animus tantam rem exordiendi occasio fuisset, qui de nocte ad pauperes quærendos vigilabat: posthac singulis annis, à Calend. Nouemb. usque ad finem Martii, duo sodales cum sodalitates viatore, sub noctem concubiã, 40 per omnes vrbe vicis præeunte laterna obambulant: & quos ex vagis & egenis hominibus sub dio alicubi pernoctantes deprehenderent, eos in ædem sodalitates deducerent. Quæ si fortè præ hospitium turba angustior esse aliquando contingeret, in alia publica pauperum hospitia deferrent, diplomate regio, quod ea de causa eis concessum fuerat, grauiã interminante, si quis præfectorum hospitium non recluderet. Deinde permulta alia inter se pepigerunt, omnia ad miscrorum opem spectantia. Cum igitur sodalitates suam, optimis & præclaris institutis instructam Hieronymus esse videret, non statim ad Antistitem contendit: nam ut res hominum & caducæ, & mutabiles sunt, verebatur ne ille conceptus sub initiis ardor paulatim intermitteretur: sed toto ferme triennio, sodalitates, suæque constantis periculum facere voluit. Quod ubi prosperè succedere conspiceret, & animos omnium magis quotidie accendi, diuinam vim tandem inesse ratus, sub annum eius seculi m. d. v. ad Archiepiscopum Complutum venit, suæ operæ rationem redditurus. Ille hominis strenuitatem demiratus, eius diligentia non vulgaribus verbis collaudata, quantã ex ea voluptatem susce-

susceperit, priusquam Compluto Hieronymus discederet, opibus peramplis donatis declarauit. Nam primum, quoniam ea tempestate ob squalidum & impluuium cælum, frugum inopia laborabatur, lectissimi frumenti quatuor millia & amplius modiorum, sodalitates in vsus pauperum distribuendos dedit. Hæc summa ob immane grani pretium admirationi fuit. Idcirco sanctæ Dei genitricis conceptionis die Ximenio anniuersaria sacra quotannis fiunt, sodalitates ad cœnobium Franciscanorum solenni pompa venientibus. Deinde quoniam pharmacis & medicamentis ad egrotantium curam comparandis, vicena nummum millia, nongentos item frumenti modios in singulos annos quoad vixit contulit: Ascensionis dominicæ die, quo ille celebrem victoriam, Orano capta, ex Afris hostibus reportauit, in eodem cœnobio, solennibus sacris laudes cælitibus & Ximenio offerunt. Rursus quia tria millia nummum aureorum dedit, quibus pascua miræ vbertatis non longè à Talabrica coempta sunt, quæ nunc maximos prouentus reddunt, quotidieque nouis incrementis augentur, Calend. Nouemb. ac postridie eius diei, sacris in æde propria Ximenio parentatur: deque ipsius præclaris gestis apud sodales frequentes concio habetur. Sed quoniam eius auctoritate & nutu institutio sodalitates facta est, & condonationes suas (quas indulgentias appellat) quo maiori religione sodalitates animos deuinciret, ille quoque concessit: in Augustinianorum cœnobio, sub idibus Augusti, ad aram virginis matris, quæ Gratia cognomen habet, in Ximenii memoriam festum diem concelebrant, stipe quinquaginta pauperibus tributa. Aediculam, quæ iuxta domum Antistitis Toleti est, postico ad viam publicam adaperto, sacris peragendis Ximenius tradidit: qua in diem præsentem sodales fruuntur, nemine ex posteris pontificibus aut recedente, aut ægrè ferente. Annus eius seculi quintus elapsus iam erat, sextusque ferme ad finem properabat, quando Calend. Nouemb. sodalitates Conceptionis Deiparæ titulo, in nostra vrbe promulgata fuit: quæ deinde in hæc usque tempora creuit feliciter Ximenii auspiciis. In huius institutionis monumentum, quarto nonas Octob. qui dies beato Francisco religiosus est, huic diuo, tanquam Ximenii tutelari, sodales sacra faciunt: quinquaginta sportulas totidem egenis distribuunt: & anniuersario, funebribusque hostiis Ximenii animam & cognatorum expiant. Porro aediculæ pontificis tradita gratia, sacra per tria palchata pro pontificibus Toletanis religiosissimò apparatu peraguntur: & singulis quibusque hebdomadam sabbathis, pro eorum salute sub vesperam preces ad Virginem funduntur. Procedente deinde tempore, xvii. post anno, cum iam Ximenius viuere desisset, ad Adrianum qui in Hispania vice regis fungebatur, in Pontificem Maxim. per id tempus assumptum, Tarraconam Hieronymus venit: eaque omnia ut sodalitates confirmaret, quæ Ximenius olim concesserat, deprecatus est. Adrianus Ximenii memor libentissimo animo præstitit. Multi horum imitatione allecti, nouas subinde rationes in nostra vrbe excogitare pergunt, quibus ciuium indigentis subuenitur, & peregrinorum necessitati prouidetur, omnium denique difficultatibus incredibili studio consulitur: adeo ut nullibi locorum, tot calamitatum quibus humana vita diuexatur, plura aut maiora remedia, quàm Toleti esse certum sit.

LIBER TERTIVS.

UM hæc Toleti à Ximenio geruntur, principibus quos iam fatietas ludorum ceperat, rursus ad seriores cogitationes, resque intermissas mentem conuertentibus, alius alio, quo eos priuata ac publica negotia vocabant, discessit. Nam Ferdinandus rex, quoniam Gallum ob detrimenta nuper à Gonzalo Magno illata vehementer dolentem, delectus per Gallias vniuersas facere, exercitusque ad Salsas præsidium expugnandum parare, per suos exploratores certior factus fuerat: per mediam ætatem Cataloniam contendit, Ruscinensem prouinciã confirma-

turus. Philippus & Ioanna patrem subsequentes, Aransuesia nemora, non longe à Toletò distantia deueniunt: vbi innumera aprorum, caprearum, & ceruorum multitudo spatiosissimis septis coercita, regis venationibus oblectationem & copiam subministrat: vnde ad Aragonios iter statim facturi erant, successioni regnorum designandi. At regina Madritum reuertitur: quoniam cum non multò post omnes essent in vnum conuenturi, peropportunam stationem regio comitatu oppidum id esse iudicabat. Ximenius verò Complutum profectus est, surgenti scholæ fastigium impositurus, cui nuper dum Toleti commoratur, decies centies nummum perpetuò percipere. dum è prouentibus regis comparauerat. Ea prima (vt aiunt) Academiæ largitio ab eo facta fuit: quod tam benignum & munificum principium spem ingentem studiosis dedit, futura propediem maiestatis. Anni iam quingentesimi secundi finis instabat, quando Ximenius Complutum venit. Sub initium verò quingentesimi tertii, paulò post Calend. Ianuarias, Isabella regina mutato consilio Madrito Complutum & ipsa proficiscitur. Nam cù proximo autumno insalubris aeris causa in febriculam ineidisset, virisque aliquot primariis extinctis, interque eos Didaco Ferrato Archiepiscopo Hispalensi, S.R.E. Cardinali, intra quintum duntaxat diem in oculis eius sublato, non medio criterturbata fuisset, Ximenii præsentiam sibi vsui fore existimauit. Nam & dolorem ob præstantium virorum mortem conceptum ita se posse mitigare sperabat, & sapientissimi hominis alloquiis molestias quoque lenituram, quæ sibi ingentes suboriebantur ob Philippi generi sententiam, qui ad Belgas per medias Gallias redire tempore nimis importuno instituerat. Nam cum cæli inclementia bonâ Philippi familiæ partem absumpisset, & in ea Archiepiscopum Bizontinum (quod ille ægerrimè tulerat) vitæ suæ custodem & magistrum, qui & ipse quoque intra quintum ab initio morbi diem, vt Ferratus, obierat: eo viro integerrimo & grauissimo mortuo, reliqui qui apud eum incolumes remanserant, largitionibus (vt fama erat) Gallorum corrupti, quorum permultum intererat, vt illac iter eo tempore Philippus faceret, ad Belgas primo quoque tempore maturandum adhortabantur. Igitur aut istorum suasionibus incitatus, aut Ioannæ coniugis tædio affectus, quæ incredibili zelotypia stimulata acerba in eum erat, ea molestia liberari properans, xiiij. Cal. Ian. sæuiente hyeme, Madrito ad Belgas discedere decreuit. Nullis itaque reginæ dictis, nulla iniuriarum commemoratione, quas & in Maximilianum patrem, & in sororem Margaritam commiserat Gallus, dum illi nuptias Britannas per iniuriam præripit, & hanc Delphino pactam, nihil reueritus matrimonii tutelares diuos, domo pulsam repudiat: nullis Hispanæ reipub. tumultibus, quos necessariò futuros prudens regina ab atavis sigillatim repetens monebat, ni longam diuturnamque moram in Hispania ad gentis animos & mores cognoscendos faceret, detineri potuit. Sed nec vxoris lachrymis, quæ cum partui propinqua esset, non dubium erat, quin mariti discessu afflictæ immaturum fœtum esset editura, quicquam est commotus. Illa enim regnorum immemor de viro tantum sollicita erat: adeò vt noctu diuque cogitabunda (quod eius temporis scriptores tradunt) verbum nullum nisi admodum coacta faceret. Vnum duntaxat cupidissimè audiebat, si quando mater consolandæ causa, classem iam adornari diceret, qua maritum in Germaniam sequeretur: quæ vt tantisper obduraret rogabat, donec à partu esset libera: nam simulac Fauonii spirarent, se eam statim voti compotem facturam. Terra enim qua per eam anni tempestatem iter facere ad coniugem potuisset, aditum nullum patere: quando inimicorum armis loca omnia interclusa essent. Has ob res supra modum anxia regina, insalubris cæli euitandi prætextu, Ioanna filia secum assumpta, Complutum, vbi Ximenius agebat, se consulit. Vrit enim præcordia ægritudo animi compressa, & in angustias adducta mentem subuertit: nec alio medicamine facilius erigitur, quam cordati hominis sermone. Ille ergo primum tam matris, quam filiæ ægrum animum mitibus alloquiis consolatus est. Deinde Ioannæ amorem erga coniugem apud matrem excusauit, cui nimius videbatur: neque enim caris coniugibus quicquam

quam esse in amore nimium. Quod verò zelotypia grauius aliquando discruciaretur, minimè id mirum videri debere, cum ante alias pudicissimæ fœminæ eo soleant morbo laborare. Quibus enim caritas erga maritos languet, parum eiusmodi querelas curæ esse: absentiamque eorum, omnemque animi abalienationem non magnopere grauem esse. Quare cedendum tantisper crudo vulnèri, donec tempore cicatrix obduceretur, illaque absentiam moderatè ferre disceret, certissima spe concepta ad virum vere primo nauigandi, vt cupita præsentia frueretur, suisque tandem votis satisfaceret. Deinde ad reginam orationem conuertens, ne se plus æquo afflicter adhortatur: eam enim esse humanarum rerum conditionem, vt æquè reges & priuati homines solitudinibus passim iactentur: neminemque adeò felicem viuere, qui non ex duobus illis doliis Homericis, partim læta, partim tristitia hauriat: semperque malorum mensuram fatali noxa superexcedere. Regum verò eò fortunam esse miseriosem, quòd in excelso loco constitutus, nil eorum quæ faciunt aut meditantur latere potest, aut in obscuro esse: & quòd durioribus molestiis, utpote res grauius tractantes, quam vulgares homines corripuntur. Vnde virum illum impensè laudauit, cui cum à rege suo quiduis optandi facultas data esset, dato (inquit) quæ uoles ò rex, dummodo è tuis non sit secretis. Patienter ergo naturæ leges ferret, seque hominem natà esse agnosceret. Quòd si quando voluptatem aliquam ex suscepta filia percipisset, æquum esse vt molestias & incommoda patienter ferret, memor animi illius virilis, quem semper omnibus in negotiis præstitisset. His atque aliis habitis assiduè colloquiis, ita animum vtriusque confirmauit, vt quauis rex, qui ex Aragonia ad eam febricula (vt diximus) languentem visendam venerat, rursus ad bellum parua facta mora Perpennianum, quòd tota vis hostium inclinabat, redierit: & regina nihilo viri absentia commotior, sed potius pristinæ virtutis & dignitatis memor, delectus per totam Hispaniam faceret, præsidariasque legiones incredibili celeritate conscriptas ad maritum Perpennianum mitteret. Interea tamen aeris intemperie per autumnum contracta nondum cessante, Gutterius Cardenas Machedæ regulus, vir apud reginam magnæ authoritatis, atque omni ornamentorum genere ab ea decoratus, patritio sancti Iacobi equitum ordini in citeriori Hispania præfectus, quem Legionis maximum commendatarium vocat, Compluti pridie Cal. Febr. fatis concessit. Hunc morti proximum cum Ximenius uideret, eius conspectu valde est exhilaratus: & vt erat eleganti & acuto ingenio, nihil soliti vigoris in eo temporis articulo remittens, multum (inquit) ò Antistes, de tua hac officiosa humanitate obærat de vita discedo: neque enim par erat vt è domo tua hospite insalutato tam longum iter facturus proficiscerer. Nam honoris & dignitatis causa, in domo pontificia vbi reges diuersabantur, locus quoque Gutterio datus erat. Percussus est Ximenii animus ad ea uerba, & communis conditionis recordatio mentem hominis, alioqui grauissimi, strinxit. Cæterum prudenter dissimulato dolore, vultuque hilaritatem præ se ferente, vt religioni satisfaceret curauit: tabulasque testamenti obsignaret, quas fallaci ægroantium spe, nunquam se hanc lucem relicturos existimantium, imperfectas adhuc seruabat. Mæror est omnibus ob tanti viri mortem obortus: sed multò grauior Isabellæ reginæ, quam fors iniqua variis modis exercebat: nihil enim acerbius ferebat, quam fidis ministris priuari. Sed eum mitigauit Lucinæ benignitas: sexto enim idus Martias, Ioanna facili partu Ferdinandum in lucem edidit: quem die Iustrico Ximenius magna solennitate baptizauit, & aui nomen imposuit, Naiarenfi, & Alcalonio regulis compatribus, Mirandio verò patinam cum salino & calice præferente. At Ximenius Complutum ornandi & augendi occasione peropportunam nactus, vectigalium immunitatem Complutensibus à regina petit, apud quos tantus esset princeps natus. Vt quoniam liberalibus disciplinis in eo oppido domicilium parabatur, liberi quoque à regis exactionibus perpetuò essent: ita enim breui futurum, vt locus insigniter illustratus & adauctus, Hispanam iuuentutem ad studia exercenda inuitaret. Facile in publica lætitia impetratum est: & in hunc usque diem ad beneficii impetrati monumentum,

Complutenfis resp. Ferdinandi cunas & crepundia seruat. Dum omni hilaritatis genere regius comitatus ob natum puerum Compluti se oblectat, casus Ximenio inopinanti oblati est, quo animi sui lenitatem declararet. Postquam reges Complutum venerunt, Ximenius silentium opinor captans, aula sua alioqui capacissima relicta, longe ad Vaennæ cuiusdam domum commigrauit: quæ in via maxima ad Guadalafaiaræ portam est. Ibi strepitu insolito interpellatus, quid rei esset ministros rogat: qui vinculum quendam capite plectendum à lictoribus duci respondent. Processit ad fenestram, & de crimine per lictores edoctus, ne ulterius procederent vinculumque solui iussit, ut quò vellet abiret: hoc sacræ suæ dignitati pietatis ergò concedendum esse dictitans. Placuit omnibus Ximenii factum, eoque gratius & iucundius fuit, quò die hilaritatis & lætitiæ pleno, quo regius puer in hanc lucem editus fuerat, nece hominis quantumlibet noxii oppidum pollui & funestari videbatur. Igitur Compluti per vernum tempus morari reges, ubi per estatè quoque fuissent, nisi immodici quibus oppidum illud infestatur calores, infalubrem locum reddidissent: tertio enim nonas Iulias Ioannes Ciaconius Carthagini nouæ & Murgensibus prepositus (quem nostri patrio nomine adelantatum vocant) extinctus, nò minori quàm Gutterius dolore Isabella reginam affecerat. Erat enim vterque ei carus: nullique magis ad sua consilia intima admittebantur. Idcirco sibi quoque non mediocriter timens, præmatura festinatione Compluto Madritum reuertitur. Ximenius verò Briocæ proficiscitur: id est suæ ditionis oppidum e statibus ardentibus ferendis accommodum. Nam montanis in locis Septentrionem versus situm, & gelidarum aquarum scaturigine abundans, eustum multò leniorem facit. Qua de causa in antiquis monumentis reperitur, olim Toletanæ ecclesiæ principales sacerdotes (qui dignitates dicuntur) proprias domos Briocæ habuisse, quo molestissima ea anni tempestate, non secus quàm Tybur Romani secedebant. De cuius oppidi principio, quaque itè ratione ad Archiepiscopos Toletanos deuenerit, nò grauabor quæ mihi cognita sunt referre: ne dum hæc sensim contemnuntur, rerum vetustarum quoque memoria pereat. Cùm Alfonso Legionis rex, magni illius Ferdinandi filius, Sanctii fratris sæuitiam fugeret, regno pulsus ad Almeonem Maurorum regem Toletum profugus & supplex venit: ubi barbari principis benignitate vsus, nihil illi ad pristinam fortunam defuit, præter regium diadema. Et quoniam Maurorum conuictu offendebar, locus in suburbanis hortis, qui regi dicuntur, ad habitandum est datus, qua Tagus angustissimis faucibus inter duos montes premitur. Gaudebat porro ferarum venationibus, quare hanc de qua agimus Briocam, nulla tum temporis habitatione, præterquam turris ædificio insignem, à Mauro rege liberaliter donatam suscepit: ubi vniuersum venatorium apparatus hominesque feras confectandi & figendi peritos, animi remittendi causa, habuit: ut quoties à bellis finitimorum Arabum otium esset, quibus cum gratiã Almeoni rependens, assidue præliabatur, venationi sese oblectaret. Postea Toletotoque regni Toletani tractu, Dei beneficio sub ditionem suã redacto, regnum enim Castellæ iam mortuo fratre adeptus erat: cùm Bernardum ecclesiæ Toletanæ Archiepiscopum (ut diximus) præfecisset, pietatis erga Deum memor, cui apud barbarum populum diuersans vota captiuus sæpe nuncupauerat, inter cetera non ignobilia oppida quæ Rodericus Toletanus Antistes in historiis suis enumerat, Briocam etiam Archiepiscopo Bernardo donauit: ubi venatorum illorum posteritas durauit, donec Ioannes tertius Toletanus Archiepiscopus, commoditatem loci contemplatus, diui Petri parochia ibi exædificata, municipium constituit. Quo quidem tempore factum existimo, ut ecclesiæ Toletanæ sacerdotes opportunitate loci allecti, ad æstiuæ syderis ardorem vitandum, qui non mediocri sub Toletano etiam cælo est, domos sibi construxerint, ad quas quotannis migrarent, donec subterranea sibi in vrbe domicilia, petris durissimis perfossis, parauerunt, additis etiam cisternarum deliciis, vnde Tagi aquam frigidissimam æstate hauriunt: quare Briocam ire superuacaneum putarunt. Huc cùm se recepisset Ximenius, siue quòd ab ingentibus Compluti caloribus ad frigidas

auras

auras subito migrasset, siue potius quòd infalubris anni tempestas fragili corpori non pepercerit, grauius Briocæ ægrotare cœpit, & tota ferme pontificia familia. Qua de causa sanctum Torquatum, suæ quoque ditionis oppidum, Complutenfi cælo propinquius, sed quòd in edito monticulo sit, multò minùs quàm Complutum æstuosum, cum suis commigrauit: ubi curandis corporibus intenti mirifice omnes recreati sunt. Interim regina ad eum crebrò nuntios mittebat, quibus de eius salute certior fieret, & illum de omnibus reipublicæ negotiis confulebat. Si quidem regina quò Ioannæ filia gratificaretur, nihil æquè ac de protectione ad Philippum cogitanti, Madrito Segouiam venerat: id est extremum Vacceorum oppidum, proximumque Carpetanorum finibus, Traiani celeberrimo ponte, aut potius marmoreo aquæ ductu nobile: vnde ad Methinam Campensem progrediendum erat, ut illinc lentè ad Cantabricum Oceanum veniretur. Regina Segouia dum Ferdinandus coniux cum Gallo ad Salsas dimicat dimorante, Ioanna omnis moræ impatiens Methinam profecta est. Vbi cùm optatissimas literas à Philippo suscepisset, quibus ut ad se veniret inuitabatur, nulla suæ dignitatis, nulla parentis ratione habita, quam bidui itinere visere quiuisset, subito sarcinis conuafatis infalutata matre, comites ad protectionem conuocat: & regis maiestatis oblita è cubiculo quamprimum exiliens, moras si quæ trahi videbantur, castigabat. Eo die profecta esset, si per Ioannem Fonseca Burgensem Antistitem, qui propter egregiam morum grauitatem custos ei à parentibus est datus, & Ioannem à Corduba oppidi præfectum, licuisset. Quibus illa necem minata, cùm nihilominus intercedere persisterent, nuntii quamprimum ad reginam mittuntur, qui de his omnibus certiores facerent, obserata interim Methinensi arce, ubi disseruabatur, ne quid præcipiti deliberatione faceret. Ioanna verò cùm irrita sua consilia videret, totam illam noctem sequentesque, donec mater festinabunda aduenit, sub diò insomnes in arcis cauedio egit. Qua de causa Ximenius, qui diutino morbo liberatus, natalis Christi celebraturus Complutum venerat, sub initium anni M. D. XIII. Methinam à regibus accersitur. De cuius consilio, deque regum sententia, classis in Lauretano portu, quæ Ioannem ad Philippum traiceret, apparatur. Illa ut omnia instructa fuerunt, Calend. Martii (qui dies ob Tauricam victoriam, quam Lusitanis fuis Ferdinandus obtinuit, inter fastos, apud Hispanos est) è complexu mœstissimæ parentis Oceani fluctus emensura discessit. Ergo postquam in optatissimam terram peruenit, à marito Philippo amantissimè suscepta fuit. Sed cùm per id tempus puellæ cuiusdam amoribus Philippi animus implicatus esset, quam secum comitem Ioanna adduxerat, zelotypiæ stimulis vehementer exagitata, criminationibus, iurgiis, & tragædiis totã Philippi regiam impleuit. Et cum ad eam per pellicis æmulos delatum esset, flaua puellæ cæsarie Philippum coniugem in primis captum fuisse, rabie concepta cæsariam statim abrafit: puellæque miserabiliter insultans pulchram faciem vibicibus scædauit. Indignatus amans adolescens, non iam amplius dissimulata ira, apertis contumeliis & atrocibus verbis, vxoris dicitur peruicaciam multasse, atque ab eius congressu dies non paucos abstinuisse. Hæc ubi regibus nostris, arcanis notis per fidos tabellarios renuntiata sunt, non mediocri dolore affecti, partim ob natæ intractabile ingenium, partim ob parum regiam in Philippo genero considerationem, vterque grauius ægrotare cœpit. Nam rex in febrim tertianam incidit, regina verò in continuam: quare anxietate & morbo afflicti iacebant, dum alter de alterius salute sollicitus erat. Nam & rex sui discriminis oblitus, medicos ne quid in regina curanda prætermitterent monebat: cuius si saluti consulere, suæ quoque consultum esse crederent. Regina verò ad omnem strepitum intenta pauebat, assidueque medicos intrantes adiurabat, ne quid sibi de regis valetudine importuno officio mentirentur, quæ vna res morbum adaugebat. Interea Ximenius diem nullum intermittebat, quin vtriusque lecto assideret, omniaque diligenter circumspiceret, quæ ad eorum salutem pertinere videbantur. Rege in pristinam sanitatem restituto, fata in reginã inclinare videbantur: nam putri-

E iij

dum & verecundum vicus, quod ex assiduis ad Granatam equitationibus contraxisse aiunt, mortiferè serpebat. Veruntamen cum id malum corpora per lentas moras depascere soleat: desperatam reginæ salutem, utcunque tamen novis subinde oblectamentis cuncti subleuare, & fouere nitebantur. Nam quidquid vnquam siue militiæ, siue domi præclarum accidisset, decumbenti recensebatur. Si qui illustri fortunæ homines è Neapoli captiui mittebantur, vbi Gonzalus admirabili virtute inclytam operam regi coniugi, & reip. nauabat, ad se introductos recipiebat, & de hominis magnanimitate, & sibi multis de causis carissimè gestis, cupidissimè percontabatur. Si qui etiam ex cæteris nationibus Hispaniarum rerum fama permoti, ad regiã eius maiestatem visendam diuertissent, tametsi ultimo morbo afflicta, eorum colloquiis nequaquam grauabatur, & humanissimis sermonibus susceptos, animi plusquam virilis in ea dotes admirantes à se dimittebat. Inter quos è Venetis hominibus Hieronymus Vianellus fuit, qui pede auspiciatissimo in Hispaniam venit. Nam totius Africanæ expeditionis, quam in Orano expugnanda Ximenius fecit, quamq; Ximenii suafu Didacus Fernandus à Corduba, ad portum magnum, quem Punica lingua Mesalcabir appellat, occupandū paulò antè fecerat, id est totū huius hominis consilio factum. Hic cum ad regum dexteras deosculandas Methinam venisset, crucem auri purissimi gemmis interlucentè reginæ obtulit: inter quas carbunculus, quam espinellam vulgus appellat, corrupto nomine pro spinthera, scintillas enim contra solem emittit, quales Plinius carchedonios masculos esse dicit, quorum singuli, modò factitii non sint, pretium mille aureorum nonnunquam exæquat. Is cum ad Ximenium salutandum continuò venisset, anulum adamantè selectissimo insignitum, quem apud se venalem habebat, Antistiti ostendit: de cuius pretio cum Ximenius rogasset, quinque millia nummum aureorum esse dixit: qui pretii magnitudine commotus, quanto (inquit) melius ea summa quinque millibus militum laborantium succurrere, nummo aureo in singulos collato, quam omnes Indicos adamantes possidere? atque ita Vianellum eo tempore dimisit. Tunc etiam Franciscani instituti sodalis, cœnobii quod Hierosolymis ob Christi Dei sepulchrum cunctis Christiani nominis cultoribus in summa reuerentia est, Guardianus, ad reges nostros ab Ægyptio Sultano legatus venit, nam is nondum Turcarum viribus euersus, adhuc Syriacis regionibus præerat. Hic monachus antequam Hierosolymis discederet, cum tam longinquos terrarum tractus, totq; sibi marium & montium spatia emetienda esse consideraret, supplex à Campsone Sultano petiit, vt discedenti Dominicum sepulchrum adorare & conspici liceret, instar id sibi ingentis viatici ad tam difficile iter futurum. Est sacer ille locus custodibus & repagulis munitus, qui nisi euidentissimo emolumento maximoq; operæpretio, inaccessibilis esse consuevit. Obtinuit id facile homo professione religionis inops, & qui in solam Sultani gratiam tam laboriosam legationem capebat. Quò cum venerabundus aliquot cœnobii sui sodalibus stipatus intrasset, & debitam adorationem exhibuisset, tabulam marmoream in sepulchri fundo conspexit, longam pedes tres, latam vnum, liuidis maculis adpersam, vt è Chio marmore secta videri posset. Hanc etiam vt liceret tollere à Sultano impetrauit: quam in quinque æquales diuisit partes, & aris sacrosanctæ Eucharistiæ dedicauit, de more Christiano consecratas. Hasce aras secum adduxit, & inter Christianæ religionis supremos principes, magni id muneris loco suscipientes, distribuit. Nam Alexandro sexto Pontifici Max. vnam: Bernardino Carauajallo sanctæ Crucis in Hierusalem Cardinali, quòd eam veluti propriam possessionem titulo Hierusalem sibi assereret, alteram: Isabellæ reginæ tertiam: Francisco Ximenio Archiepiscopo Toletano quartam: vltimam verò Emanueli regi Lusitano, heroi omnibus modis incomparabili, & qui ad antarcticum vsque polum Crucis nomen studiosè dilatauerat. Fuit id donum reginæ gratissimum, eoq; in primis exhilarata recreari visa est. Ximenius qui omnem animi sui voluptatem in sacre synaxis celebratione collocauerat, vbi aram illam è Dominico sepulchro est nactus, verè triumphabat: & per an-

nos XII. quod illi tempus viuendi fuit, nunquam alibi præterquam in ea ara, diuina se Eucharistia refecit, Franciscanis sodalibus qui illum sequebantur, idem faciendi facultate concessa. Moriens verò (vt ex testamenti tabulis apparet) ecclesiæ Toletanæ dulce amoris monumentum & pignus, inter cætera pretiosa ornamenta legauit. Quo autem in loco reperta, & per quem ad ipsum allata fuerit, eius testamento, ne quid posset dubitari, declarari voluit. Dum Methinæ ob reginæ morbum complurimos dies Ximenius moratur, loci vicinitate monitus, de sacro funebri Cisneris, in maiorum suorum antiquo domicilio instituendo, ad hunc modum egisse certum est. Annua vectigalia ex regis in eo municipio prouentibus comparauit, quæ municipalibus sacerdotibus sunt tradita: vt in vestibis lineis, singulis quibusque dominicis diebus, pomeridianis horis, postridiè verò antemeridianis, ad sancti Petri ædem, vbi Toribius Ximenii auus proprio sacello conditus est, maiorum manes expiare teneantur, & etiam ad sancti Laurentii, vbi antiquum Ximeniorum monumentum, sacello item peruetusto habetur. Durant Cisneris adhuc hæc sacra, præterquam quòd vigesimo ab hinc anno, sacerdotes ad sacra facienda vestibis lineis indui deserunt: & neglecto Toribii sacello, ad aram maximam diui Petri sacra faciunt. Sartis tectis sacellorum curandis vectigalia etiam comparauit, Garfiæ Villaroellio quem postea Castorlæ præfectum creauit, administratione perpetua demandata. Sed postquam aliò domicilium mutauit eius posterum curam nonnihil remiserunt. Certè Academia Complutensis rei honestissimæ operam nauabit, si quæ Ximenius multis in locis in eius memoriam reliquit, perlustrari & ex testamento fieri curauerit. Priusquam Ximenius Methinam veniret, vt morbo liberatus fuit, Toletum ire voluit. Nam à principio sui pontificatus mirè concupiuit sacerdotum mores emendare, & in eorum acta & vitam inquirere. Fuerat quidem bis Toleti, sed nullam id agendi occasionem nactus fuerat. Nam primò in urbem suam venienti, vbi omnia gratulatione & plausu strepant, non tam asperitas emendationis, quàm facilitas compellendi conueniebat. Secundo verò regibus in eam urbem ad res amplissimas conuenientibus, ac proinde diuersarum gentium turbis refertam, multò difficilior occasio offerebatur ad vita hominum sacrorum inquirenda. Tunc verò cum cogitaret ad eam rem perficiendam Toletum iter facere, reginæ mandatis id quo minus prosequeretur prohibitus, statuit quas per se non poterat officii sui functiones per vicarios administrare. In primis igitur in vitam moresq; sacerdotum ecclesiæ Toletanæ quæstionem decernit, quam Visitationem vocant: eamq; doctori Villalpando vicario suo generali, vnà cum Fernando Fonseca eiusdem ecclesiæ canonico, exequendam mandat. Incredibile dictum est, quàm hoc decretum grauius molesteq; ecclesia tulerit: & quàm obstinatis animis se illi omnes opposuerint: citius se extrema omnia passuros clamitantes, quàm vt ab vilo præterquam ab ipso Antistite in ipsos inquireretur. Interposita est ad sedem apostolicam solennis prouocatio, censoresque communi consilio reiecti sunt. Qui ex canonicis sese acrius opponebant, tres potissimum esse videbantur, Sepulveda, Barzana, & Orticius cognomento Nuntius, quòd vices Pontificis Rom. in Hispania aliquando gessisset. Hos Villalpandus ex archiepiscopi præscripto comprehendendos curat, & Archiepiscopalis municipiorum arcibus in custodia tradit. Veriti sunt canonici ne Ximenius regiam maiestatem in ipsos irretaret: quare legationem ad reginam decernunt. Missi legati cum in reginæ conspectu, quæ id temporis apud Methinam Campensem morabatur, admissi essent: Franciscus Aluarius ecclesiæ Toletanæ scholasticus, vnus ex legatis, cui cæteri ob prouectiorem ætatem, & insignem rerum peritiam dicendi locum sponte concesserunt, reginæ primùm beneuolentia ex eius singulari iustitia, & rei sacre tuendæ studio prudenter captata, inuitos quidem & dolentes ad eam causam aduersus præfulem suum tractandum venire, se dixit: cum præsertim ecclesia Toletana ad eorum Antistitum obseruantissima semper fuisset, vt apud calumniatores & parū æquos homines in assentationis vitiū verteretur. At quoniam

infulatos apud eius maiestatem se esse cognouerant, læsæ in suum Antistitem obedientiæ, quod censores quosdam morum ab eo aduersus ipsos destinatos contumaciter & contemptim reiecerunt, quasi vt nulla de vita actionibusque suis ratio proprio Antistiti constaret, niterentur, se ad eius præsentiam conuenisse contumaciæ crimen depulsuros. Neque enim sibi vnquam eum animum fuisse, censorum de moribus suis iudicium deprecandi, sed id duntaxat ne per vicarios leuiter, & languidè, remisisset, quod aliàs solent, in se censura fieret, sed potius seridè, & seuerò iudicio, cuiusmodi à tali Antistite antiquæ asperitatis homine, expectandum proculdubio erat. Nam eam esse capituli Toletani auctoritatem, vt minimè deceret in illius sacerdotes ab alio quàm à suo pontifice 10 inquiri. Quare eius maiores, qui illud religiosissimè templum cõdiderunt, censoriam de ecclesiæ Toletanæ ministris explorationem ad eò esse cum ipsius dignitate coniunctam semper existimauerunt, vt si aliquando per alium quàm per antistitem suum exerceretur, salua neuitquam consistere valeret. Ergo diuinum eius celsitudinis ingenium, summumq; honestatis & virtutis studiũ, quod in illa præcipuè relucebat, obtestari, vt etiam atq; etiam cõsideraret, an crimini sibi imputandum esset, quod acutum sui antistitis mucronem aduersus se stringendum peterent, ministrorum obtusum declinarent. Id enim in votis capitulo Toletano cum primis esse, pro certo haberet, antistitis sui fulmina, quantumuis formidanda & terribilia, vtpote à viro veteris disciplinæ rigido exactore vi- 20 brata, cum graui potius cunctorum periculo subire velle, quàm cum omni venia & remissione ad examen ab æqualibus vocari. Qui si nihil aliud, certè equales, & pares essent: & nihilominus, quod illorum pace diceretur, censoria seueritate indigerent. Veniret pastor in ouile suum, vt iuxta diuini vatis oraculum, infirmum solidare, ægrotanti mederi, contractum alligare, errantem in caulam reducere studeret: nec mercenariis functione suam, euangelio reclamante, commendaret: eos extemplo omnium primos obsequentissimos experturus filios, & quod æquum & religiosum esset, officii sui studiosos adiutores. Alioqui persuasum haberet, quod ipsi liceret præter fas & ius imperare, sibi vicissim licere non obsequi. Quod si confidentius apud eius maiestatem viderentur loquuti, 30 minimè id confidentiam esse crederet, imò magis constantem fiduciam, quàm nimirum ipsi, atq; ad eò felicissimo suorum temporum seculo, equissimum planeq; diuinum eius celsitudinis imperium per vniuersam Hispaniam peperisset, in quo certissima spe, supremis iuxta ac infimis iure suo vti concederetur. Ob quæ minus ab ea in præsentia tolerandum esset, quod ipsi itineri accinctis per antistitem factum fuisset: qui tres optimares & præcipuos viros ex amplissimo ecclesiæ Toletanæ ordine, tanquam fontes ad ergastula abduci iussisset. Quare similem fortunam metuentes, ad susceptum iter maturandum animos alioqui deiectos excitasse. Ad hæc regina partim solita grauitate, partim morbi causa coacta; paucis respondit. Ad aures suas peruenisse detrectatum ab ecclesia 40 Toletana imperium pontificium: cæterum moris sui haudquaquam esse, priusquam rem totam cognitam compertamque haberet, festinare ad malè de quoque, nedum de tam graui societate, sentiendum. Libenter se capituli mentem intellexisse, dignam illam quidem viris bonis, ac religiosis: proinde bono animo essent, sollicitudinemque omnem deponerent, sperantes nihil de ea re statuendum, quod non sit è dignitate Toletanæ ecclesiæ futurum. Illis dimissis, cum regina probari sibi capituli causam Ximenio significasset: ille arrepta occasione, quamuis reginæ morbo, cui in omnibus adesse cupiebat, ad discedendum retardabatur, de profectioe in Toletanam diocesim agere cepit, 50 necessarium inquiens omnino esse, vt quod officium per absentem præstare nequiret, coràm ipse exequeretur: nec posse animum religione exoluere, cum cogitaret tertium iam apud se destinauisse eam morum censuram facere, neque tamen id præstitisset. Regina iustam ab illo causam agi videns, perhumaniter veniam abeundi dedit, illud etiam adiiciens, quando ille à diocesi sua tam egrè abesset, daturam se operam, vt ipsa cum coniuge, totoque adeò regio comitatu

tatu in Toletanam diocesim quàm primùm venirent. Sed mors reginæ promissa dissipauit, neque est amplius à Ximenio visa. Erant id temporis, qui existimarent, Ximenium suos illos censores, quos à capitulo reiectum iri non dubitaret, astuto consilio designasse, vt hac arte discedendi facultatem, quod euentus docuit, à regina extorqueret. Sed id verisimile esse non videtur, in tanto vitæ discrimine reginam ab homine illi deuotissimo relictam, præsertim causis euentis. Tentauit nostris temporibus Ioannes Martinus Siliceus, cum similem morum censuram exercere vellet, rem multò quidem minoris momenti, quam non valuit obtinere. Dicebat se quidem pro Ecclesiæ dignitate nemini in re tanta 10 vicariam operam committere velle, sed per seipsum, semotis arbitris, ex dignitate vt sibi videbatur censuram peragere, vno duntaxat excepto, qui delationes omnium describeret. Hunc autem qui sibi à secretis erat, paterentur vice notarii aduocari. Obnixè reuult Toletanum capitulum, & ingenti contentione oborta, cum antistes suum notarium, capitulum verò suum deligendum contenderet: tandem Siliceus neutro assumpto ipse sibi notarius fuit. Hoc cum primis nostris amplitudinem, Siliceo humanitatem conciliabat: cum summus apud Hispanos præsul, in inquirendis sacerdotũ suorum peccatis notarii vices agere dignaretur: isque solus esset arcanorum erratorum conscius, qui si dissimulasset, ad alium non emanarent: sin punire aut emendare decreuisset, testis 20 id & honestus esset confecturus. Nonnunquam etiam cum scribendi laboris raderet, capituli notario, suis omnino reiectis utebatur. Igitur non sine graui animi mœre quod optimam reginam tam graui morbo affectam defereret, post quatuor menses Methinæ actos, Toletum primò ad censuram faciendam, quæ tandem iuxta capituli voluntatem facta est, Complutum deinde redire cogitur: vbi & surgentis Academiæ opus, & Iusti templi structura, & bibliorum sacrorum editio, eius præsentiam videbatur requirere. Nam quauis viri diligentia præstantes, quos rebus illis conficiendis præfecerat, omne studium & operam adhiberent, multum tamen patroni præsentia vrget. Nam si qua res est, in qua verus habeat prouerbium locum, quod domini oculus multò nitidiorum equum reddit, quàm hordeum, ea est certè ædificatio: in qua verè accidit quod 30 de Amphione fabulantur poætæ, ad cuius vocem sine vllò labore lapides murorum locis, dolari & expoliti vltro reponebantur. Satis hæc aliquis existimasset, in quib. Ximenius absoluedis occupatus, ad aliarum rerum cogitationem animum quantumuis capacem non diuerteret. Est enim hominis prudentis minimè montes montibus imponere gigantum more, sed suas potius vires metiri, animosque captum suum excedentes non expectata Nemese coercere, comprimereque. At Ximenius, cui mentem humana mensura maiorem nascenti facta benigna tribuerunt, quam paulatim virtus comes adauxit, post Hieronymi Vianelli aduentum, qui omnes Africæ partes probè tenebat, & ad eius expu- 40 gnationem propter maritimæ oræ cognitionem assidue hortabatur, bellum Africanum meditari cepit. Sed interea dum regem cõuenire posset, quo cum de hac re ageret, intellexit complures esse fœminas honestis natas parentibus, quarum pudicitia ob rerum penuriam periclitabatur. Quare religiosarum mulierum cœnobia passim per suam diocesim cõdere necessarium esse iudicauit: vbi puellæ, quæ ob rem angustam illocabiles essent, aut quæ sponte sua à nuptiis abhorrerent, longè à virorum congressibus semotæ, Deo opt. max. dicatè virginitatem perpetuò colerent. Nam quauis multa eiusmodi loca, pijs iam olim hominibus in re præclara studiosè contendentibus, in Toletana diocesi structa essent, annonæ in dies caritate ingrauescente, mulierumque numero tripla (vt so- 50 let) proportione virorum supergresso, nihil in hac re amplianda vnquam fiet, quod nimium aut inutile dici possit. Ergo inter cætera ædificia quæ Compluti fiebāt, ædem etiam sacrarum fœminarum erigendam curauit, titulo sancti Ioannis pœnitentis: cui collegium egenarum puellarum, nouitio ac prudenti inuentio, sub nomine diuæ Isabellæ adiunxit: quæ de illarum custodis voluntate (quam matrem vocant) & diui Francisci in eo oppido Guardiani consilio, iu-

xta præscriptas ab eo leges cooptatæ, tandiu illic in omni disciplina & custodia
 degerent, donec lubricum ætatis prætergressæ, aut se diuino obsequio manci-
 pari, aut nubere constituerent. Quod si in illam partem inclinarent, ad vota
 faciendæ citra vilius pecuniæ dotis nomine numerationem admitterentur. Si
 verò nuptiis indulgere mallerent, viro frugi & probò collocatæ, dotem ex cœ-
 nobii prouentibus susciperent, quos ille vberes & copiosos grandis summa æris
 comparauit. Nam olim cum ministrum (vt dictum est) prouincialem ageret,
 nonnullarum virginum animos in cœnobiis degentium grauib. furis diue-
 xari intellexit, quod aut parum ingeniorum suorum conscia, aut cognatorum
 coactæ autoritate, aut egestatis durissimo imperio se sodalitatibus mysteriis ad-
 dixissent. Quamobrem humanissimo consilio excogitauit, quo pacto partim
 sui exploratione habita, partim dotis erogatione facta, illis incommodis succur-
 reretur. Curam hoc conficiendi Gregorio Fernando viro industrio, & probri-
 tate claro, in diuæ Mariæ templo, quod Compluti insigne est, beneficiario com-
 misit: qui opere nondum absoluto è viuis discessit, seque illic tanquam in fun-
 do à se culto, fidus colonus humari demandauit. Eius cœnobii institutio ob-
 fructum in dies non mediocrem inde prouenientem aded grata antistiti fuit, vt
 cum olim Toleti agens quingenta millia nummum eroganda in ea vrbe perpetuò
 reliquisset, quorum triginta, de virginibus dote cassis iam tunc sollicitus,
 earum nuptiis deputari voluerat, ducenta verò ad miserorum hominum redem-
 ptionem, qui apud infideles captiui tenebantur, idque tabulis testamenti ob-
 gnasset, quas anno M. D. XII. condiderat, postea mutata sententia, anno M. D. XIII.
 per codicillos resciderit, cœnobiumque alterum huic persimile Ioannis itidem
 penitentis cognomine, Toleti ex ea summa quotannis colligenda ædificandum,
 & tuendum cauerit. Addidit insuper nummorum decies centies ex ære ad pri-
 uatos vsus seposito continuo numerandum, cuius nempe præsidio res domesti-
 cis vsibus necessaria, reliquasque omnes penatius apparatus beneficio fructuosissi-
 mo emerentur, cœnobiumque deinceps aduentantibus suo tempore prouenti-
 bus beatissima vbertate gauderet. Quod si anticipata vectigalium solutione illa
 fuissent comparanda, totam œconomia rationem conturbassent. Cum postea
 Franciscus Ruizius Abulensis episcopus patroni memor ibi sepeliri decreuisset,
 sacerdotiis quibusdam institutis per cœnobii matrem cõferendis, pretiosa item
 donata supellestiale, tum aulæ, tum argenti & auri, & postremò cœnobio
 in heredem nominato, factum est vt non solum egenæ virgunculæ in eo vi-
 tam honestissime traducant, quarum de causa id est institutum, sed ex vniuersa
 ciuitatis ingenuitate puellæ innumeræ, in id collegium suscipi ambiant, quæ aut
 parentum patrociniò orbatæ, aut propter formam sollicitatæ, aut paterna domo
 ob nouercalè dissidium pulsæ, iustum tempus nuptiarum expectantes, famæ il-
 libatæ testimonio illic fruuntur. Hanc laudem tam insigniter Complutense ob-
 tinuit, vt ex toto eius regionis tractu illuc puellæ disciplinæ gratia confluant,
 nostrisque temporibus Philippus XI. Hispaniarum rex inter cætera humanitatis,
 magnificentia, & sanctimonie exempla, quæ ab eo passim eduntur, eo vno ab-
 undè commendetur, quod aulicorum ministrorum filias, eorum præsertim qui
 in secundo ministrantium gradu constituuntur, quinquaginta & adhuc amplius
 numero, in eo cœnobio studiosè & pudicè educandas curat. Regium profectò &
 præclarum opus, diuisque omnibus, sed Ximeno in primis iucundum, qui clarissimis
 suis monumentis, tanti principis testimonio magnum decus & honorem addi-
 cernit. Ergo ne hoc Complutense cœnobium illam quam diximus egestatem
 pateretur, si sumptus faceret ante prouentus perceptos: multis tamen millibus num-
 mum statim numeratis, tum frumenti modiorum, omnè ab eis sollicitudinè abstu-
 lit, & tranquillitatè illam induxit, quæ ab omni profana cura sequestratis hominib.
 ad religionè cui se semel dicarunt tuendam, necessaria est. Vt interim illa non re-
 censentem, calices, patinas, pretiosamque crucem, quondam regum Aragoniæ deli-
 cias, ex argento purissimo: præterea culcitras, stragula, tapetia & aulæ, quæ ex
 omni sua opulenta supellestiale, huic cœnobio Complutensi, testamento, & binis
 item

item codicillis legauit. Postquam hæc Compluti acta sunt, de Mozarabum offi-
 cio, quod Toleti Melchiori Gurrizio Genuensi librorum impressori edendum
 demandauerat, & de multis aliis quæ ad ecclesiam suam spectabant acturus,
 Toletum proficiscitur. Officii Mozarabum libri tunc per illum in publicum
 dati, vt res omnes vsu consumuntur, nunc ita ferme iam exhausti sunt, vt vo-
 lumen quod missale vocant, me vidente, triginta aureis Toleti confiterit.
 Nam ab omnibus doctis & piis hominibus, quibus huius officii notitia est, tam
 missale quam breuiarium certatim expetitur: ipseque aded Paulus III. Ponti-
 fex maximus missis Toletum legatis ab ecclesia nostra officium hoc petierit: &
 10 Gothicæ pietatis monumentum in bibliotheca Vaticana asseruari iusserit. O-
 pus profectò vtrunque, siue sacrarum precationum grauitatem, siue hymnorum
 elegantiam, siue rerum gestarum per antiquos patres, & martyres, non vulgares
 historias quispiam consideret, magno in pretio & veneratione habendum. Vti-
 nam aliquis exoritur actorum Ximeniæ æmulus, qui sacra hæc Mozarabum
 volumina euulget rursus. Astunigam, Nebrissensem, Pintianum, & Coronel-
 lum, reliquosque sacrorum bibliorum curatores secum Ximenius Toletum
 adduxit. Volebat enim quoties sibi per otium facultas daretur, eorum studiis
 interesse, & sacrarum rerum difficultatibus enucleandis totum id temporis,
 quod à negotiis succidere liceret, impendere. Porro cum crebrò ad illum tam
 20 Hebræa, quam Græca exemplaria ex diuersis locis, per conductos mini-
 stros, non sine magna impensa mitterentur, gaudebat viros earum linguarum
 peritos apud se habere, qui de certa librorum æstimatione & fide edocerent.
 Volebat etiam in re tam graui, quæ propter illius temporis ignorantiam, apud
 plerosque malè audiuerat, sua præsentia & autoritate honestare, & à calu-
 mniarum criminationibus asserere. Illic ergo totam æstatem est dimoratus,
 partim egenis subueniendis, partim moribus emendandis intentus. Iam bona
 pars autumnu tranfierat, cum nuntius ad eum citatis itineribus à rege venit, qui
 Isabellam reginam totius Hispaniæ, aut orbis potius ornamentum, vitali aura
 spoliata vi. Cal. Decembris, Methinæ decessisse significabat. Quare Taurum
 30 oppidum quod se rex profecturus accingebat, quam celerrimè posset festinare:
 vt qui inter testamenti executores appellatus fuisset, reginæ sui amantissimæ, de-
 que eo tam bene meritæ non deesset: cui iam munere viuendi cassa executio-
 nem postremæ voluntatis, tanquam fido amico commendauerat. Vt interea
 non commemoraret, quantum sibi remedium, & leuamen contra instantis do-
 loris acerbitatem, eius præsentia esset allatura. Præscripsit etiam itineris confi-
 ciendi rationem, & profectiois diem: ne imprudens quæ Granatam reginæ
 cadauer ex testamento deferebatur veniens, funus comitari cogeretur: quo
 facto omnes regis rationes conturbarentur. Vnum esse quod inuitus absque
 eius consilio fecisset, ob celeritatem quam reipub. vtilitas in eo negotio confi-
 40 ciendo efflagitare videbatur. Nam eo quo regina obiit die, imò vix integræ ho-
 ræ post eius mortem interiecto spatio, erecto pro tempore in medio nundinali
 Methinæ foro tabulato, regis Castellæ titulum solenniter deposuisse: & sublati
 per Federicum Albæ regulum, more Hispano, vexillis, feciales præcones Phi-
 lippum generum & Ioannam filiam faustis vocibus reges proclamari iussisse.
 Quod præclaro in primis & prudenti consilio factum est, ad omnem calumniam
 affectati regni depellendam: quam factionis aduersæ reguli, qui Aragonio no-
 mini infesti, vt quam primùm ad regnum autum discederet, adolescentis Phi-
 lippi auribus occultis criminationibus assidue instillabant. Quod vbi Ximenio
 nuntiatum fuit, quamuis ad omnem animi ægritudinem dissimulandam exer-
 50 citatissimo, lachrymæ pietatis in reginam indices obortæ sunt: & voce præter
 solitum lamentabili reginam eo tempore defecisse dixit, cuius nunquam si-
 milem sol visurus esset, siue animi magnitudinem, siue pectoris puritatem,
 siue religionis Christianæ cultum, siue iustitiæ curam, quam æquè omni-
 bus tribuebat, siue legum præscarum conseruationem, aut pro tempore con-
 dendarum studium, siue annonæ vbertatem diligentia sua vbique partam,

quod in primis regium & populare est, considerare quispiam voluisset. Atque in hunc modum oratione de eius virtutibus inter familiares longiuscule producta, animum extristissimo nuntio afflictum nonnihil remisit, & sine vlla mora iusta itinera facere instituit: quibus Taurum, quæ antiqua Sarabis à nonnullis creditur, iuxta regis præscriptum perueniret. Erant ea tempestate hyberni imbres adedè magni & assidui, vt inter eos qui reginæ cadaver deferebant, agitata & ininitum fuerit, illud Toleti deponere, donec cæli inclementia desiniret, viaque facilis pateret. Nam itinera multitudine aquarum exundantia (si Petro Martyri fides habetur, qui funus sequebatur) maris vastitatem (sic enim ille ait) referebant: maioresque à se difficultates esse perpeffas dicit, quam in longissima peregrinatione qua per Ægeos Ioniosque rugitus, in Africam Asiamque, deinde ad maximam vrbium Cairum, quam Memphim esse aiunt, legatus peruenit. Ximenius tamen haud propterea retardatus, iter per medias pluuias, pietate & fide laborem vincitibus, extemplo arripuit. Non est prætereundum quod in Gonzali Ouetensis commentariis reperi, occurrisse scilicet puellam custodem ouium feretrum reginæ ducentibus, quæ sciscitata cuius id cadaver esset, prohibitorum (inquit) magnum triumphum: nam hodie è seuerissimis quibus coercita tenebantur repagulis, soluuntur. Cuius vox cum rerum euentum tam certum habuisset, vaticinii loco tunc est habita. Postridie eius diei, quo Ximenius Taurum accessit, in primo illo post reginæ obitum congressu adedè fortem animum, vereque regium Ferdinandus ostendit, vt obuius Ximenio ad cubiculi ianuam procedens, comiter & hilariter exceperit, & manifesta signa exhibuerit lætitiæ ob Ximenii præsentiam conceptæ: quod incredibili gaudio vniuersos qui aderant affectit. Nam hæctenus rex in mœrore & lachrymis squalidus, consolationem nullius admiserat. Dum sedes antistiti deferebatur, rex nihilominus honoris causa stetit: quod à nostris regibus in Hispania, non nisi viris meritis, quorum prudentia & fides spectata sit, exhiberi, & id perrarè, solet. Poterat hoc sanè blandientis regis obsequium videri, Ximenium iam ea arte captantis ad novos tumultus & rerum mutationes, quas ex Isabellæ reginæ obitu propediem futuras præuidebat, nisi iam olim frequentibus exemplis quanto eum in pretio haberet, quantumque eius dignitas sibi curæ esset, in omni oblata occasione declarasset. Memini, me aliquando de his rebus cum Didaco Lupo Aiala Ximenii intimo & fidiissimo ministro agètem, audisse quid ab rege Garrouillis, municipio in Lusitania Cauriæ proximo, esset factum. Accesserant eò Ximenium rex, vt de principis filii morte reginam certiore faceret, & piis verbis confirmaret. Meridiabatur Ximenius, custosque Didacus Aiala pro foribus erat. Rex Ximenium allocuturus in speratè aduenit. Extemplo Didacus fores cœpit recludere, vt dormientem excitaret. Sed rex vetuit, & commodiori (inquit) tempore veniam. Ergo Ximenius tam honorificè à rege susceptus, ferme duarum horarum spatium semotis arbitris cum illo collocutus est, domumque corpus curaturus discessit: erat enim è proximo itinere admodum lassus. Eo digrediente rex honoris causa extra cubiculum processit, & cum Ximenius se in genua demitteret, quod se tam insigni comitate prosequeretur: rex etiam caput detexit, & hilari vultu dimisit. Sunt quidem hæc parua & minuta, sed à regibus apud nostros subditis exhibita, multum momenti & admirationis adferunt. Executores testamenti singulis ferè diebus conueniebant. Hi autem fuerunt, rex & Ximenius, Antonius Fonseca, & Ioannes Velasquides, Didacusque Deza Archiepiscopus Palentinus, & Ioannes Lopides Cefarangustanus eius secretarius. Hi de rebus ad rempub. pertinentibus, magna cura & consideratione, inter se diligenter consultabant. Rex interim hilarior solito per oppidi vicos, Ximenio adhortante, obsequitabat, & consuetis remissionibus paulatim mœrorem deponebat. Tunc fuerunt promulgatæ leges Tauricæ, quæ Isabellæ reginæ providentia, ad reip. felicitatem, & ad lites dirimendas præsentissimè remedium, de Ferdinandi coniugis, multorumque in ea reperitissimorum virorum consilio, excogitatæ & adiuventæ sunt. Ex testamenti reginæ clausulis, tres sunt quæ potissimum

simum ad regem pertinebant: & quarum cognitio ad ea quæ postea dicenda sunt, necessaria videtur. Prima, vt Ioanna filia ab Hispania absente, aut laborem sua regna administradi recusante, aut minus id propter aliquam priuatam causam facere valente, Ferdinandus maritus rerum summæ præset: donec Carolus ex Philippo & Ioanna maior natu filius, vigesimum annum ætatis attingeret. Nam de Philippo genero, aut quod illi peculiariter infensa, quod filiam indignè tractasset, aut quod Hispanis rebus moderandis parum instructum esse existimabat, nullam omnino mentionem fecit. Altera, vt in rerum à Ferdinando marito gestarum, & laborum in Granatensi prouincia expugnanda susceptorum memoriam, præmium decies centena millia nummum, nec non dimidiam ex nuper repertis antipodibus prouentuum partem, quoad vitam superi cõcessissent, quotannis perciperet. Tertia, vt trium opulentissimorum equestrium ordinum sancti Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ magistris, quæ indulgèntia Romano pontifice magistrorum officio abrogato, quod regiè potentia emuli tranquillitatem reip. læderent, Ferdinandus & Isabella reges non ita pridem sibi vendicauerat, per vitæ suæ tempus potiretur. Curauit enim vt administratione regnorū commissa, & tantarum opum prouentibus, nihil pristinæ mariti authoritati præter regium Castellæ titulum detrahi videretur. Proceres illi quibus Aragonium nomen infestum erat, Ferdinandi regis præsentiam auersantes, ad hæc simulatque vulgata sunt fremere: Philippum, cuius ingenio parum propter ætatem callido, se abufuros sperabant, accersendum: Ferdinandum ad patria regna primo quoque tempore pellendum, vrgeri. In hoc præ cæteris Emanuellus, qui diu apud Maximilianum Cæsarem Ferdinandi legatus fuerat, toris viribus incumbibat. Is enim siue patrimonii dilatandi causa, siue potius primas partes apud Philippum habendi cupiditate, simulatque reginam obiisse intellexit, ad Philippum regem conuolauit: apud quem omni adnitebatur studio, vt nihil cum socero pacisceretur: sed vt is quam primùm è Castella discedens ad hæreditaria regna, quibus deberet contentus esse, migraret. Nonnihil Ferdinandi pectus hac animorum & rerum mutatione infractum fuit. Et constans ille æqui & boni, vxore viuente, vindex, affectibus procerum nonnihil indulgere cœpit, & Aragonium secessum formidare. Neque tantum præteritorum temporum, rerumque gestarum ratio apud eum valuerunt, quam præsentis status inuersio: quæ nimirum suas cogitationes de magnis negotiis absoluendis retardabat, cõprimebatque. Quod dū Ximenius animaduertisset, vir robusto & incorrupto animo, omnem operam & curam pollicitus ad eius dignitatem tuendam, nutantem animum regis confirmat: virosque aliquot spectatæ fidei ad Philippum generum mittendos adhortatur, qui eum Hispanicarum rerum ratione edoceant, & cupidos rerum nouarum regulatorum animos detegant: qui mutua rerum simultate, suis cõmodis seruire satagerent. Adolescentem rerum imperitum, nullosque veteratores aut vafros homines adhuc expertum, multò tutius in soceri fidem, qui horum hominum multos iam annos notitiam habeat, quique solam eius regiam maiestatem conseruare & augere intendat, quam in eorum prædâ venire, qui ex eorum discordia rerum suarum incrementa captant. Neque enim generum regem esse abnuere: in cuius rei testimonium, in medio mœrore & iustissimis lachrymis, eo ipso quo coniux morte prærepta est die, regio se titulo spoliavit, nomine tantum administratoris sibi in Castellæ regnis assumpto. Veniret ille modò cum Ioanna vxore, & experiretur non tantum cupidum regnandi socerum esse, quam pessimi delatores dixissent: qui velut furia facibus accensis, vtunque curabant inflammarè. Huic rei gerendæ præficiuntur Lupus Conchillus, & Michael Ferrera Aragonenses iuuenes: ex quibus Conchillus priuatim mittebatur, vt quandiu Philippus apud Belgas moraretur, Ioannæ semper reginæ adesset, & quidquid rei secretioris filia cum patre Fernando tractare vellet, eo tantum arbitro fieret. His rebus ita constitutis dum omnia suspensa & in expectatione sunt, anni m. d. v. ferme tertia pars iam elapsa erat: Ferdinandus nihilominus administrationi reipub. intendere, & Castellani regni vtilitati, in cuius

ille motibus comprimendis, & finibus amplificandis, tantum periculi & laboris exhauserat, prospicere. Ximenius vero à reip. negotiis parumper liber, qui religionis & diuorum eximius cultor, semper aliquid secum versabat, quod hunc tam pium affectum incenderet, in memoriam reuocauit diui Ildephonsi corpus Zamoræ asseruari, quam Senticam olim appellatam esse nonnulli existimant, & xvi. millibus passuum à Tauro distat. Incessit ergo illum mira quædam cupido visendi, & venerandi reliquias viri sanctissimi, qui & Deiparæ virginis munere & alloquio perillustis est, & ecclesiæ Toletanæ pontificatum adeo integrè & vigilanter tempore durissimo, dum schismata & hæreses vige-
bant, administravit, vt diuinos sibi honores inter diuos relato comparauerit. 10
Dolebat Toletanam ecclesiã eo esse thesauro spoliatam, & nihil magis ex illa calamitosa Hispaniæ vastatione, quam sub Roderico ultimo Gotthoruni rege sustinuit, in familiari colloquio deplorabat, quàm sanctissimi Ildephonsi corpus, vestemque sacram, per virginem matrem cælitus ad eum deductam, quæ in Ouerana ecclesia est, à templi Toletani adytis per alienas sedes exulare. Peropportunos ad eam rem gerendam Petrus Biuerus visus est: tum quòd equestris ordinis Zamoræ ciuis esset, & in sacerdotum ciuiumque senatu permultos cognatos, & amicos, quorum id opera & patrocinio fieret, habebat: tum etiam quòd intimus & carus Ximenio, optimam operam patrono erat nauaturus, vt voti compos fieret. Eius ergo auctoritate & cura id duntaxat impetrari potuit, vt quàm dissimulatè id fieri posset, Ximenius Francisco Ruizio sodale, & duobus à cubiculo ministris comitatus, totidemque anteambulonibus, Zamoram de nocte occultus veniret. Accipit ergo conditionem læta fronte Ximenius, gratiis pro tam sedula cura Biuero actis. Cùm omnia iam apparata essent, subito Zamorenses mutatis animis, ne se Tauro moueret per eundem Biuerum renunciant: neque enim de ea re tam arcano consilio potuisse tractari, quin ad notitiam multorum dimanauerit: qui tam grauitè & molestè tulerunt, vt vniuersa Zamorensis ciuitas fortunarum omnium discrimen, suorumque ciuium internecionem subire parata sit potius, quàm facultatem vllam dare Ildephonsi corpus cernendi. Quæ autem tam subitæ mutationis causa fuerit, nihil pro certo compertum habeo: nisi quòd nonnulli ridicula & pro tempore conficta ex-
cultatione, religione quapiam prohiberi se dixerunt: vocem scilicet humana au-
gustiorè è penetralibus, vbi Ildephonsus asseruatur, prodeuntem audiuisse, quæ manes sanctissimos sollicitare vetabat. Sed verisimilius est, potentissimi hominis & intrepidi ingenium timuisse, ne quid de possessione quondam sua tentaret, aut graues lites intenderet sanctissimis reliquiis conspectis, quæ diuinum odorem vndiq; spirarent, vereque illam puritatem retinerent, quam Ildephonsus olim in illo exuuiò coluit. Experimento enim constare, eamque esse rerum naturam, vt quæ sub aspectum veniunt acrioribus stimulis animos hominum commo-
tuere soleant. Agrè id Ximenius tulit, qui delusus à Zamorensibus videbatur: & illorū sententia cognita, quantum (inquit) priuati hominis cōditio principis fortunæ præstat: Nam si ego detricto, vt olim solebam, sacco indutus, ad Zamorensium ecclesiã venissem, sine vllò negotio, quod frustra rogari essem assecutus. His dictis omnem deinceps huius rei curam proiecit, & rege Segouiam concedente, Tauro Complutum reuertitur: quanquam in quorundam scriptis reperio regi comitem semper fuisse, donec Ferdinandus & Philippus conuenerunt. Sed verisimile non est, cū tot res Ximenius Compluti interruptas reliquisset, difficultatis & laboris plenas, quib. absoluendis eius præsentia necessaria erat. Interea reip. rebus è clanculariis consiliis, & occultis congressibus, in lucem se effe-
ferentibus, legati duo è Belgis venerunt, Philibertus Burgundius Veranius princeps, & Andreas Burgius patria Cremonensis, Italo ingenio, & literarum studiis clarus: alter à Philippo genero, alter à Maximiliano Cæsare Philippi patre, ad eas res omnes, quæ non mediocriter reip. statum perturbabāt, cognoscendas & tractandas missi. His in primis mandatū erat, Emanuello aliisque Hispaniæ proceribus omni vi & studio id contendentibus, vt Ferdinandus Castella cederet.
Erat

Erat regi adolescenti & imperandi cupido faciliè persuasum, speciosam quandam seruitutem se sub Ferdinandi tutela acturum, dulciq; illa regnandi libertate sub foceri pædagogica disciplina cariturum. Belgis vero, qui Philippo intimi erant, Hispanarum opum auaritate captis, ingentia lucra proposita fuerant, si inter focerum & generum fœdus nullum iniuri permitterent. Quas ob causas nihil aliud à legatis extorqueri poterat, quàm vt Ferdinandus Ioannæ filiæ patrimonio relicto, in sua regna quamprimum discederet. Qua vna re tumultuantium regulorum studia, cæterorumque omnium, qui nouis rebus inhiabant, mirum in modum augebantur, & gliscebant. Dabant naturæ degeneris documentum, quòd impudenti insultatione, regem de ipsis, & repub. optimè meritum, vellicabant & perpungebant. Quibus ille altissima patientia dissimulatis, aut aliorum quàm fierent acceptis, temporis successus expectabat. Res enim ipsæ se demum proditura erant, & Philippus malo suo doctus sententiam suam erat mutaturus. Sed subito exoritur, quod non mediocriter Ferdinandi animum, quantumuis excelsum, & fortunæ ictibus superiorem, debilitauit, & penè infregit. Lupus Conchillus, quem ad Ioannam reginam supra fuisse missum demonstrauimus, cùm eam de his rebus certior faceret, procerumque artes & consilia declararet, quibus Philippum coniugem à patre Ferdinando abalienare conabantur, parentem per literas secretiores adhortatur, vt si quid apud eum carissimæ filiæ preces valerent, nullo modo ea regna desereret, quæ ipse vna cum Isabella matre, tot seditionibus & tumultibus nutantia, tot hostilibus armis vicinorum Maurorum impetita, securitate perpetua stabiliuerant. Quòd si ad id, præter ius ex testamento reginæ Isabellæ, solennes tabulæ necessariæ essent, quibus facultas regni administrandi, donec Philippus in Castellam appelleret, daretur, se vel nolente marito quamprimum missuram. Quare curis & molestia liber degeret: nam simulatque in Castellam ventum esset, omnia ex eius sententia componenda fore. Has literas, Conchillus Ferreræ, quem supra consiliorum participem cum eo ad reginam venisse diximus, ad Ferdinandum perferendas dedit, quòd nemo ad id exequendum aptior quàm vir Aragonius videretur: qui & solinatalis communitate, & multorum beneficiorum causa, quibus illum cohonestauerat, Ferdinando regi obstrictus erat. Is autem siue timore deterritus, ne si res palam fieret, Belgis pœnas atroces daret, siue captandi Philippi cupidus, parum fidei & officii memor, rem vniuersam ad Philippum defert, eique literas in manus tradit. Philippus postquam mittendarum literarum & totius consilii authorem Lupum Conchillum fuisse intellexit: iracundia percitus, tanquam nefario in crimine & capitali fraude deprehensum, in tetrum carcerem detrudi iubet: vbi loci pædore & vligine caput intabuit, & defluuium capillorum passus, vitæ periculum subiit. Id medicaminis viribus, quo se petitum eo tempore aiebat, Conchillus accidisse arbitrabatur: atque ita in familiari colloquio senex olim iactabat, mentem sibi postea per interualla vacillasse. Nec Conchilli pœna Philippus contentus fuit: nam vniuersam vxoris familiam, Aragoniorum hominum causariis missionibus atque adeo cæterorum omnium, quos ad Belgas venienti pater tradiderat, obdurato animo immutauit, paucis duntaxat retentis, quibus ne se inscio in Hispaniam scriberent, seuerissima admonitione edixit. Ferebatur etiam Philippus cum Gallorum rege Ludouico fœdus iniisse, ad deturbandum è Castella focerum si per vim aliquid tentasset. Nam Carolo Philippi filio Claudia Ludouici filia, maximis conditionibus despondebatur. Galli tamen proceres id non probantes, pacta cum Philippo conuenta mutarunt: & Francisco Angulemæ regulo, ad quem nisi Ludouico proles virilis nasceretur, sceptrum de more maiorum pertinebant, elocata est: ne minoris Britannicæ successio, cum Claudia materni iuris & patrimonii hærede, ad Carolum postea deuolueretur. De his omnibus Ferdinandus certior factus, cùm se peruersis corruptisque Belgarum studiis foris virgeri cerneret, domi verò suorum ingratitude & inuidia premi, minimè esse malis cedendum ratus, Ximenium confestim accersit, vt illum regulorum potentia opponeret, qui apud Belgicos

legatos, in regis contemptum assidue versabantur: & ut cum eo conferret, quid super Conchilli vinculis esset agendum. Quod quamvis alta dissimulatione celauerat, animo tamen hærebat, præsertim postquam aperta similitudine & odio rem agi vidit. Paruit statim Ximinius, regi que suo tot difficultatibus & molestiis laboranti, deesse noluit. Venit citato itinere Segouiam, & regem monumentis gestarum rerum clarum, Castellæ reipub. amantissimum, mansuetudinique morum commendabilem, cuius in omnes Castellæ regulos extabatur merita, vno aut altero ex proceribus, qui aut propter sanguinis coniunctionem, aut propter intimam familiaritatem eius dignitatem tuebantur, comitatum inuenit. Cateri enim (ut dixi) apud Philibertum & Andream legatos assidui, omni insultationis genere regi suo bilem mouebant. Ximinius incisiis omnibus Segouiam ingressus, ut erat de via puluerulentus, antequam regem saluaret, legatos qui iam epulis paratis discumbere volebant, ad se quam primum venire iubet: res enim esse maximi momenti, quæ se festinandum Segouiam venire coegissent: nec vulgare periculum emerfurum, nisi in tempore succurreretur, omnemque moram rebus gerendis semper nocuit, nunc perniciosam insanabilemque fore. Commoti sunt legati Belge, quamvis proceribus id extenuantibus, atque ut inanes terrores contemnentibus. Gratias igitur se Ximenio agere pro suscepto labore benigne respondent, & se à prandio ad illum venturos, & ex eius præscripto omnia effecturos, quæ ad remp. pertineant, promittunt. Instat Ximinius ut relictis epulis properet, neque enim id genus negotium esse, ut dilationem vllam pateretur. Parent legati, & in regiam quod iam se ille contulerat veniunt. Egit primò de Philippi rebus prudenter satis & grauer: & improbare se dixit, quod foceri probitati & candori diffidens, sese vulturibus deuorandum committeret, lupisque hiantibus prædam appararet. Deinde de Conchilli carcere, & Aragoniorum amandatione, rei indignitatem verbis etiam exaggerans, quod Philippus leuibus de causis tam grauiam animi exulcerati signa aduersus focerum, de illo multis in rebus benemeritum dedisset. Quare nuncios per equos dispositos ad Philippum mittendos censet, per quos de Conchillo dimittendo, atque in pristinam dignitatem restituendo, cum illo agant. Nam si ulterius progredere, videret ne foceri animum aduersus se irritaret: cui nihil aliud quam reip. Hispanæ commodum curanti, non defutura esse optimatum studia, qui illum quantumvis Gallico præsidio & potentia instructum, donec sanius consilium reciperet, ab horum regnorum accessu prohiberent. Attoniti ad tantam dictorum libertatem legati, & dorum Ximenii ingenium cognoscentes, ne quid nouarum rerum in tam iusta indignatione, partim rex multitudini carus, partim antistes potentissimus mblirentur, antequam dapes repeterent, nuncios cum literis ad Philippum miserunt de rebus per Ximenium tractatis: monentes ut omnia in melius mutaret, donec ipse in Hispaniam veniens, rebus pro voluntate compositis, sceptrum teneret. Nunc vero Ferdinandum & Ximenium timedos esse, qui reip. commodis tuendis, eisque proculdubio studentes, ne eorum voluntati obtemperaretur, magno ad res gerendas impedimento futuri erant. Hæc postquam Philippo, intimisque suis renunciata sunt, cuncta ex Ximenii præscripto fiunt. Conchillus vinculis liber in dignitatem ablatam restituitur, & de foederibus cum focero agitur. Ille ut erat perspicaci ingenio & prudentia præditus, nihil firmum fore eorum quæ tractarentur prædiuinans, dum hæc cum genero agit, Gallum ad amicitiam inuitantem, quamvis omnia superiora petentem, non abnuente Ximenio recepit. Ximinius ab hoc tempore usque ad regis Philippi mortem, & Ferdinandi in Hispaniam reditum, magna reip. vtilitate variis procellis per id tempus perturbatæ, nunquam à regio comitatu discessit. Mittuntur ad Gallum legati Cifontius comes, & Thomas Malfelitus Aragonii senatus præfectus: quibus authoribus, etsi iniquissimis conditionibus, foedera tamen percussa sunt. Gallus iuri Neapolitano cederet, dummodo Ferdinandus Germanam neptem, quamvis ipse ætatis multo prouetioris esset, vxorem duceret (erat enim duo de viginti annos nata) cui Ferdinandus rex maior erat auunculus: nam ex vetusta Foxiorum comitum familia pater-

num genus, maternum à regio Aragonum & Cantabrorum stemmate ducebat. Quod si germana absque liberum successione decederet, vrbs Neapolis atque ad eam vniuersa regni pars, quam Federico deturbato Hispanus & Gallus partiti fuerant, rursus in potentiam Gallorum veniret: atque in summam, ut videbatur, Hispanorum iniuriam, quibus fusi sanguinis, & ingentium laborum premium, iure belli oppida quædam & vrbes hostium donata fuerat, rursus prioribus dominis totius defectionis authoribus, Aragonio nomini infensissimis, restitueretur. Post hæc quingenta aureorum millia decennio penderentur, in singulos annos continuos quinquagena. Quæ etsi Ferdinandi authoritati, qui paulò antè de Gallo rot deuictio præliis triumphauerat, non mediocriter officiebant, & partam gloriam magna ex parte obscurabant, non reicienda esse eo tempore visa sunt. Postquam hæc Philippus rescieuit, indignissimè tulit: & cum se à Gallo delusum esse sentiret, ac foceri vires multum ea affinitate adauctas, quamvis indignabundus pacem cum focero inire cogitur: & cum vxore in gratiam rediens, tabulas tandem ad eum mittit, quibus regnorum administrationi æqua cum ipsis potestate præficitur. Salamanticam interea Ferdinandus & Ximinius vna è Segouia venerant, vbi mense Decembri Ximenio nuntiatum fuit, Petrum Furtatum Cazorle præfectum, Guadalfaiaræ è viuus decessisse. Eius prouinciæ cura quoniã ad eum pertinebat, statim viros strenuos & industrios illuc mittit, qui omnes præsidarios custodes, iurifurandi solenni religione post Furtati mortem iam exolutos, sibi denuo de more obstringerent, & publicæ tranquillitati prouiderent: ac vectigalium prouentuumque collectioni, quæ solent in huiusmodi rerum occasionebus rapacissimo cuique præde esse, diligenter & studiosè attendere. Hac diligentia, qua in omnibus rebus tempore semper necessario est usus, animos hominum quietos continuit: cunctosque motus & seditiosas cogitationes è pectoribus eorum euulsit. Nihil ultra ea de re tunc constituendum esse existimauit, sagaci (ut nonnulli dicebant) consilio, ut negotio in posterum dilato, regi de se benemerito occasionem pro aliquo intercedendi præriperet. Quamvis differre se aiebat hoc negotium in aptius tempus, quando regis animus hilarior esset, & minus curis premere. Est verò Cazorla (sive magis Castorlam appellare libet, nam ita ab historicis nostris vocitari deprehendo) antiqua (ni fallor) apud Strabonem Catastaon: nam haud procul ab ea Segura mons est, quem argenteum vocat, unde Bætis fontes erumpunt: & adhuc nostra tempestate plumbi & aliorum metallorum fodinæ sunt, quarum etiam Strabo meminit. Ea quoniam olim à Roderico Toletano Antistite, viro præter insignem, proutilla tempora ferebant, eruditionem, & in pace & bello claro, è barbarorum imperio liberata fuerat, Ferdinando tertio Hispaniarum rege id benignissimè cõcedente, in Toletanorum pontificum ditionem venit: in quorum potestate trecentorum annorum & amplius spatium durauit, donec sub Ioanne Tavera, ad Camaratum Francisci Cobi filium translata fuit. Instabant interea Ianuarii Calendæ, nouaque omnia cum noui anni luce, qui supra mille simum d. vi. numerabatur, ex foederibus inter reges ictis, non sine magna bonorum læticia sperabantur. Nec eos sefellit euentus: nam octauo idus Ianuarias, quo die Magorum ad Christum natum adorandum aduentus religiofissimè à nostris colitur, publica præconum regionum voce, concordia regis Ferdinandi cum eius liberis pronuntiat. Quare regia deinceps diplomata Ferdinandi, Philippi, & Ioannæ nomen præferebant. Non deerant è senioribus sinistri vates, qui longa rerum experientia, & grandis ætatis vitio, omnia in peiorem partem detorquerent. Nam in eum usum tantisper simulari dicebant, donec Philippus in Hispaniam se reciperet, & focerum in Aragoniam pelleret. Illam enim diplomatum præfationem in qua Ferdinandus prænominabatur, quem nullo in loco positum vellent, oppidò quam ingratam Philippo & Belgis futuram. Ferdinandus statim Segouiam rediit, ut venatione se oblectaret, cuius studio & exercitatione, mirum in modum recreabatur. Vere ineunte certior factus est, Philippum & Ioannam vela fecisse, propediemque in Hispaniam appulsiuros. Supplicationes pro eorum prospera nauigatione ad diuos omnes susceptæ sunt, & non contemnenda numerorum summa per sacerdotum collegia, & per sacrarum virginum contuber-

nia distributa. Quare Segouia discedens, Valleolerum (quæ antiqua Pintia est) proficiscitur: ut Oceano propinquior, simulatque compertum habuisset Asturum terram eos attingisse, quæ è Belgis soluētibus veniendum erat, facillè illis obuiam procederet. Illi interea maris inconstantiam experientes, tempestatibus grauissimis iactati, vi. Calendas Maias magnum Calletiæ portum deuenerunt, olim Brigantium, nunc Corunnam dictum, quasi Columnam (Incolæ enim sic turrim vocabant) non quòd ibi ab Hercule fecundæ columnæ, quod viri docti nonnulli crediderunt, eo in loco collocatæ sint, decepti (ut opinor) fabella quæ inter nostros circumfertur: turrim illam ab Hercule constructam, in qua speculum arte quadam arcanâ posuerit, in quo naues vel longissimo spatio distantes 10 contemplari liceret. In tam ridiculam opinionem ignoratione vocum sunt delapsi. Nam cum turrim speculam vocaret, speculum illi, quod diximus, confinxerunt. Sed quoniam hanc Augusti turrim titulo esse memorabilem nonnulli auctores tradiderunt, adscribemus & titulum, qui seorsim ab ipsa turri insculptus est, optima fide transcriptum.

MARTI

AVG. SACR.

G. SEVIVS.

LVPVS

ARCHITECTVS

A. F. DANIENSIS

LVSITANVS EXVL

Simulatque Ferdinandus reges aduentasse rescivit, iustis itineribus Valleolerum Compostellam contendit. Post eum Ximinius viâ se dedit, primoque ipso quo discessit die, Villumbrale oppidum peruenit, suæ ditionis municipium, lampadum oleo templi Toletani à maioribus religiosè dedicatum, bis decem millia passuum Valleoleto distans. Quo pacto autem à Toletani Pontificis ditione longè sepositum oppidum in ipsius potestate uenerit, non grauabor recensere, quemadmodum in templi Toletani adytis scriptum deprehendi. Alfonso octauus Hispaniæ rex, cui crux in aere se ostendens victoriæ aduersus Mauros significationem certissimam dedit, Ferdinando Sanctio, qui regis abaco præfectus erat, ob sedulam in munere suo obeundo operam, id oppidum dono dedit. Ipse verò suæ colonorum molestias non ferens, siue potius animi pietate inductus, quam Alda vxor, scemina religiosissima fouebat, cum Roderico Ximenio Archiepiscopo Toletano pactus est, se illi oppidum cum agris communibus traditurum, modò pensionis annuæ nomine, aureos denarios trecentos, & frumenti Toletani quinquaginta trimodios susciperet, hi è Compluti 30 prouentibus, illi è salinis Villinchonis, in spartario tractu pendendi. Hæc pacta Ferdinandus tertius Hispaniæ rex, Alfonso octauus è Berengaria nepos, templi Toletani & Pontificatus eximius cultor, ut fierent benignè permisit: & diplomate regio testatus est, se id municipium cum vniuersa regiuncula subiecta, Toletanis pontificibus concedere, eo pacto quo Alfonso eius auus Ferdinando Sanctio donauerat, qui ei à custodia poculorum erat. Fuit hic Ferdinandus tam insigni erga Deum pietate, ut inter omnes Hispaniæ reges Sancti cognomen obtinuerit: multisque præliis cum Mauris confertis, victor spoliis onustus redierit. Nam Cordubam, & Hispalim, clarissimas vrbes, atque adedò maiorem Batiçæ partem, diuina ope & auxilio è Maurorum tyrannide recepit. Huius optimi regis beneficio augustissima templi Toletani tecta debentur: quæ, cum adhuc per 50 centum, & amplius annos, ex quo ea vrbs in potestatem Christianorum uenerat, Arabici delubri formam retinerent, miseriam illam Hispaniæ cladem probroso quodam monumento referebant, curante id Roderico Antistite, viro grauissimo & magnanimo, in eam faciem exædificata sunt, qua Christiani homines uti consueuerunt. Huic rei exordiendæ Ferdinandus rex, & Rodericus

cus Antistes, præclaro exemplo auspices fuerunt, primos in templi fundamentis lapides venerabundi collocantes. Ea nondum quadringentorum annorum spatio, in eum fulgorem & maiestatem creuerunt, ut nihil illis augustius in toto Christiano orbe uisatur. Nam paulatim ex religiosorum principum & piorum hominum liberalitate, ea sacrorum reddituum portio quæ fartis tectis curandis cedit, octogies centena millia nummorum summam efficit. Altero postquam Ximinius accessit die publicè sacris in templo interfuit: & quoniam agrorum squalore, & pluuiarum aquarum inopia, eo anno vniuersa Hispania laborauerat, hominum animi afflictæ erant: placuit religiosissimo præfule, post peracta sacra, 10 uisum quod extra oppidum est sacellum adire, quem omnes supplicantes secuti sunt, crucis vexillo (ut solet) præeunte & sacerdotibus in uestibus lineis utrinque procedentibus, pluuiæ elicendæ causa. Ea ingens & copiosissima antequam in oppidum rediretur effusa, & per plures dies continuata, non solum circum circa regionem, sed cæteras omnes Hispaniæ partes admirabili fecunditate affecit. Hoc tantum beneficium Ximenii sanctitate à numine concessum, plerique dixerunt. Hinc ad Ferdinandum properauit: qui iam dudum in Calaciæ Lucensibus, ad Molinam oppidum, quam Ptolemæi Oliuam nonnulli esse dicunt, liberos Compostellam uenientes expectabat. Hic aliquot dies Ferdinandus commoratus est: quòd Philippus & Ioanna maris tempestate iactati, lentè à portu procederent: & homo alioqui in omni negotio attentus, hac mora regulis parum beneuolis occasionem dedit, ut animum Philippi præoccuparent, & iuuenis incauti facilitate aduersus eum abuterentur. Nam quod in Belgis Emanuellus cœperat, cæteri omnes factionis suæ principes, nouis additis calumniis, perfecerunt. Regem præstantissimum, aut inuidia regni affectati onerabant, aut si id minus probare poterant, consortis esse impatientem criminabantur: & in animo habere, si prolem è Germana vxore suscipere contingeret, Castellanicis opibus Aragonensium potentiam adaugere, eamque nostris sceptris æqualem, aut æmulam facere. Philippus animo infensissimo Germanæ nuptias semper acceperat, quòd eas in suum detrimentum & contumeliam esse factas crederet. Quare 30 his tam opportunis criminationibus aures usque adeò faciles dedit, ut Compostellam tandem accedens, quò Ferdinandus erat uenturus, ut de rebus ad rempublicam pertinentibus cum genero ageret, non expectato socero, quamprimum inde discedere, aliòque iter flectere, quam inter eos per legatos Ferdinandum Vegam, Calletiæ proregem, & Raimundum Cardonam conuenerat, instituerit, Ioannæque conspectum patri denegauerit, nihilque eorum quæ per præcones Salmanticæ sunt pronuntiata firmum ratumve habuerit. Itaque iter per montium penè inuiorum anfractus, ne sibi obuium socerum haberet, ad Aquascalidas (quod oppidum Orense nunc dicitur) quanta potuit celeritate conuertit. Id ubi Ferdinandus rescivit, doluit quòd parum prudenter Molinæ comoratus, regulos apud generum non anteuerisset, de quorum ingenio & maleuolentia, nihil boni sperandum fuerat. Ergo dissimulato dolore, ut erat in aduersis 40 tolerandis prudentissimus, de tam aperta generi contumelia Ximenio ad se accersito conqueritur: suamque negligentiam damnans, non nihil etiam Ximinium de ea re culpat, qui cessantem non admonuisset. Ille verò minimè in ea re defuisse respondit: & ut memoria repeteret, rogabat, quoribus admonuisset, ut armatus, & copiis militaribus instructus, res controuersas cum genero componeret. Nam regulorum animi nimium in Ferdinandum exulcerati, haud alia ratione refringi, aut in officio contineri poterant. Sed postquam ei durum & acerbum uideri intellexit, vocem compressisse, nihilque amplius super ea re sibi tractandum existimauisse. Quare uideret ipse, quid nunc tandem esset faciendum, ut fractis rebus succurreretur: libenter enim se omnia executurum. Conuenit inter utrunque, ut Ximinius quamprimum ad Philippum iret, eiusque animo perterritato, daret operam ut omnem conceptam maleuolentiam ex regulorum rumoribus, deponeret: eiusque animum leniret, & tractabilem, qua erat dexteritate redderet. Suscepit eius rei curam Ximinius, & fermè sub mensis Maij principium

Molina profectus, Compostellam ad Philippum ibat: sed per nuncios, quos præmiserat, cognouit, Philippum Compostella discessisse, atque via faciliore neglecta, iter impeditius (vt dixi) suscepisse. Doluit Ximenius, & quòd nihil iam fieri à Philippo videbat, & quòd bona spe esset frustratus. Nam sperabat Ferdinandum à genero opera sua Compostellam vocandum, atque inde coniunctis animis Castellam bonis auspiciis ingressuros, & sine vlla æmulatione aut similitate, de rerum summa simul consulturos: hac verò publica mutua concordia imagine regulorum & vulgi animos conquieturos. Cæterum ea itineris mutatione palàm fecerat, se focerum auersari & fugere. Quare nihil iam amplius prætexi poterat, quod Philippi alienationem excusaret. Dolebat etiam 10 sibi occasionem præripere, ad religiosissimam sancti Iacobi ædem accedendi, vbi & sacra celebrare voluisset, & quouis pictatis genere diuum Hispania tutelarem demereri. Cogitur Ximenius Orense diuertere, vt primo quoque tempore Philippum conueniret, gliscentemque illam similitatem coerceret. Iter per montes illos facienti vicus quidam occurrit, in cuius peruetusto & malè facto templo, diuæ Euphemie corpus asseruabatur: cuius præfens patrocinium innumeris per eam regionem editis miraculis, cum alii finitimi populi, tum præsertim accolæ Giguri, in quorum tractu Orense oppidum, & vicus ille est, frequenter senserunt. Ad eam visendam continuò Antistes venit: quam quoniam ob vici inopiam parum pro dignitate contineri comperit, ære suo ædiculam diuæ exædificari iussit, vbi ornatiore apparatu coleretur: quæ postea (vt audio) Orense translata est. Sedecim millia passuum vicus ille ab Orense aberat: & dum his rebus occupatur Ximenius, quantumuis postea festinantius solito iter fecerit, tamen Philippus & Ioanna anteuertentes Orensem peruenerant. Hoc ille molestè tulit: cupiebat enim Philippum, oppidum percelebre ingredientem, comitari. Igitur hora fermè diei sexta, reges intra oppidum sunt recepti: Ximenius verò sub noctis crepusculum, statim Franciscum Ruizium sodalem suum ad Philippum & Ioannam suo nomine salutandos misit, seque venisse nuntiaret, & tempus aptum ad colloquium peteret. Benignè Ruizium Philippus suscepit, & gaudere se dixit mirum in modum de Ximenii aduentu, & 30 vt die sequenti ad se veniat iubet: cuius præsentiam sibi cum primis gratam futuram humanissimis verbis significat. Gausi sunt etiam proceres aliquot, qui bonam spem conceperant, eius prudentia & grauissimo consilio controuersias inter reges componendas. Ergo Ximenius postquam sacris interfuisset, ad Philippum venit: qui accedentem omni honoris & comitatus genere, in omnium conspectu recepit. Nam præter primatis pontificiam dignitatem, cui omnem honorem reges nostri deferre consueuerunt, nouerat iam olim Philippus, quanta esset in eo amplitudo, quanta grauitas, & morum sanctimonia. Per duarum & amplius horarum spatium, sine arbitris collocuti, prandio interpellante sunt digressi. Cæpit illic Ximenii domus crebris procerum itionibus frequentari, quos ille omnes incredibili comitate accipiebat, quam prudentia sua ita cum innata seueritate coniungebat, vt nemo eo aut gratior, aut iucundior sit habitus, quanquam seueritati semper propior. Interea Philippum conuenire non cessabat, deque rebus cum Ferdinando componendis agere: in quibus omnibus postquam satis instructus Philippus fuit, easque cum intimis suis communicauit, ij erant Belgarum principes, Veranius, Laxaus, & Villas, & cum his Andreas Burgo, qui Philippo à secretis erat. Hi ergo iussi sunt ad Ximenium venire, regisque sententiam declarare. Factum est id pridie sacramentalium, idque ad multam noctem. In sequenti die bene manè, postquam diei religioni sacris peractis satisfactum à Ximenio fuit, penetrabile ingressus, & cæteris digredi iussis, Vallegium ad se vocat: obseratisque cubiculi foribus, vt ad Ferdinandum epistolam scribat, imitato eius ad vnguem chirographo, iubet. Nam huius rei gnarus Vallegius, sæpe illum scribendi labore leuabat, quoties ad principes viros scribendum erat. Ergo epistolam in hunc modum distulit: Se cum Philippo genero omni cura & diligentia egisse: 50 inti-

intimos suos sæpius conuenisse: quibus regulorum animos aperuisset: vt intelligerent, nihil aliud quam priuata patrimonia ex regum suorum discordiis adaugere velle: & Ferdinandum virum optimum & de Philippo optimè meritum, imò verò de tota Hispania, è medio tollere vellèt: quoniam illorum voluntates & consilia percallebat. Quare diligenter viderent, ne regulorum versutia & astu circumuenirentur. Nam si blandis illorum dictis decepti, sese illorum fidei commisissent, re ipsa postea cognituros, quam sana sint eius consilia. Quare rebus suis melius prospecturos, si Philippus sub foceri tutelam receptus, illi se totum crederet: qui longa rerum experientia edoctus, rerumque nostrarum abunde peritus, quid in Philippi rem esset percallet, & quo pacto apud eos homines regia 10 autoritas esset conseruanda. Neque enim aliud Philippum agere, qui focero repulso, se Emanuelle & cæteris tradebat, quam si crus sibi proprium abscinderet, & eius loco ligneum, arundinaceumve supponeret. Socrus solere quidem nurbus infestas esse, propterea quòd sexus imbecillitate pati nequeunt filios ab illis alluci, quasi id sibi amoris detrahat. At foceros semper esse generis beneuolos, eoque magis eorum res curare, omni que studio adaugere & prouehere con tendunt, quòd sic filiarum commodis, suæque posteritati prospicere certò sciunt. Eum verò potissimum affectum nunc in focero rege acriorè esse, qui virili prole destitutus, omnem spem in filia collocat: cuius causa natura ipsa vrgente, & 20 propriis compendiis ita exposcentibus pro virili curaturus esset, vt Philippus quem ascuerat in filia coniugium, & sub cuius potestate, iure nuptiarum, tot principatus futuri erant, & nepotes item gignendi tanti imperii successores, sibi iam seniori, & corporis viribus ob ætatem ferme destituto, iuuenili robore adesset, & regnorum molem sustineret, foceri prudentia adiutus. Cæterum nihil apud illos, super hac re, tot rationibus effecisse: siue quòd semper difficile fuit, opiniones quibus semel animus imbutus est euellere, siue quòd plerique hominum malis consiliis maiorem fidem habent: & quòd principes Belgarum certi essent, si in foceri gratiam Philippus rediret, primas apud illum partes se non esse habituros, totamque illam priuatarum vtilitatum conceptam spem in fumos abitura ram. Itaque hanc sibi fenestram occlusam esse cum Ximenius vidisset, sese ad id tractandum conuertit, vt Ferdinandus in Granatensi regno, quod ipse tantis laboribus & sudore ceperat, regnaret. Esse adhuc gentes illas libertatis antiquæ, & superstitionis memores, semperque nouis rebus intentas: quare hominis præsentia indigere, cuius auctoritatem & conspectum vererentur, quique illos in officio contineret. Nemo verò ad eam rem eo rege commodior, cuius magna vi & bonis auspiciis tota illa regio subiugata fuit: & cui omnes montium & viarum aditus, omnesque locorum stationes notæ essent. Sed cum neque hoc ab ipsis impetrasset, qui in primis id sibi euincendum esse persuasissent, vt Ferdinandus è Castella discederet: alioqui Philippum, neque commodè, neque tutò re 30 gnare posse: illis tandem conditionibus contentum esse oportuit, quæ in regine testamento continentur. Nempe vt ex bombycini opificii quæstu, qui Granatæ permagnus est, decies centena millia nummum quotannis caperet: & sancti Iacobi, Callatraux, & Alcantaræ, militarium ordinum maximis magistratibus, quoad viueret, frueretur: & noui orbis, qui eius & Isabellæ vxoris auspiciis patefactus est, redituum (qui tunc quinquages centena millia nummum, aut aliquanto amplius erant) dimidiam partem sine vlla controuersia perciperet. Hæc pacta quanuis fortassis non aspernanda viderentur, non admodum sibi arridere Ximenius dicebat: sed quando aliter fieri nequiret, illis tandem conditionibus vt non omnino malis acquieuisse. A Philippo autem se non discessurum, donec 50 focer & gener in conspectu mutuos venirent. Interea de omnibus rebus quæ illic gererentur, certiore eum continuò facturum. Hæc postquam ad hunc modum scripta sunt, priuato signo quod diu Francisci imaginem tenebat, epistola est obsignata, & Mirandæ cursori in manus tradita, vt quæ celerrimè posset Molinã contenderet, & regi traderet. Rescripsit ad Ximeniũ Ferdinandus literas amoris & beneuolentiæ plenas: in quibus pro tam sedula opera, qua tam facilè

& tam breui tempore, res tam difficiles & arduas confecisset, gratias agebat. Gratiore enim sine sanguine & tumultu mediocria illa sibi contigisse, quam per vim aut tyrannidis imaginem maxima quæq; obuinere. Nam cum talis mortalium conditio sit, ut non nisi isti (quod aiunt) sapiant, se iam quidem certè diuinare, Philippum tandem malis edoctum, eius operam non ita multò post sponte sua requisitum. Dicitur est supra, de Castorlæ præfectura nihil post mortem Didaci Furtati à Ximenio prouisum, quoniam iactauerat, ut diximus, expectare se latiore in Ferdinando animum, multis de causis mœrente, & affecto. Atres ipsa in præsentia indicauit, prudentissimum virum noui regis aduentum expectauisse, quò suam voluntatem confirmaret. Atque ita cum super eare cum Philippo egisset, & aliquando Garfias Villaroello comite ad eum aduisset, ut regis manum oscularetur iussit, qui illum Castorlæ præfectura benignè donasset. Erat Villaroellus Ximenio carus, multisque de causis perquam coniunctus. Nam Garfias Ximenius, de quo diximus, Ioanni Villaroello viro nobili, oppidi sancti Martini ad fontem domino, Beatricem filiam vxorem dedit: ex qua natus Garfias Villaroellus, de quo agimus, fuit: eo nempe cognationis gradu Ximenio propinquus, quem iurisperiti propius sobrino appellant. Huic omni ornamento & honore decorare Ximenius instituit: partim quòd in eo præclara indoles iam olim reluceret: partim quòd Garfias Ximenio patro, ita se referre gratiam existimabat, pro beneficiis quibus puer quondam ab eo affectus fuerat. **20** Quin & moriens Archipresbytero nepoti legatum reliquit, erat enim Ximenius Vzeda Archipresbyter, ut aliàs diximus. Philippus & Ioanna, quoniam lassitudinem ex mari contractam, nondum deposuerant, aliquot dies Aquiscalidis corporum curandorum causa se continuerunt. Huius vrbs situs in Cilinis est, olim Amphilocopolis dicta, & deinde Amphilochia: nam eam Amphilochus, qui Teucrum ex Troia in Hispaniam est secutus, condidisse dicitur. Romani tamen Calletia deuicta Aquiscalidas vocarunt, quòd prope eam fons sit, cuius aqua tanta inflammatione perpetuò feruet, ut quibus ignis usum expectare fastidium est, aut quos inopia vrget, illic oua, carnes, & obsonia percoquant. Sed præsertim vitularum capitibus radendis, quarum ea regio feracissima est, magno est **30** vsui. Nam citra vllam coquorum molestiam, dicto citius ablatis pilis, coria pura relinquuntur. Thermæ inde saluberrimæ deriuantur, variis ægritudinibus salutare. Sueui, qui ex illa Scytharum gentium inundatione, vniuersam Hispaniam subiugarunt, ea Calletia parte post Romanos occupata, proprio idiomate Warmse appellare cœperunt: id est lacum, siue flumen, aut fontem calidum (se enim particula aquam significat) quæ cognominatio paulum immutata adhuc durat. Quare non sunt audiendi, qui ab auri copia, quod ex proximo Minio fluuio colligebatur, dictum esse prodiderunt. Permulta in eo tractu sunt, quæ urbem amœnam & nobilem faciunt: sed potissimum excellentis vini **40** abundantia, fructusque varii arborum circum circa adnascetes. Hic cum aliquando ad templum maximum Ximenius venisset, quod Episcopo & Canonicis sodalibus exornatum est, multa perspexit, quæ raritate, & arte commendabantur: & inter alia signum Christi in cruce pendente vetusta indigenarum religione venerabili, iam olim miraculis clarum, eiusdemque (ut ferebatur) artificis qui Burgis huiusmodi signum in Augustiniano cœnobio dicauit, hominum cultu celeberrimum: cuius illud apud Burgenses mirabile circumfertur, quòd Iudæi domum pollicem crucifixi clam mutilantis, cruoris riuulus continenter fluens, manifesto indicio prodiderit. Locus in quo collocatum erat, non satis commodus Ximenio visus fuit: luce enim totus replebatur, vnde bona religio affectus pars detrahebatur. Quare sacerdotes qui eum comitabantur **50** admonuit, ut in aliam sedem transferrent: quam ipse, omnibus approbantibus, designare grauatus non est. Viginti fermè dies Aquiscalidis commoratus Philippus, iter susceptum perficere contendit: constituerat enim Pintiam venire, atque inde Burgos: ut ibi publici conuentus haberentur, resque omnes per cuiusque ciuitatis procuratores & legatos, ex Hispaniæ vtilitate tractarentur. Sanabriam, altero

altero postquam profectus est die, Ximenio eum comitante venit: cuius opera & industria curatum fuit, ut postquam iam cum Ferdinando conuenerat, in colloquium etiam veniret, & simultatis depositæ claram apud omnes significationem daret. Obtemperauit Philippus: sed quoniam gnauus aliquis vir necessarius erat, qui & tempus & locum colloquio aptum, & rebus tractandis modum & ordinem constitueret, Emanuellus peraccommodus videbatur. Sed ille rerum aduersus Ferdinandum actarum conscius, nolebat in eius præsentiam, nisi de sua salute tutus, venire. Dati ergo sunt obsides Fadricus Albæ regulus, & Antonius Fonseca, vir inter Vaceos princeps, qui Ferdinando intimè cari, eum in **10** omnem fortunam sequi decreuerant. Hi statim ut ad Philippum venerunt, missi ad Ximenium sunt: à quo humaniter & lautè excepti, mutua inter eos lætitia, eam hilares noctem transegerunt. Interea Ferdinandus Sanabriam versus iter suscepit, quòd Philippus rectà venturus erat. Asturica, & Beneuentum in medio occurrebant, quæ illi necessariò transeundum erat: sed Pimentellus & Oforius reguli, quorum illa oppida erant, parum propensi in Ferdinandum, ne in ea reciperetur edicunt. Quòd ut non multum Ferdinandus curauit, qui fortunæ mutationes prudenter ferebat, sic illis multum laudis detraxit. Cordatis enim omnibus iniquum & graue visum est, tantum subditis in eorum nuper dominum licere. Altero post datos obsides die, Philippus Sanabria, ad **20** foci colloquium, qui non longè aberat profectus est, magna regulorum multitudine, tam Belgarum, quam Hispanorum comitante. Præcedebat manus mille peditum Germanorum, acie ita probè apparata & instructa, ut prælii faciem planè referret. Subsequebantur sagittarii equites, inter quos Philippus vehebatur, sinistrum latus Emanuelle, dextrum verò Ximenio claudente. Quatuor ferme millia passuum à Sanabria emenso, Ferdinandus, qui totidem ferme è Riuo nigro progressus fuerat, obuiam fit, nihil bellicum aut infestum præ se ferens, sed ut rebus tranquillis & pacificis consueuerat, ducentis è suis stipatus, qui mulabus vehebantur, ense tantum accincti, & vittis puniceis, more patrio capita obuoluti, Hispanicis que palliis contexti, quæ Caputia vocant, parum ad **30** pugnandum aptis. Quæ sanè specie innocentiam suam ita Ferdinandus apud omnes commendauit, ut qui vel ei iniquissimi erant, eo tempore fateri cogerentur, neminem vel prudentiorem eo rege, vel moderatiorem esse. Qui iudiciis & animis incorrupti erant, non solum eius prudentiam & modestiam laudabant, sed pessimis illis instigatoribus taciti indignabantur, quorum causa, Philippus velut victor insultans, socrum inermem armatus exciperet: cui ob Hispaniæ reipub. conseruationem, totiusque suæ dignitatis amplificationem (ut interim affinitatis vincula taceantur, quæ paternis proxima sunt) multipliciter obnoxius erat. Paululum antequam in generi conspectum veniret, in proximo tumulto Ferdinandus resedit, ut ita locum prætereuntibus daret. Qui omnes eo reuerenter salutato, ordine suo rectà procedebant: inter quos armati manipuli pilas ferreas tormentis contorquentes, de militum more salutarunt: & ad iactum lapidis promoti, erectis hastis (nam ita iussi fuerant) vtrunque regem circunsteterunt. Ea sanè res quæ ferme in contumeliam & dolorem ab eius æmulis excogitata videbatur, ampliorem Ferdinando dignitatè attulit. Sic enim factum est, ut proceres qui Philippum sequebantur, etiam qui Ferdinando irati erant, **40** militaribus turmis interclusi, omnem reuerentiam vel inuiti præstiterunt, dum more regio eum salutant. Quos ille omnes comiter susceptos, nulla offensionis significatione data, renidenti vultu dimittebat. Inter eos veniebat Manricus Naiarésis regulus, thorace ferreo indutus, & vitra bombycina circumtectus, quæ armiger sequebatur, manu itè militum non contemnenda circumstipatus. Huic priuatæ cum Ferdinando rege intercesserant simultates: eoque magis sese hoc apparatu & Philippo commendari, & infestior Ferdinando existimari volebat. **50** Quem ad se Ferdinandus accedentem leniter & blandè subridens, Maeste Manrique (inquit) esto hac animi præstantia, semper enim memor es tui, neque vnamquam boni militis exemplum præ te ferre desinis. Notabatur enim passim

Manricus elatioris & gloriosi animi. Ad quem ille, qualis qualis sum, talem Philippo & tibi me dedo. Gasias Lassus, qui apud Alexandrum vi. Pontif. Max. Legatus Ferdinandi regis fuerat, totam illam salutationem hilariorum & lætiorum fecit. Nam cum regem salutaturus accederet, in eius humeros Ferdinandus brachia iniecit, & manibus leniter demulcens (inquit) Gasia tibi gratulor ob humeros latiores, & miror quod spatio tam breui multo obesior factus sis, eo dicto satis faceret declarans occultorum armorum sarcinam, quibus vestitus erat. Omnis enim nobilitas sic præmunita veniebat, ut si quid forte Ferdinandus attentasset, parati omnes ad resistendum essent. Prope iam ad clium in quo Ferdinandus constiterat Philippus accedebat, cum ille se mouit, & obuiam venienti processit. Philippus statim ac focerum conspexit, speciem se ab equo demittentis dat, & ad pedes eius se proiciens. At ne id faceret Ferdinandus instat, & celeritate Philippum antevertit, qui equo hærens detecto capite, manus deosculandas suppliciter petebat. Ferdinandus quantum ex mulla licuit vniuersum complexus, caput & genas deosculatus est. Deinde mutuis alloquutionibus, quæ coniunctissimos animos indicarent, se salutauerunt. Hæc in vasta planitie quatuor millia passuum à Sanabria distanti, in omnium ferme Hispanorum regulorum conspectu gerebantur. Sed quod sermones commodius inter se reges conferrent, in proximū facellum, quod forte aderat, ad priuata colloquia secesserunt. Quos Ximenius & Emanuellus, cæteris semotis, comitati sunt. Sed cum & ipsi quoque illuc cum regibus ingressi essent, neque id Ximenio placeret, qui longè ab eo colloquio Emanuellum ablegare cuperet, ad eum statim conuersus, qua erat frontis seueritate præditus, demus (inquit) principibus nostris colloquendi locum: nam est prorsus inurbanum, nos priuatis eorum sermonibus interesse velle. Quare tu hinc discedito: ego verò ad fores obseruans, ianitoris officium in præsentia præstabo. Nihil contra hincere Emanuellus potuit, sed statim ad regulos digressus voluntati Ximenii satisfecit: qui obseratis facelli ianuis, tertius apud reges in podio sedit, quod pastores & agricolæ confidendi causa è terra construxerant. Per duarum ferme horarum spatium colloquuti sunt. Multa Ferdinandus exposulauit: quod sibi tam fideliter eius & reipub. vtilitatem procuranti, sine vlla ratione diffidisset, & potius fidem iis habuisset, qui priuatis commodis prospicientes, inter vtrunque discordias seiebant. Cæterum, quando iam eò res loci deducta esset, ut sibi necessario è Castellæ regnis discedendum foret, videret quibus se hominibus committeret. Atque simul regulorum sigillatim mentione habita, vniuscuiusque ingenium patefecit: quantum cuique fidendum, quibusque artibus essent tractandi, rex prudentissimus, & earum rerum ob diuturnum vsum probè callens, magna animi solertia declarauit. Sed in primis hortatus est, ut Ximenium quem digito monstrabat, reuerentia & caritate, quæ patri debetur prosequeretur. Vnum eum esse cuius incorruptis consiliis tutò posset credere, & omnes intimos animi sensus apud eum deponere. Quare ab eius sententia nunquam dissentiret, etiam si quæ mente ipse concepisset, potiora sibi viderentur. Multa enim esse, quæ prima specie inexperitis fugienda censerentur, altiùs tamen ut homines experientes facere consueuerunt, introspecta, longè alia videbantur, aliamque protinus faciem ostentabant. Eam autem rerum cognitionem, sacrumque per sapientiam vaticinium, non nisi post longū vsum, quem acris & attenta consideratio comitarietur, mortalibus contingere. Se iam diu Ximenii sanctimoniam, atque in rebus gerendis dexteritatem, multis experientis cognitam habere: scireque se plerisque regulorum res suas priuatas magis cordi esse, quàm regum suorum, aut publicas: quorum consiliis si obsequeretur, se non dubitare, quin tandem in eiusmodi rei familiaris angustias esset deuenturus, ut nemo per vniuersam eius ditionem, se vno esset calamitosior, aut miserior. Ita se facturum Philippus recepit, multa que se excusans respondit, quæ ita tunc aut foceri præsentia commotus simulabat, aut sic rem habere sentiebat. In tam longa autem confabulatione, nec Ferdinandus Ioannæ filix præsentiam à genero petiit, nec contra Philippus cupidissimo patri obtulit: quod animi non-

nihil offensi claram Ferdinando & Ximenio significationem dedit. Ergo omni comitatus & amoris specie, regulis videntibus, data, è facello digressi, ad proprias stationes, quæ non longè aberant, proficiscuntur. Erant in agri illius finibus oppidula tria, duobus millibus passuum inter se distantia, quorum ignobilia & obscura nomina præclarissimorum regum congressus æternum celebrabit: ea sunt Vime, Peque, Remesal: in quæ Ferdinandus, & Philippus, & Ximenius corporis curandi causa discesserunt. Horum nominum interpretatio ob Hispani sermonis ambiguitatem, dicacibus hominibus cauillandi & ludendi locum dedit. Nam si quis nomina illa interpretetur, significare videbuntur, vidi, peccaui, comas vellam. Quasi reges poenitentia ducti, quod in mutuum colloquium venissent, inde animis offensioribus discesserint: ut statim perquam manifesta signa sunt data. Nam priusquam inde pedem Ferdinandus mouisset, nuntium graue & permolestum à Philippo accepit, ut scilicet aliud iter quàm Philippus faceret, ne in regione sterili & incommoda, sibi mutuo impedimento essent. Proinde Philippus Beneuentum, Villafamilam Ferdinandus est profectus: vbi variis ludorum spectaculis à Pimentello recreatus, per quindecim dies continuos sese oblectauit. Accidit, ut die quæ agitandis tauris dabatur, Ximenius ad regem sese conferret, ante cuius ædes maximus circus ad taurorum spectacula vndique conclusus, aditum perangustum Ximenio dedit: atque ita paucis stipantibus (nec enim vniuersus eius comitatus admitti potuit) lento, ut solebat, gradu per medium circum pergebat. Et quoniam sole iam inclinante, omnes intentis animis commisionem ludorum expectabant, parum Ximenium transeuntem, quibus ea cura demandata erat, considerantes, taurum ferocissimum emisserunt: qui illico in Ximenii comites irruens quosdam illorum malè multauit: qui interempti proculdubio fuissent, nisi peropportunè regia cohors in auxilium accurrens taurum vndique confodisset. Interea intrepido vultu, & gradu composito Ximenius perseuerans, nullam animi commotionem præ se ferens, intra regiam se recepit. Quem ut incolumem Philippus vidit, num timuisset hilariter rogabat: ille verò negabat, semper enim bene sperauisse de cohorte regia, præsto affutura. Cæterum ad Pimentellum conuersus, iubeto (inquit) oppidi duumuiris, ne tantopere deinceps spectaculorum aut ludorum sint auidi, ut prætereuntium incolumitatem negligant. Pimentellus subridens, postquam (inquit) publica præconis voce de tauro iam emittendo proclamatum est, sibi quisque ò Antistes, si sapit, caueat. Hinc Pintiam Philippus rectà contendit, quò item Ferdinandus, quanquam itinere diuerso veniebat. Is cum Tudellam quæ ad Duriam flumen est accessisset, octo millibus passuum à Pintia distans, Philippumque in villam Muzientem venisse intellexisset, quæ propior Pintia, quàm Tudella est, ægrè ferebat sibi cum Ioanna filia colloquendi facultatem non dari, cuius vnus causa suæ dignitatis immemor, tot contumelias à Philippo genero, siue potius ab eius deprauatoribus, sustinebat. Quare iterum in conspectum ire cogitur, & generi animum, si quo pacto queat inflectere, Ximenio sequestro pertentat. Eius quidem voluntati perquam inuisus Ximenius annuit: intelligebat enim nihil aliud sic Ferdinandum facere, quàm se deridendum inimicis proponere: & suam constantiam, & auctoritatem quam olim in omnibus rebus retinere consueuisset, obscurare & deterere. Conuenit tamen inter vtrunque, ut quoniam nisi Emanuelle adiuuante, nihil quod frugi esset confici posset, prius per Ferdinandum Vegam, qui Emanuelle intimè carus erat, neque à Ferdinando rege alienus, animus illius conciliaretur. Sed quanuis Vega id egregiè curauerit, multa que illi præmia, & vberiores ex concordia vtilitates profuerit, ille tamen nihilo beneuolentior factus, animo iam pridem indurato respondit: Nolle se beneficium vllum ab Aragonio rege accipere: quare ne quid amplius obtundat: hanc esse summam, se quoad aliud apud regem Philippum gratia aut auctoritate valeret, nunquam passurum, ut Ferdinandus cum Philippo in Castella maneat, & simul scepra moderentur. Id quanuis Ferdinandus ægrè tulerit, nullamque bonam ad res quas parabat spem esse videret, curauit ta-

men strenuè, operam Ximénio apud Philippum nauante, vt rursus antequam Pintiam gener veniret, cōgrederetur. Id Ranedi ignobili vico quatuor millia passuum à Pintia distante, præsente Ximénio, circa nonas Iulias factum est. Durioris animi signa in eo congressu Philippus dedit; neq; illum foci autoritas, neq; vlla Ximénii præsèntia, à proposito reuocare potuerunt, solum hoc vnū crebrius dicitatem: reip. vtilitate esse, vt quamprimum Ferdinandus è Castella discederet. Cui Ferdinandus: Quando ita (inquit) animo tuo sedet, ego quidè in Aragoniam ibo, tu ne quid fœdera violes curato. Sic ergo filia conspectu denegato, & omni spe remanendi abiecta, in Aragoniam profectus est. Fadricus Albæ dux, & Bernardus Rogius Dianii marchio, omnè cū Ferdinando casum subire prompti, fortunæ reslantis incursiones nihil sunt veriti: nam cæteris amicis regem deserentibus, hi non modò in Aragoniam, sed in Italiam quoq; quo vtriusq; Sicilia rebus prouidendis Ferdinandus properabat, secuti fuissent, nisi princeps prudētissimus prohibuisset. At Alfonso Fonseca, Alfonso Fonseca Compostellani Antistitis filius, cū Romam eo tempore priuatis de causis traicere instituisset, demerendi Ferdinandum occasionem nactus, se illi comitem itineris dedit: & Neapolim officii gratia, cum eo appulit. Decreuerat (vt diximus) Ximénius, nūquam à Philippi comitatu discedere, donec eiusmodi turbæ & dissidia inter focerum & generum, componerentur: sed multò magis id apud se constituit, postquam vidit absente Ferdinando, piaculum esse iuuenem regem in tam lubrica ætate, & dura re- 20 rum occasione, fidi cōsiliū egentem relinqui. Proinde vigilantissimis vicariis gregis sui cura demandata, quoad vixit Philippus, ei assiduus fuit. Si quid verò in sua dioecesi grauioris censuræ aut animaduersionis dignum emergebat, vt ad se deferretur iusserat. Dum reges Tudellæ & Muzienti commorabatur, crinita stella (quam cometam vocant) in celo visebatur, ad Arcton inclinans, quæ Muzienti villulæ imminere videbatur. Hanc ob rem varii sermones vulgò iactabantur: alii reipublicæ tumultum & bella ciuilia promittere: alii regi Philippo exitium. Qui verò meliùs de rebus sperabant, vim suam exercuisse ducebant, in Ferdinandandi regis discessu. Ætatem ferme totam, in vicis Pintia proximis Philippus consumpsit: nam in vrbem ingredi pertinaci animo regina negabat. Tandem arte & astu effectum est, vt regina sub primum Septembrem Pintiam ingrederetur. Quod Pintianis gratissimum accidit, qui splendida pompa, & solenni apparatu, reges suos accipere expetuerant. Dū illic commoratur Philippus, iurgium Mendozio Zenetensi cū Pimentello Beneuetano fuit: quod in tantâ similitudine creuit, vt vtriusq; familiares & propinqui ad arma concurrerent. Res erat cū primis formidabilis: nam Zenetensi Mendoziorum familia præsto aderat: Beneuetano aut, pleriq; proceres. Zenetensis partes inferiores videbantur: nā quauis Didacus Infantatus dux, Bernardinus Clunienfis, Inachus Tendillanus, qui salutandorū regum causa, eo tempore Pintiam venerat, Zenetensi suppetias ferrent, impares cæteris erat. Modicum enim & inermē comitatum, qualis togatis cōueniens erat, nihil tale timentes adduxerāt. At vulgari Hispanorum parcemia non ab re inter nostros iactatur, nullibi magis panopliam requiri, quā in nuptiis & publicis ludis. Id cū Garfias Mendozius Matallanensis abbas sensisset, qui populo Pintiano carus, in eo oppido multum pollebat, Michaelis cymbalū pulsari iussit, quod nisi magna aliqua de causa fieri nō solet, & Garfiam abbatē conclamari. Tāta populi armati multitudo ob has voces in Zenetensis domum, vbi Garfias aderat, cōfluxit, vt alterius factionis proceres manifestā perniciem timentes, de regis vt aiūt voluntate, qui se id nō sentire simulabat, nuntios cōtinuò ad Ximénium miserint: vt quamprimum ad Mendozios egressus, seditionem gliscentē comprimendam curaret: qui multò antè Bernardini comestabilis suasu, ad id faciendum sese parauerat. Erat comestabilis Pimentello leuir & Mendozis iam olim amicus, quare vtrosq; saluos cupiebat. Ximénius Clunienfis opera, quo cū amicitia intercedebat, ad hanc rixam componendam est vsus. Cui, è Zenetensis domo vbi populus tumultuabatur accersito, rei indignitatem, cladem imminuentem, iustam regis indignationem grauib; verbis ante oculos proponit: & Pimentellum è populi furore, 30

rore, qui eius ædes iam frequens cinxerat, prudentia sua vt liberet, rogat. Ille mula qua fortè vehabatur, in Pimentelli domum, tanquā vnus ex aduersariis venit, atq; Pimentello suadet, vt obuoluto capite in mulam etiā desiliat, si salutem caram haberet. Quo facto extra vrbē illū abduxit, & populus est delusus Garfia approbante. Erat Garfias Didaci ducis infantatus patruus Iunqueræ oppidi ad Guadalafajaram dominus, cuius posteris gentilitiam adhuc hæreditatē Iunqueram tenent. Vix Ximénius has turbas pacauerat, cū ecce aliud euestigio oritur, quod ad se priuatim pertinebat: Gósalus Gallecus, & Petrus Mercatus, è regii comitatus quatuor viris, Franciscum Ribam Compostellanæ dioecesis primis duntaxat sacris initiatum, certā ob causam comprehendi iusserunt. De ea re Alfonso Fonseca Compostellanus antistes certior factus, Gonfalum Vlloram iudicē ad eam rem à se legatum ad eos mittit, qui ni ecclesiasticę iurisdictioni Ribas restitueretur, regios quatuor viros de more Christiano à sacris arceret. Quod cū tandem Vllora fecisset, illi ad Ximénium primatē prouocant: qui vt erat antiquarum consuetudinū religiosus obseruator, iurisq; sibi debiti maximus vindex, occasione libèter arripuit: obsoletamq; illā primatis antistitis potestatē auidè amplexus, totā causam cōtinuò ad se deferendā curat: & per literas suas Compostellanū ex iuris formā inhibet. Id ad eò grauius Cōpostellanus tulit, vt durissimo libello, acerbitate & contumelia referto, ad Ximénii literas responderit. Huius libelli exemplum Gaspar Quiroga omnium bonorū studiosum, sed potissimū antiquitatis cultor, qui ex regis senatoribus vnus ad senatus Italici præfecturam nuper magna cunctorum approbatione assumptus est, copiam mihi benignè fecit. Pintia parū moratus Philippus, Burgos vt decreuerat petere contendit. In eam vrbem maxima totius ciuitatis lætitia septimo idus Sept. excipitur: Ximénio in eius vrbis vico, cui hortus regius cognomen est, Ioannis Orenzi nobilis mercatoris domus in hospitium datur. Igitur cū Pintia de rebus reip. agi ceptū est, nihil erat parui aut magni momenti, quod non Emanuelli consilio gereretur: cuius (vt diximus) apud regē, non sine magna quorundam inuidia, summa erat gratia. Id cū malè Ximénium haberet, cui propositū erat Philippū equè omnib; carū reddere, occasione sibi dari cupiebat, qua Emanuelli studia reprimeret, & ab eo regis animū non nihil abalienare posset. Erat hoc cū primis difficile, sed vir intrepidus & ingentis animi, nihil ea difficultate deterrebat. Hæc diuinitus optanti est oblata: nam cū Beltranus Saltus, vnus ex iis qui rationibus regis præfecti erant, semel ad Ximénium cū libellis venisset, deq; eis omnibus familiariter cū eo ageret, diplomata quadā ostendit, quibus bombycini opificii quæstus, qui in Granatenfi regno (vt diximus) peramplus est, & ex pacto Aquis calidis inito, curatè Ximénio, Ferdinando cesserat, redemptoribus in decennium locabatur. Hoc sibi in manus tradi serena fronte Ximénius postulat: & omnibus inspectantibus medium dirupit, & fragmēta Vallegio eius cubiculario vt asseruet iubet. Ad Beltranū verò cōuersus, Hoc, inquit, Beltrane amicitia nostra dato, quod nō statim vt tibi caput amputetur, apud regē curo: cui tu fidei fractæ infamiam concilias, atq; in tam apertā similitatem cū sui amantissimo focero committis. Tactus dolore ob eam rē Beltranus, omnem culpā in Emanuellum, rationum regiarum magistrum, reicere: cuius scilicet consilio & iussu, ea omnia confecta essent. Nimis graue præsentibus visum fuit, etiā si nemo hincere audebat, regia chirographa ad hunc modū lacerari. Ximénius ne quæ calumniatoribus calumniandi locum daret, priusquam id aliunde Philippus rescuisset, se in eius conspectum dedit: atque aduentus sui causa declarata, quantum damni, perfidia, & turbationis ex illo chirographo esset emerfurum, planum fecit. Cœpit deinde apud eum grauissimè differere, quanta calamitas & pernicietas rebus Hispanicis propterea immineret, quod peruersis quorundam consiliis, nihil ex æquo & bono fieret: parum ei esse cognitatas hominum nostrorum mentes. Quare nisi in tempore sibi caueret, non dubitare quin res eò esset deuentura miseria & calamitatis, vt nisi à numine aliquo, in integrum restitui non posset. In præsentia verò nullum se præsentius remedium videre, quàm vt honesta ex causa Emanuellus aliquò amandetur. Durum id esse Philippo videbatur: quoniam ita se illi, suaque tradiderat, 40

ut non sine magna molestia ab eo se posse explicari crederet. Cæterum quoniam
 Ximenii dicta, utpote ex animo cum prudenti, tum sincero profecta, eius men-
 tem altius penetrauerant, mandatorum Ferdinandi memor, se ipsi totum li-
 benter committit. Multa in medium adducta sunt, in quibus Emanuellus foris
 occupari poterat: Sed tandem Ximenio visum fuit, ut Romam legatus mittere-
 tur: id enim cum primis honestum esse, & quod nulla iusta ex causa recusari
 possit. Placuit Philippo, & propediem se id effecturum Ximenio est pollicitus:
 tamen in eius gratiam molestiam hanc subiret rogat, ut negotia secretioris con-
 siliū, quæ singulis diebus Veneris cum rege de more tractabantur, pridie eius diei
 cum eo communicarentur, & suam sententiam interponeret, quæ multum mo- 10
 menti omni in re esset habitura. Ingentes gratias Ximenius habuit ob conceptā
 de se opinionem, sed deprecabatur prouinciam, ut quæ inuidia cum primis esset
 exposita, & immensi laboris plena. At cum rex in proposito persisteret, & Xime-
 nio nihil antiquius esset, quam publicis cōmodis quacunq; data occasione con-
 sulere, tandem expugnari libenter tulit: atq; ita deinceps vsq; ad Philippi mortē,
 non sine magno suæ virtutis testimonio, regii senatus præfectus, cæteri q; proce-
 res, qui ab arcanis erant, die Iouis ad eum veniebant: nihilq; Philippus decer-
 nebat Ximenio inconsulto. Viuunt adhuc Toleti ex primaria nobilitate homi-
 nes, qui hoc memoria tenent. Solent enim adolescentū, præsertim ingenuorum
 animis, ea virtutis & honoris siue insignia siue testimonia, quæ rarè vel viris ex- 20
 cellentibus datur, ob illam gloriæ, ad quam optimus quisq; propensus est, cupi-
 ditatem, tenaciter hære. Multum debilitari Emanuelli cōsilia ab hoc tempore
 cœperunt: ciuilior deinde, & modestior, non sine multorum lætitia, est factus.
 Crebrò deinceps ad Ximenium venire omnemq; illi reuerentiā deferre, simulq;
 secum cogitare cœpit, de eo viro obsequiis demerendo, cuius virtutem & inte-
 gritatem multò suis consiliis præstare intelligebat. Præfagiisse Emanuellum ali-
 quis posset existimare, quod nō multò post Philippo accidit. Nam XIII. Cal. Oct.
 sese oblectandi gratia in agrum eques processit, vbi equū admillum in gyros ali-
 quot circumegit. Ea nocte, siue quòd paulò antequā in campum prodiret, parua
 pilæ lusu, quo se crebrò exercere cōsueuerat, delassatus, sudore oborto frigidam 30
 bibisset, nō expectata refrigerati corporis constipatione, siue alia de causa, in len-
 tam febrim incidit, nō sine lateris affecti suspitione. Petrus Martyr refert in epi-
 stolis, accepisse se à Martiano medico, ciue suo, & studiorū socio, Philippū partim
 animi afflictū tēdio, qui se circumueniri à procerib; sentiret, prædamq; in dies sin-
 gulis fieri, partim mole curarū obrutum, eam ægritudinem contraxisse: nam &
 illum aliquando in secretiori cubiculo, adhuc modum conquerentē audiuisse.
 Quis me in has coniecit miseras, & specioso magni regis nomine grauatum in
 hanc rerum inopiam pertraxit? Mene vel meis stipatoribus & ministris, quos spe
 præmiorum illectos vix à Belgis reuelli, annua stipendia persolvere non posse,
 quibus hæreditariæ tantū ditionis meæ præsidio abunde satisfaciebam, & regi- 40
 fico sumptu meam & vxoris familiam exhibebam? Vbi regem ægrotare Xime-
 nius rescituit, eius medicum Petrum Ianguam, sua in arte percelebrem mittit, qui
 morbi qualitatem cognosceret, & opē qua posset ferret. Belgæ medici ad regem
 ingredi omnino prohibuissent, ni Philippus certior factus adduci iussisset. Is ad
 Ximenium reuersus, in summo periculo regem esse dicit: idq; factum Belgarum
 medicorū ignorance, qui planè morbi natura non perspecta (abscesserat enim in
 sinistrum latus non parua sanguinis infecti copia) venam scindere neglexissent. Se
 tamē ab illis irrisum esse cū hæc diceret, ut qui Belgarum temperaturā & habitum
 ignoraret. Quare curaret Ximenius quæ facta opus essent, ut in Philippi salute om-
 nino deplorata. Igitur rumore in singulas horas crescente, quo regem deterius 50
 multò se habere ferebatur, reguli frequentiores ad Ximenium ventitantes om-
 nes rumusculos ad eum deferebant, & priuatim multa cum eo tractantes rei
 euentum suspensi expectabant. Tandem IX. Calend. Octob. regem in vltimo vi-
 tæ discrimine esse passim vulgatur. Erat totius ciuitatis miserrima species: cum ne-
 mo, qui regem in adolescentiæ vigore, veluti florem decerptum, è medio tolli vi-
 deret,

deret, à lachrymis temperare posset. Conuenere post meridiem in domum Xime-
 nii vniuersi principes, qui Philippi comitatum sequebantur: vbi ad multam no-
 ctē, ut fieri solet, varia consilia sunt habita. Postridie eius diei, cum lethali singul-
 tu pectus Philippi quateretur, & sensus ferme omnes moribundum destituerent,
 principum conuentus apud Ximenium denuò factus est, de tranquillitate reip.
 statim seruanda, quandoquidem res in eo statu esset. Sic enim, quamprimum ille
 viuere desisset, regio funeri & reginæ consolandæ tutò vacare possent. Erant in
 eo consilio totius Hispanicæ nobilitatis viri primarii, Mendozius Infantatus dux,
 Velascus Friasiorum princeps, equitum in Castella magister (quem Comitē sta- 10
 buli, magnæ apud nostros dignitatis vocabulo appellant) Henricus Methinésium
 dux, qui in Vacceis sunt, & Egruos nonnulli esse existimant (hunc nostri ob ma-
 ritimæ orę præfecturam, Admirantum vocant) Pimentellus Beneventi comes, Pa-
 ciecus Alcaloniæ dux, Cueva, & Manricus, ille Alburqueciorum, hic Naiarésium
 dux, Rogius Dianii marchio, Aialas Fonsalitanus comes, Emanuellus & Fonseca,
 rationum apud regem summi magistris. Principio apud eos, de primario aliquo vi-
 ro designando actum est, penes quem post mortem Philippi summa rerum esset:
 quandoquidem Ioanna regina parum (ut diximus) mentis compos, & Carolus fi-
 lius adhuc ætate immatura, minimè essent tam lato imperio gubernādo apti. Non-
 nullorum sententia fuit, ut Ferdinandus ex itinere, quo Neapolim contendebat,
 20 quamprimum in Hispaniam accerferetur, quæ ad eam rem administrandam com-
 mendabant. Multi horum sententiis, siue quòd contrariæ factionis proceres Fer-
 dinandi discessu, odiis satisfecerant, siue quòd neminem ex æqualibus superiorem
 habere æquo animo ferre potuissent, manifestis signis cœperunt applaudere. Ef-
 fet in eas inclinatum, nisi Pimentellus acerbissimè Ferdinando infensus, indigna-
 bundus dixisset: Apage obsecro Hispani proceres, nihil vestra virtute indignum
 decernatis. An quem nuper, quod nobis grauis & molestus esset, tanta animi con-
 fensione eiecimus, rursus ad imperium imprudenter admittemus? An non vide-
 tis eum iniuriæ recentis memorem, nostris capitibus insultaturum? & ut est animi
 sensus dissimulandi & premendi peritissimus artifex, etiam si omnem lenitatem
 30 præ se ferat, atque in principio comiter arrideat, tandem poenas longè contumelia
 illata maiores, à nobis sumpturum? Vobis quidem liberum erit quod libebit sta-
 tuere: ego tamen iam hæc in vestro omnium conspectu polliceor, priusquam rex
 Aragonius Castellæ regna gubernaturus redeat, duo paria thoracum, quos apud
 me ad militares vsus seruo, constanti animo in bello detriturum. Eo Pimentelli
 sermone reguli commoti, in eius sententiam vniuersi consenserunt. Quod cum
 animaduertisset Ximenius, qui hætenus ut mentes eorum exploraret in silentio
 sese continerat, nihil amplius expectandum ratus, ne vltius tacendo, illis tan-
 quam Ferdinandi fautor, suspectus foret, aduersus quem post Pimentelli oratio-
 nem omnes grauiter fuisse concitatos sentiebat, tempori prudenter cedens, et- 40
 iam si præter animi sui constantiam, qui semper Ferdinandi paribus adhererat,
 quoniam reipublice nimis studiosum, & iustitiæ obseruantissimum esse cogno-
 scebat, ad hunc modum exorsus est. Non satis intelligo proceres, quæ vos causa
 diutius in hac re deliberanda detineat, cum vestra amplitudine, & maiorum ve-
 strorum autoritate, qui vel regibus suis viuentibus sese, quoties vtilitas reipubli-
 cæ posceret, opponebant, indignum sit, ut in præsentī statu, quo nisi fortè concla-
 matum iam est, continuò ut videtis rege carebimus, alium præterquam ex vobis
 50 ipsis, Hispano imperio curetis præficiendum. Nunquam negabo Ferdinandū
 regem, longa rerum experientia edoctum, vel populis immanissimis regendis
 peraccommodum esse: Verum non vsque adeò eius me amicitia tradidi, ut pa-
 trii decoris & dignitatis oblitus, non intelligam, non modò frustra, sed etiam
 impiè ab alienis præsidia peti, cum domi tot viris præstantibus abundemus. Sat
 ille nostrorum dum licuit curam regnorum gessit: nam (ni fallor) per quadra-
 ginta annos rempublicam nostram est moderatus. Suam ergo ditionem bonis
 auspiciis deinceps curet: nam vobis non deerunt optima consilia, ut Deo an-
 nuente, rebus succurratis, regi que vestro sua regna incoluma conseruetis. Pro-
 G iij

indē omnia alia sublata cura, in id vnum incumbite, vt vnum ex vobis tandem deligatis, non dicam prudentia aut integritate aliis præstantem (nam in hac parte cum omnes his virtutibus instructi sitis, error locus esse non potest) sed qui auctoritate & gratia populis commendatus, maiori ab illis beneuolentia colatur. Nam & huic obtemperatores erunt, & eius consueta & amata voce, non secus atque equi generosi fræno, in omnem partem facile flectentur. Ita est enim natura comparatum, vt non omnes parem gratiam apud populos obtineant: imò nonnulli ita a popularitate absunt, vt sine vlla certa ratione plerisque sint odio. Ego quidem certè quem elegeritis, non secus colam quàm regem ipsum, cuius vicarias vices geret: & omni ope & consilio adnitari, vt eum cæteri eadem pietate prosequantur. His præter expectationem à Ximénio dictis, ita principum animi demulsi sunt, vt dici non possit quanta fuerint læticia perfusi. Metuebant enim ne tumultus populares excitarentur, si Ximénius cuius tanta erat potentia, Ferdinandum euocandum contendisset. Quare de communi sententia decretum est, vt quoniam nemo erat, qui magis morum sanctimonia, & auctoritate, quàm Ximénius, apud plebem vniuersam polleret, aut cunctis proceribus carior, vt qui nullis propinquitatum cognationibus cuiquam eorum obnoxius esset, is vnus ex omni optimatum & regulorum numero, reginæ custos, Carolique pueri protector designaretur, Comite stabuli, & Naiarensum duce, quadam planè triumuiratus specie, in communicationem consiliorum assumptis: donec post Philippi regis mortem, procerum consilio iterum coacto, quid esset deinceps faciendum decerneretur. Ab hora eius diei meridiana, vsque in mediam noctem protracti sermones, Ximénio consuetum cœnandi tempus abstulerunt. Nam cum die qui sequebatur, religionis causa esus carniū interdictus esset, qui iam ex horologiorum sono præcedenti diei successisse videbatur, non licere cœconomus putabat, apparatus carniū epulas apponere, Ximénium consulere decreuit, qui quòd parum credendum horologiis censeret (inter quæ rarè conuenit, moderantium vitio) Accumbamus (inquit) intrepidè, adhuc enim ad mediæ noctis terminum integram horam deesse non dubito. Hoc dicto conuiuariū animi fuerunt religione exoluti. Post die eius diei Philippum vita functum Ximénio est nuntiatum: quod eius animum, vt par erat, vehementer afflixit. Sed postquam remotis arbitris dolori satisfecit, quanuis obfirmata facie in publicum progredi cuperet, non potuit adeò obdurare, quin magna mestissimam animi indicia vultu proderet. Postquam in aulam venit, reginam in penetralibus domus luctu & dolore penè obrutam, magna prudentia nec minori grauitate vsus, non quidem ne se affligeret suadebat, sed cumulatissimas rationes addidit, cur à nemine in tanta calamitate eius fletus esset inhibendus. Cum verò doloris vim per lachrymas exhaustam sensit, omnia consolationis lenimenta piissimis & grauiissimis verbis admouit. Pridie proceribus placuerat, vt Ximénius post Philippi mortem in regia maneret. Quare locus illi dignitate plenus in partem ædium anteriore est datus, qua in viam publicam prospectus est. Totus is dies regis cadaueri calce & aromatibus condiendo, & plumbeis loculis apparandis datus est. Ipse regis vestibus more patrio indutus, alto in lecto, ostro & auro exornato compositus, sceptris vtrinque iacentibus, & ense ad pectus admoto, velut somno indulgens visabatur. Liberum fuit per eum diem omnibus eius vultum, & quæ diximus ornamenta intueri, donec Miraflores Cartusianorum cœnobiū, quod modico à Burgis spatio distat, translatum cadauer est. Hoc ipso mortis Philippi die Velasus, & Manricus, nam Ximénius pontificiæ auctoritatis causa in palatio remansit, equis vecti urbem perlustrarunt, & celebrioribus in plateis publica præconis voce omnes admonuerunt, vt nemo armatus obambulare, alioqui centum flagris cædendus. Qui ensē, pugionem, sicam, aut cultrum stringeret, dextra mutilaretur. Sanguinem cuiusquam qui effunderet, aut potentioris alicuius familiam appellasset, capite plecteretur. Vt flagitiosi qui sese in domos regulorum recepissent, nemine vetante, illico extraherentur. Quòd si quis

pri-

priuatæ conditionis homo, eis vindex, aut fautor esset, flagris cæderetur: Reguli verò pecunia magna multarentur. Eius edicti promulgatione, ad turbas comprimendas non mediocre operæpretium factum est: nam regulorum animi, partium huiusmodi triumuirorum sanctionibus commouebantur. Postero die, in secretius cubiculum Ximénius secedens, Vallegio vt solebat, quoties aliquid arcanum ad reges scribendum erat, ad se vocato, Ferdinandum illico per literas de omnibus, quæ post discessum eius acciderant, priusquam Barchinona solueret, certiore facere instituit. Nam quantum ex breui transacti temporis mora, quæ à Ranedi colloquio ad eum vsque diem intercesserat, licebat coniectare, adhuc Barchinoni esse credebatur. Literarum autem hæc erat summa: Philippum celerim morbo magna omnium mœstitia præreptum esse, proceres inter se dissidere, & propter varietatem consiliorum, nihil esse certi quid omnino fieri deberet. Nam cum multi eorum æqualem dignitatis honorem tenerent, quenquam præferri grauius ferre, & nouis rebus, vt iam olim consueuerunt, studere. Ioannam reginam animi impotentia totam in mœrore & squalore esse. Proinde si quid regnorum quòdam charissimorum cura, si quid filia desolata amore tangeretur, Italas res, quarum status quietus erat, in præsentia dimitteret, & protinus in Castellam rediret. Non se dubitare, vt humani affectus sunt, quin propter ingratas procerum nostrorum voluntates exulcerato animo hinc discessisset: cæterum eius esse magnanimitatis & prudentiæ; hisce rebus vel tantillum non commoueri. Quòd si vereretur ne rursus ad eundem lapidem esset offendendum, sibi quæ denuò cum proceribus rixandum, suam ipse fidem interponere, suamque opem simul polliceri, in Castellæ regnis eam tunc tranquillitatem habiturum, qualem nunquam vel Isabella coniuge viuente obtinisset. Hæc literas obsignatas ad Ludouicum Ferrerium, qui Ferdinandi legatus apud Philippum manserat, perferri iubet: quas ad suum regem per nuntium aliquem, qui mutatis subinde equis volet, perferendas curet. Interea Didacus Gueuara, qui Philippo à poculis fuerat, aliquot è regia custodia susceptis militibus, incertum quòd è triumuiris iubente, à Burgis Simancas cum diplomate regio præproperè venit: quibus edicebatur, vt Ferdinandus puer Philippi filius, qui in eo oppido, sub Petri Nonnii Gusmani, Calatraux præfecti maximi educatione & custodia tenebatur, in oppidi arcem reciperetur, Gueuara, & militibus comitantibus, & etiam Gusmano sed cum paucis ministris, donec secundis tabulis quid esset faciendum à rege admonerentur. Sed Ramirus Gusmanus Petri præfecti ex patre nepos, qui Catanensis episcopus erat (vt Gonsaluus Ouetensis, qui illis rebus interfuit, scribit) diligenter & studiosè Gueuaram reiecit: partim quòd de Philippi morte Catanensis certus, tabularum fidem eleuaret, quæ octauo Cal. à rege signari tam firma manu, quàm autographum præ se ferebat, non potuerant: partim quòd longè tutius, & è reipublicæ utilitate esse iudicaret, si Pintiam frequentissimum & nobile oppidum Ferdinandus iam tunc transferretur, ne in potentioris alicuius potestatem veniret, qui rempublicam interturbaret. Quòd etsi agrè à Simancensibus impetrari potuisset, qui id in sui contumeliam fieri, utpote quibus parum fideretur, interpretabantur: tamen Pintiani magistratus qui illic in regio tribunali publici iudices sedent, & magna apud nostros auctoritate sunt, ad eos cum non mediocri armatorum manu venientes, & causas quæ ad hanc rem faciendam impellerent declarantes, tandem effecerunt, vt regius puer Pintiam commigraret, Gueuara honesta è causa reiecto. Datus est potior apud puerum locus cccc. viris Simancensibus: qui ea conditione ipsum Pintiam venire concefferunt. Per opportunum id Catanensis consilium habitum fuisse Ouetensis testatur, nempe fidei in rempublicam plenum. At cum sit (vt diximus) ambiguum, cuius auctoritate Didacus Gueuara Simancas venerit, ex his quæ postea anno xvii. acta sunt, factum id fuisse Ximénii iussu quispiam iure potest coniectare. Nā vt erat occasionibus præoccupandis promptus, eius illico pueri, à quo maxima pars quietis penderet, rationem non vulgariter habendam constituerat. Vnde fortasse

G iij

quoddam seminarium animi parum in Petrum Gusmanum, totamque eius familiam beneuoli, Ximeno datum fuit, qui ea è re praefractos eorum mores notaauerat: Adeò paruis de causis magnarum rerum momenta amittuntur, facile humano animo ad sinistrae opinioniones concipiendas inclinante. In ea rerum mutatione proceres nimium solliciti, rursus eo die apud Ximenium in consilium ueniunt. Erat iam numerus auctior Astuniga Beiaresi duce, & Astuniga Mirandae comite, Cordubaque iuuentutis aulicæ magistro, & Villaroellio Castorlae praefecto, multisque aliis in vnum confluentibus. Nam in rebus afflictis, quæ in commune ad omnes pertinent, etiam diuersarum factionum homines, & qui mutuo se oderunt, conuenire solent. Sed Velasus praefectus simulatum 10 erga Manricum tenax, priusquam ad publica tractanda accederetur, se hoc ab eis efflagitare dixit, ut Manricus cogere, iuxta leges & consuetudines Hispaniæ illi satisfacere, in quibus ab illo insigniter læsus esset: alioqui manu propria vindictam sumpturum. Multa ab alterutro vicissim sunt iactata, dum alter alterum prodicionis insinuat, seque mutuo maledictis, partim veris, partim falsis proscindunt. Ximenius, qui si longius simulates procederent, graues fore tumultus videbat, Nondum (inquit) humatus est Philippus, & vos iam diffidiis studeatis, quos multo magis deceret, concordibus animis mecum animaduertere, quo pacto reipublicæ suo rege orbatæ consulatur. Nam in Bætica (ut audio) Henricus Sidoniae dux nouas turbas concitat, & parum honesto titulo innixus, Gibraltarum armatus obsidet. Idcirco vnus tandem de reginæ nostræ 20 auctoritate, rebus gerendis, & regio senatui praeficiatur, cuius dictis omnes obediant: alioqui nihil vnquam bene administrabitur, sed omnia potius in manifestam perniciem ruent. Non potuit commodioratione, gliscenti discordiæ à Ximeno succurri, quam Bæticae motus mentione iniecta. Nam quod sibi quisque facile condonat, in altero minimè ferendum esse censet. Vnum omnes è Ximenii sententiâ, designandum vnanimè proclamant, qui de amplissimæ curiæ consilio, vbi duodecim viri literis & auctoritate insignes maiora subsellia tenent, reipublicæ prouideat, cui omnes sine prouocatione obtemperent. Ximenium autem sine controuersia eligendum esse censent, quo nemo 30 esset ad eam rem aptior: Nam quauis illi laboriosa prouincia esse videretur, quatenus in reipublicam caritate erat, non dubitabant, quin id oneris libenter esset subiturus. Quò vero id commodius gereret, mille aurei annui, ex regio arario, numerarentur, quibus impensæ publicæ fierent, & ipse sacris redditibus parceret, quos egenis subueniendis, & multis aliis caritatis operibus tam studiosè erogabat. Difficile id esse Ximeno videbatur, praesertim in tam diuersis regulorum studiis, tamen cum intelligeret bonam eorum partem ad Maximilianum Philippi patrem è Germania vocandum animari, cui Hispaniæ regna, donec Carolus nepos adolefceret, gubernanda traderentur, veritus ne hac ratione Ferdinando regi, cuius praesentiam necessariam esse videbat, reditus ad nostros interciperetur, 40 non duxit id muneris quantumuis molesti recusandum. Quare libenter se in illorum, & reip. gratiam, onus illud subiturum dixit. Nam quauis ætate erat imbecilla, tamen Dei Opt. Max. auxilio & eorum consiliis adiutus sperabat se bonorum votis satisfacturum. Cæterum oblatam nummorum summam regio se fisco libenter concedere, eos enim prouentus diuino beneficio sibi contigisse, qui per amplè tam egenorum subuentioni, quam reip. adiuuandæ pares essent, cuius egeni & angustia viri boni succurrere tenebantur, sed in primis pontifices, nam reges semper se excipere. Vnum id tamen viderent, ne quid à se quisquam iniquum peteret, aut per vim tentaret: illud enim nunquam concessurum, violentiæ autem 50 crimen seuerissimè animaduersurum. Nam ut tunc ne ipse ad id munus assumere-retur, in eorum voce & potestate erat, ita si semel optaretur, nemini amplius iam liberum fore eius voluntati, praesertim honesta conanti repugnare. Proinde iterum atque iterum secum considerarent quid expediret, se enim nulla tanta necessitudine, aut amicitia cuiquam hominum obstringi, ut veri & æqui rationem, non sit semper potiorem habiturus. Grauior nonnullis Ximenii oratio videbatur

batur quàm pro ipsorum voluntate. Cæterum iusta dicenti omnes assenserunt, seque ea omnia praefaturos promiserunt. Abrogatum fuit ab eo die Triumvirale, de quo diximus, imperium, & omnia vnus Ximenii arbitrio tradita: qui partim regii senatus cura suscepta, eiusque numero, qui eo tempore imminutus habebatur, virorum praefantium delectu suffecto, partim communicatione de rebus omnibus, quæ ferri aliquid continerent, cum proceribus habita, facile omnes ad opinionem suam traxit, remque publ. mirum in modum adiuuit. Sed quoniam paucissimos quosque esse intelligebat qui honesti ratione ducti, meliora sequerentur & tuerentur, instructam aliquam armatorum manum, quæ ad omnem motum 10 praesto esset, comparandam existimauit. Proinde Vianellum Venetum, de quo supra diximus, cuius fidem, prudentiam, & bellicam virtutem egregiè probabat, accersit, & re diligenter cum eo, communicata, stipendium annuum illi constituit, ob rei bellicæ curam, auri libram cum semisse. Ille verò quingentos leuis armaturæ milites magna celeritate conscribit, quos armis instructos extra urbem in loca spatiosiora quotidie educebat, vbi exercerentur & ad quamlibet belli occasionem promptiores fierent. Sic nouarum rerum auidi à proposito deterriti in officio retinebantur, quanquam qui Ximenium minus amabant, seditionis id esse seminarium dicebant. Per totum septennium, & amplius fuerat Hispani, post Granatæ expugnationem, alta pace vsi, & omne armorum genus 20 rubigine ob incuriam perierat. Quamobrem Ximenius, qui reipublicæ quietem in vnico armorum praesidio collocabat, Gonsalum Reinofum nobilem è familia sua virum, ad Asturum ferrarias officinas, quæ non longè aberant, in Cantabriam mittit, ut mille è chalybe thoraces, hastas bis mille, & tormenta leuiora, quibus pilæ ferreæ contorquerentur, quingenta, ad se quanta posset celeritate adduceret. Interim reginæ, & palatii custodiæ prætorianæ cohortem praeficit, qua & ipse quoties necessitas exposcere videbatur, stipatus progrediebatur. Huius cohortis curam Granatensis prouinciæ praefecto demandauit, quem Adelantatum Hispani vocant. Is erat Alphonfi Cardenæ maior natu filius, qui cordatus & manu strenuus esse videbatur, patre, qui maximus erat ordinis sancti Iacobi commendatarius, ea de re gratias Ximeno non vulgares agente. Erant, ut diximus, qui cum nondum Ximenii virtutem & robur nossent, eius consiliis & actis detraherent, omnia vana quædam terculamenta esse dictitantes. Homini enim planè stolidi esse, ea tyronum manu quenquam magnatum posse compesci credere, si quid nouæ rei conaretur. At ille Dei opt. max. praesidio fretus, quem sanctissimè semper coluit, & proprio animi vigore adiutus, quo ab omni ignavia & oscitantia erat alienissimus, adeò integrè & magnanimè se gessit, ut simulates regulorum admirabili prudentia consopierit, & externos motus qui per Sidoniae duce apud Gibraltarum, ut diximus, acciderant, diligentia insigni coeruerit. Nam diplomata à regina, quæ ob mœrorem 40 mente aliquantulum læsa esse credebatur, & subscribere recufabat, extorsit: per quæ finitimis circumcirca regionibus, ut Gibraltarum laboranti succurrant, & Sidoniana obsidione liberent, ducemque ipsum capiendum quamprimum curent, edicebatur, praemiis etiam capienti non vulgaribus propositis. Dum hæc geruntur, nuncijs de Philippi morte ad Ferdinandum regem missis, quem in Ebusa insula fuerat consecutus, literas lachrymarum & mœstitiæ plenas attulit. Dolorem quem de genero sublato conceperat, multis verbis exaggerat: Ximeno gratias pro beneuolentiâ & fide erga se agit: grauiusque & iniquè pertulisse dicit, quòd non id, antequam vela fecisset, rescuerit: nam omnibus in aliud tempus reiectis negotiis, ad Hispaniæ reipub. conseruationem, omnem suam curam 50 conuertisset. Cæterum iam integrum sibi non esse, retro pedem referre: quandoquidem eius aduentus Neapoli vulgatus, omnium animos erexerat, vbi multa erant magni momenti agenda, quæ suam praesentiam requirebant. Quare fieri non posse sine maxima Neapolitanæ reipub. iactura, tanta praesertim classis instructæ impensa facta, illuc non appellere. Se tamen fidem suam obstringere, ea negotia, quanta posset festinatione, confecturum, illicoque in Hispaniam reuer-

furum. Interea summopere rogare, ut quando non sine diuorum numine Hispanis regnis tempore maxime necessario datus esset, caritatis in remp. memor, rebus moderandis, ut quidem faciebat, sedulus incumberet: minimeque gentium aut moerentem reginam, aut negotia nutantia defereret: crebrasque de singulis rebus ad illum daret literas. Ximenius suscepta huiusmodi epistola, tanta lætitia perfusus est, ut eam Velasco & Mendozio, nonnullisque aliis, quorum in rempub. fidem multis rationibus exploratam habebat, ostenderit: qui pari gaudio affecti sunt. Nam rumores quidam incerti ferebantur, Ferdinandum Neapolitanis rebus, quæ factionum diffidiis impeditæ erant, non facile se explicaturum: difficilemque fore eius per ea tempora in Hispaniam reditum: quo magis qui diuersas partes tuebantur, de accersendo Maximiliano imperatore urgebant. Non satis cauto consilio tam propera literarum ostensio à Ximeno facta videbatur. Nam cum Ferdinandi propositum ad diuersæ factionis homines emanasset, nimiam in eo redeundi cupidinem cauillantes traducebant: cuius nempe causa, suis sese inimicis submitteret, & propriis regnis externa anteponeret. Hi ergo cum eius præsentiam sustinere non possent, antequam Neapoli Ferdinandus se expediret, assiduus ad Maximilianum legationibus missis, eius aduentum impedire conabantur. Hoc cum Ximenius præsentis, denuo procerum consilio apud se coacto, multa adhuc esse in tanta mole regnorum dixit, quibus perficiendis haud parem se esse videbat. Nam cum reginæ causa, quæ mentis morbo ægrotabat, non sibi plena potestas esset ad res omnes pro arbitrio gubernandas, necesse esse vnum aliquem rebus præficere, cuius illa aut præsentiam vereretur, aut rerum vniuersarum curam, citra sententiæ mutationem, illi demandaret. Esse enim aliquot ecclesiasticas, præsulibus suis eo tempore orbatas, non sine maxima religionis iactura. Erant Segouiensis, Placentina & Ouetensis: quibus pastores suos non dari, piaculum erat. Iam tribunalia, quibus causæ religionis examinabantur, & vnde totius regni tranquillitas pendebat, non posse deteriori in statu esse. Quandoquidem Petrus Corduba Pliagianus Marchio, contractis vestibus carceris, in quo fontes religionis causa tenebantur, omnibus discedendi quod vellent libertatem dedisset, in maximum Hispaniam gubernantium opprobrium. Eius autem generis negotium id esse, ut nisi exempli seueritate, cæteri à re simili perpetranda detererentur, funditus reip. fundamenta subuerterentur. Ut interim taceret reginæ prægnantis valetudinem: cui tum ob partus laborem, tum ob mentem afflictam, non mediocriter periculum immineret. At verò neminem huic rei, si rectè iudicare vellent, aut focero Maximiliano, aut patre Ferdinando aptiorem futurum: quorum vterque cum propriis rebus occupatus esset, precibus erant eo tempore exorandi. Suam ergo sententiam si poscerent, eam esse, ut omnes simul ad reginam irent, ab eaque vel magna importunitate exculperent, vtrum è duobus comitem, moderatoremque sceptrorum in Hispaniam venire vellet? Neque enim æquum esse ea inconsulta de tanta re aliquid discernere. Placuit vniuersis Ximenii consilium: atque inde ad reginam profecti, eius sententiam super ea re exquirunt. Illis ergo, quod regina post mariti mortem facere solebat, per fenestellam ad colloquium admittis, acuta, prudentique oratione, qualem vix animo integro constantissimoque dixisset, ad hunc modum respondisse fertur: Esse sibi in animo fixum, regni occupationibus liberam, viduali secessu vitam transigere: nam & sibi molestissimas esse, neque se satis aptam eo muneri pro dignitate obeundo sentire. Quod si Carolus suus ea foret ætate, ut è Belgis in Hispaniam traiciens, regendi molem sustinere posset, id esse cum primis ab omnibus optandum. At quoniam id fieri non poterat, magis patrem Ferdinandum, ut ad se veniret placere, cui rerum Hispanicarum notitia esset, qui que hæc Castellana regna multis modis labefactata, maximis laboribus restituerat, & adauxerat. Maximiliano verò sat negotiorum & curarum esse ex imperii Romani, quod suis humeris sustinebat, pondere. Quod si illi, ex horum regnorum administratione, quorum mores & instituta parum nouerat, noua cura superponeretur, proculdubio succubiturum. At de episcopis prouidendis, esse quidem per-

perquam necessarium, verum se foeminam rerum istarum ignaram esse: expectarent donec veniret pater, cui merita cuiusque nota essent. Urgente Ximeno, & cæteris proceribus, ut aliquot eorum, qui aderant, in consilium adhibitis, id examen facere dignaretur, ne interea ex absentia pastorum, morum corruptela, & circa religionem errores varii exorirentur. Grauius fore arbitror (inquit) si pastores gregibus regendis ineptos, aut inutiles delegero: nam fieri potest ut quisque vestrum priuatas amicitias habeat, quibus gratificari cum primis studeat. Instantibus vero, ut quando ita animo sederet, ad patrem ut reditum maturet, scriberet: protinus ad mentis suæ inconstantiam rediens, nolle se patrem Italæ rebus occupatissimum in novos labores conicere, respondit: neque ut anni tempore incommo- distimo sese mari iactandum committeret. Quod si ipsis secus videretur, id à patre per literas exposcant. Hoc reginæ responso habito discesserunt reguli, nihilque ultra de Maximiliano vocando, à contraria partis proceribus est actum. Andreas Burgo Maximiliani imperatoris legatus, semper in vulgus spargebat Maximilianum in Hispaniam venturum, quantumcunque regina prohiberet. Nam Petrus Martyr Andream ad eum de his rebus exposulantem dixisse scribit: id sibi primum in mandatis esse, ut Ferdinandi reditum quoquo pacto posset impedire. Demirabantur plerique quodnam id esset delirii genus in regina, quæ tam commodis & prudentibus responsis regulatorum conatus eluisset. Quod si tabulæ subsignandæ traderentur, quæ ad reipublicæ vtilitatem pertinerent, etiam si à supplicibus per lachrymas peteretur, nihil tandem obtineri poterat. Qui melius id considerabant, mulieres natura suspicaces esse aiebant, regina verò tunc atrabile exagitata, nullis ex ratione præsidii adiuta, vehementius in id incumbebat. Nam siue Belgicæ pellicis (ut ferebatur) veneficiis, siue id morbi malitia acciderat, illa quidem imaginandi vi & memoria pollebat, at prudentia ad distinguendum res propositas, carebat. Hæc enim virtus sanam & multo vsu edoctam mentem postulat. Cœpit inter hæc reginam Burgorum vrbis tædere: quare Ximeno ad se vocato, ut se, regiumque comitatum aliò transferat petit, neque enim in ea se vrbe manere velle amplius, in qua Philippus mortem obiisset. Durum id esse Ximeno visum fuit, qui vterum gerenti impendit metuebat: at instanti repugnare non licebat, cui pro ratione voluntas erat. Idcirco Ximenius ut illi satisfaceret, de procerum sententia Pintiam eundem esse proposuit. Est in medio itinere Torquemata oppidum, olim Porta augusta vocitata, Beneficiale (ut à nostris appellatur) municipium, quoniam nullius principis subiecta imperio, propriis legibus tantum gubernetur, seque eius protectioni pro voluntate tradat, quem magis beneficium patronum esse senserit. vnde & nomen accepisse creditur. Eo peruentum est pridie dominicæ Natiuitatis, vbi reginæ placuit subsistere. Annus millesimus quingentesimus septimus numerabatur, sub cuius initium, xix. Calendas Ianuarias, regina Catherinam Torquematæ peperit, quæ postea Lusitanæ regi nupsit. Annus hic pestilentia & annonæ caritate Hispaniæ vniuersæ grauissimus fuit: atque ita cum Torquematæ morbus ille contagiosus cœpisset sæuire, & aliquot regias ancillas in ipso palatio absumpsisset: nulla Ximenii admonitione, qui crebrò cum ea de hac re egit, inde pedem mouere voluit: ægram enim sese dicebat, neque satis è partus labore viribus refectam. Ximenius de aliorum salute magis quam de sua sollicitus, regium senatum Pallantiam transfert: quem comitentur iubet, quotquot Torquematæ inhabitare commodè nequirent. Ipse verò cum aliquot regulis, quorum Velasco primas partes apud illum obtinebat, reginæ semper assiduus fuit. Tunc è regio senatu amoti sunt, quos Philippus, instigantibus Belgis pecunia corruptis, incautè delegerat, illique omnes rursus recepti, quos Ferdinandus ei muneri præfecerat. Quod siue id regina præceperit, siue potius Ximenius ita reipublicæ conducere arbitratus, suo consilio & procerum fecerit, reginam sic iubere vulgatum fuit. Quod nonnullis ridiculum esse & inane videbatur, tantopere reginam de mutandis senatoribus sollicitam credere, quæ Belgicos sacrorum officiorum cantores immutari passa non fuerit, & annua stipendia numerari, eorumque ma-

ximam rationem haberi, iussisset. Hoc ipso tempore auiti Cisnerorum municipii Ximenius memor, quod & Benfetriale est, ad antiquos maiorum lares visendos profectus est, ut Cisnerii tradunt. Garfiaz Ximenii domum ingressus, cognationis officia in tanto positus fastigio non neglexit. Eam tunc domum Maria Garfiaz filia possessionum auitarum hæres, nam masculorum successio defecerat, tenebat. Ximenium ad se venientem Cisnerii omni apparatu & pompa excipiunt: eos ille contra, quid in reip. suæ utilitatem à se fieri cuperent, rogat. Qui, ut antiquorum hominum mos fuit, cum in numerato non haberent quibus indigerent, vnius duntaxat incommodi, quo tunc impendiò vrgebantur, remedium postulant. Ut quoniam per publicos ministros, quos Castellæ præfectus 10 (quem Adelantatum vocat) ad eos mittebat, assiduis iniuriis diuexarentur, apud regium senatum curaret, rogarunt, liceret ipsis municipales duumuiros, ad suas causas & lites disceptandas, quotannis creare. Hoc eius opera paulò post effectum est, & nunc etiam eo munere fruuntur. Pestilentia igitur magis ac magis sequente, regina sub Aprilis finem de discedendo cogitare cepit: non longius tamen quam per duo millia passuum ab eo loco progredi voluit. Est villula quæ Furnilli vocatur, quæ trās eundem erat Pallantiam petentibus, vbi diuitis agricolæ domus reginæ arrisit, ut quæ per aptè ædificata erat, & prospectu amoenissimo fruebatur. Quare nulla Ximenii, neque aliorum procerum ratione habita, vltius esse procedendum pernegauit. Qui cum ut Pallantiam se conferret suaderent: 20 viduam non decere respondit, in magnificis oppidis, aut frequentibus vrbibus, moram facere. Præclaro mehercle, & celebrando exemplo, modò ex sanè mētis consilio id profectum esset. Dum Furnillis morantur, varii tumultus è diuersis locis quotidie renunciabantur. Nam Methinæ nobili emporio in creatione abbatis Methinensis, paulatim procedentibus iurgiis inter eos penes quos creandi ius erat, ita ciues vniuersi mutuo exarserunt, ut armati medio in foro multi se cõfoderint. Dionysius Castrus, Roderici Oforii gener, Lemiorum comes, Ponferratam olim suæ ditionis particulam, tunc verò ob dissidia inter Oforium & Pimentellum super ea re habita, per regem tanquam publicum protectorem & sequestrem ab illorum iniuriis vindicatam, per vim præsidio imposito occupa- 30 uerat. Vbeda ad prisca simulata rediens, Molinensibus Carolum, Cueniis Ferdinandum appellantis, qui iam olim in ea vrbe fuerunt factionum capita, in armis erant, & multi vulnerati renuntiabantur, Antonio Manrico vrbs præfecto, qui contrarius Ferdinandinis erat, ad id manifestam (ut aiunt) occasionem dante. Neq; minori in seditione Abula & Toletū clarissimæ vrbes esse ferebatur. Inachus Tendillæ comes Granatensem provinciam in periculum esse per nuntios declarauerat: quoniam milites qui oram maritimam tuebantur, ob stipendia nõ soluta irritati, sacramento exolui poscerent: quorum multi non expectato exauthoramēto, stationes suas iam deseruissent. Hæc omnia Ximenium animi anxium & suspensum tenebat. Nam partim ob reginæ obseruantiam, ad quam, quan- 40 uis nihil proficeretur, referēda erant, partim ob proximum Ferdinandi regis aduentum, ut frequentibus literis pollicebatur, illi omnia huiusmodi negotia integra referuare statuerat. Neque enim satis tutum esse sibi existimabat, quo tempore omnium animi ad res nouas erecti erant, nondum planè cõfirmata regendi potestate, sese tam grauib. causis immiscere. Sed quoniam eiusmodi erant, ut nec contemni, nec dissimulari possent, proceribus in cõsiliū vocatis, quo remedio incommoda quæ diximus propulsari quirent, tractauit. Visum fuit quantumuis subitatum, aut pro tempore natum remedium interponeretur, magni momenti eo in articulo futurum. Neque enim ea remedia tunc quæri oportere, quæ vim mali penitus euellat, sed quæ tantisper dum Ferdinandus veniat, ne vltius gra- 50 sentur, impediunt. Quare Ximenii curæ, & prudentiæ, qui Velasum cõsiliorum socium assumeret, omnia relinquenda esse censuerunt. Nam & Vbedam executores regii sunt missi, qui in seditionis authores capitali pœna de more animadueterent. Toletani & Abulenses, ut quiescerent, à seditionibus cessantes, magna interminatione si secus facerent, sunt moniti. Tendillano libera potestas data est, à coa-

à coactoribus cuiusuis ordinis pecuniam exigendi, eamque in milites suos erogandi. Sed quoniam sinistrè de se suspicandi Tendillanus occasionem dederat, Molinenses eius fauore fretos, Vbedæ seditionibus studere, manifesto eius rei indicio, quod Antonium Manricum, de quo diximus, libenter hospitio Granatæ suscepisset: quo cum arcanos sermones habuisset, etiam atque etiam quid faceret caueret iussus est, & ut sese reipublicæ fidum custodem & ministrum, maiorum suorum exemplo, præstaret. At in Lemiorum comitem, quoniam grauius delictum fuerat, Pimentellus Beneuentanus, & Fredericus Albæ regulus, qui ob affinitatem nuper contractam, in Castris perniciem 10 conspirauerant, duces reipub. deliguntur. Hoc Ferdinandi regis exemplo factum fuit: nam ille apud Granatam occupatus, Roderico Oforio eadem tentanti, Pimentellum, qui cum Oforio de Ponferrata contendebat, callido quidem consilio opposuerat. Quanquam eo tempore Ponferrata, ab Oforio capta, non nisi regis præsentia recepta fuit. At nunc Pimentellus & Albanus coniuncti, cum validam militum manum conscripsissent, iamque in Castrum proficiscerentur: ille partim ob proximum Ferdinandi aduentum, partim quod si ferro decernendum esset, longè alias vires requiri, & longè alios apparatus faciendos esse sentiebat, se arma deponere, & omnia pro Ferdinandi arbitrio facturum ad Ximenium scripsit. Interea tamen se regis nomine Ponferratæ mansurum, omnesq; mou- 20 Callaicos sedaturum, qui ut ea gens in martè est prona, non parum multi futuri credebantur. Ad quæ Ximenius paucis respondit: ni maturè Ponferrata discederet, indeque præsidium militare educeret, non modò Albanum, & Pimentellum, quorum tamen virtuti multum fidebat, sed vniuersas Castellæ vires, ad eum perdendū statim cõciturum. Ille soceri periculo edoctus, quem vniuersis possessionibus ea de causa Ferdinandus priuauerat, confestim paruit. Dum his reipub. negotiis distineretur, non deerant etiam priuata sacerdotiorum negotia in dicecesi sua. Nam cum Raneræ, quæ in Carpetania sita est, beneficio, quod Curatum vocant, de Ximenii voluntate Petrus Martyr præfectus esset: Bernardinus Mendozius, Didaci Mendozii Infantatus ducis frater, Guadalaiarici tractus, 30 in cuius solo Rainera est, Archidiaconus, literis quas vulgò expectatiuas vocant, ab Alexandro Pont. Max. olim impetratis, eam sibi præfecturam armis & vi vindicare conabatur. Quod multis de causis Ximenius agrè tulit: nam Alexandri, qui iam dudum obierat, illius modi priuilegia nihil tunc efficaciam continere dicebat: quo prætextu sibi fraudem fieri, vimque locis sacris, suisque ministris inferri, non modò graue & inhonestum, sed flagitiosum & impium iudicabat. Idcirco literas expositulatricis ad eum dat, & à præfente Mendozio, ut fratrem in officio contineat, eumque seuerè increpet, exposcit: multisque verbis obsecrat, ne sibi ansam, aut occasionem dari ferat, sese propriis armis (hoc est sacrorum interdictis, & pontificia authoritate) vindicandi. Quod si ea negligenterentur, esse sibi 40 quoque militares copias, multò armatis satellitibus præstantiores, quos Bernardinus veluti in bellicum præsidium, in eius contumeliam in æde sacra Raneræ collocauerat. Optima monenti Mendozius paruit: atq; ita se Ximenius ea molestia liberauit. Nihil tamen animum eius eque sauciauit, quam quod per eosdem dies Petro Cordubæ iuuenum regionum præfecto in Africa accidit. Nam cum eius opera portus magnus, qui Mauroꝝ lingua Mersalcabir dicitur, Carthagini nouæ in Hispania oppositus, in nostrorum potestatem venisset, eumq; præsidio militari tueretur: aliquid egregium patrandi cupidine incensus, in interiorum Africam, cum tribus peditum millibus, aliquotque item cataphractis equitibus penetrauit: sed inauspicato prælio cum Mauris dimicans, penè omnes, hostium innumera multitudine vndique confluente, sunt perempti. Quod magis 50 ac magis Ximenii animum confirmauit ad expeditionem Africanam, quam iam diu secum meditabatur, suscipiendam. Dum his in Hispania curis Ximenius distringitur: Ferdinandus, quem vniuersæ Italiæ gratulationes, ipsiusque adeò Pontificis Max. Iulii 11. honorifica per nuntios gratulatio, & istum cum Ludouico Gallorum rege foedus, iniuriarum obliuisci fecerant, à Neapoli, vbi omnia

ex voto composuerat, in Hispaniam rediens, Sauonam Genuensium urbem, ante diem quartum Cal. Iul. appulit. Eò Gallus neptis suæ visendæ prætextu, quam (vt diximus) Ferdinandus uxorem duxerat, venit: & multa de vtriusque rebus, quæ antea per sequestres & nuntios tractabantur, præsentibus egerunt, Gonsalo Fernando cognomento Magno, & Antonio Palauicino Pont. Max. Legato tantum ad colloquium admissis. Digrediuntur reges animis coniunctissimis, & Gallo in sua redeunte, Ferdinandus prospero cursu in Laletaniam traiecit, quæ pars est Catalonia: vbi ab omni nobilitate officiosissime salutatus, receptus est. Deinde in Castellam diu cupitam profectus, ab vniuersis proceribus, qui ad illum festinatis itineribus conuolauerant, multis obsequiis & gratulationibus excipitur: qui nullam interim offensi aut alienati animi significationem dedit, sed omnibus benignè arrisit. Nam vel Emanuellum ipsum, cui multis de causis non iniuria offensus esse existimabatur, Naiarensium reguli, quo cum amicitia ei intercedebat, custodia concessit. Quanquam vt erat Emanuellus animi sagacis & prouidi, parum fudit Ferdinandi dissimulationi. Sed dum ille aliis atque aliis negotiis occupatur, decepto aut dissimulante custode, simulatque per occasionem licuit, iter ad Belgas continuo arripuit. Quod paulò antè non expectato Ferdinandi aduentu, Villas, & Veranius, aliique nonnulli Belgarum principes fecerant, statim ac Philippus obierat, ad Carolum Philippi filium confugientes. Quanquam sunt qui ad regem Gallorum diuertisse dicunt, vt eius literis Ferdinando commendarentur: qui rerum ab illis gestarum gnarus, Placet sanè (inquit) ad eum ita scribere, vt talem erga vos benignitatem exhibeat, qualem vos vestris officiis promeremini. At regina vt patrem per nuncios aduentare rescieuit, quanquam nullo signo lætitiæ dato, in vltimos Castellæ fines venire voluit, ad excipiendum patrem, nisi Ximenii autoritate, qui ea de re Ferdinandi literis admonitus iam erat, prohibita fuisset. Proinde Furnillis relictis, Tortoles oppidulum non longè distans, nocturnis itineribus, vt solebat, proficiscitur. Quam cum Ximenius nonnunquam admoneret, ne iter noctu, tempore sanè incommodissimo faceret: hoc est (inquit) viduæ feminae perquam decorum: nam sole maritali ablato, solis lumen oportet fugiat. Atque ita facibus longo ordine præeuntibus, & mariti feretrum cingentibus, viæ se de nocte dabat, nouo, neque vnquam antea audito exemplo. Modicis itineribus Ferdinandus ad Ioannam filiam contendens, quod crebris regulorum occurribus impediretur, quarto Cal. Sept. Tortoles venit: vbi patria quadam apertè declarabat. Illa verò, quod vix quispiam in tam pertinaci mœrore expectaret, lachrymas quidem nullas effudit, quæ illi post pellicem cum marito deprehensam, nimia vi doloris, aruisse dicuntur: hilare scilicet animi signa non pauca, neque obscura dedit. Sermonibus vltro citroque habitis, ad multam noctem euigilarunt, Ximenio dūtaxat arbitro. Priusquam colloquium dirimeretur, cæteris aulicis iam admissis, cum de loco regum habitationi apto agitari cœptum fuisset, & regina patrem rogaret, vt suo arbitrio illum optaret, & Ferdinandus eam curam honoris gratia in filiam reuiceret: tandem placuit, vt sanctam Mariam Campensem, oppidum satis celebre viginti millia passuum à Burgis distans, concederet. Nam & annonæ abundantia illic erat, & reginæ affectui mos geri videbatur. Inter cætera quæ dum in Italia Ferdinandus morabatur, cum Iulio Pont. Max. egit, hoc vnum ab eo efflagitauit, vt Ximenius vir omni laude cumulatus, atque maximæ autoritatis, vt pote Hispaniarum primas, in Cardinalium amplissimum senatum cooptaretur, cum Cardinalis Hispaniæ titulo, quem patrum memoria Petrus Gonsaluius obtinuerat, & aliquot ante annis Petrus Friasius Vxamenis Episcopus, ab Enrico tertio Hispaniarum rege, magno in pretio & honore habitus. Igitur cum id Ferdinandus Ximenio impetrasset, secumque ipse insignia tantæ dignitatis asportauisset, quod amoris in eum testimonium haud vulgare fuit, voluisset quidem, vt primo quoque tempore magno apparatu, & celebritate, Ximenius galero purpureo insigniretur: sed regina id pertinacissime veruit, indignum esse viduitate sua claudens, quicquam lætium se præsentem geri. Quod si id ita animo sederet, diuerteret

in

in aliquo proximum vicu, atque ibidem meritissimum Antistitem, omni honore & hilaritate prosequerentur: sc. n. aurea & serica tapetia, & quicquid amplius ornamentorum ad eam re necessarium esset, e gazophylacio regio deprompturâ, & quocumque locorum conuenissent, libenti animo misuram. Obtemperauit reginæ Ferdinandus, quanuis animo dolenti & perinuito: neque. n. tantam re mysteriorum & religionis plenam, humili in loco & parum regii comitatus capaci geri voluisset. Accersitus est e Pallantia vrbe Ioannes Rufus Pont. Max. nūcius, nā regina (vt diximus) per vicos ignobiles & angustos diuersante, illuc multi ex proceribus, sese contulerant. Quoniā autē estatis calores nōdū deferuerāt, vestes purpureæ ex serico undulato Ximenio sunt apparatus. Accidit autē, vt cū ad eū visendū Ferdinandus rex venisset, & ambo in domo Ximenii moraretur, nūcius Pontificius aduēteret, & iā in proximo esse Ferdinando & Ximenio nuntiaretur, voluit illico prodire obuiā rex, sed eò vsque se continuit, donec vestibus purpureis Ximenius indutus, sese comitē regi adiungeret. Tanta fuit regi potentissimo comitas, & tanta præfuli optimo dignitas, vt neque illū id honoris præstare dedeceret, neque hunc admittere. Oppidulū quoddā, quod in propinquo erat ad ea vsque tempora obscurū, incolæ Mahamudū appellāt, ad ea sacra celebranda pro tempore accommodū esse visum est. Illuc cū rege ferme proceres omnes cōuenerūt, & Ioanne Ruffo sacra curante, rubro galero Ximenius decoratur. Literæ verò summi Pont. super ea re ad Ximeniū missæ, quoniā tunc sunt publice perlectæ, non abs re fuerit posteris quoque in hęc cōmentariis tradere: quas nobis ecclesiæ Toletanæ sacerdotes ex adytis suis, vbi asseruātur, describēdas obtulerunt. Nam Ximenius beneuolentiæ & officii causa, Toletum mittendas curauit: & priuata eius epistola, amanter de Pont. Max. collato in se beneficio certiores fecit. Rogat etiam vt supplicationes ad Deum haberentur, qui reipub. Christianæ in primis, deinde sibi felix & faustum esse annueret.

Venerabili fratri nostro Francisco S. R. E. Presbytero Cardinali, Iulius II. P. M.

Deste fili salutē & apostolicā benedictionem. Induisti præclaris meritis & virtutibus, tuis cōtemplatione etiam carissimis in Christo filiis nostris Aragoniæ, Siciliæ, regis catholici, qui hoc à nobis per literas & orationes instantissime petiit. hodie in confessorio nostro secreto, S. R. E. Cardinalis confessor, & collegio aggregatum sperantes quod eodem S. R. E. cuius iam honorabile membrum es, vltis eris & honorificus, illiusque auctoritatem pro virtutibus conseruabis, & augebis. Datus Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris. Die xvii. Maii, m. d. vlii. Pontificatus nostri anno quarto.

ACTVM est id, maxima omnium aulicorum lætitiâ, xix. Cal. Oct. quo die Petrus Nauarrus, vir in bellicis rebus spectatæ virtutis arcis Burgensium præsidium, quod dux Naiarensium ibidem collocauerat, ad deditionē faciendā coegerat. Quanta autē ea cooptatio patrum purpuratorum approbatione, Iulio Pont. Max. rogatē facta fuerit, literę multorum, qui ex nostris eo tempore Romæ agebāt declarauerūt: quarum mihi copiā eadē S. Ecclesiæ Toletanæ adyta suppeditauerūt, vt multarum etiā rerum aliarum, quæ huic operi necessariae videbantur. Erat quidē Ximenii nomē vel apud exteras gentes iā celebre, sed conceptā de ipso opinionē nō mediocriter regis Ferdinandi fauor & studium adauxerat: qui incredibili cura & volūtate, vt grauissimis quibusque muneribus præficeretur contendebat. Quare post sacre purpuræ dignitatē concessam, vt causis religionis examinandis supremi iudicis partes sustineret (quæ Inquisitorem generalē vocāt) à Pont. Max. obtinuit. Huius magistratus tanta autoritas & maiestas est, vt nemo sit quantumvis magnus, quem non liberè queat in iudiciū vocare, meritasque pœnas irrogare. Institutum est huiusmodi tribunal, magna totius regni cōfensione, ab Ferdinando rege de quo agimus, & Isabella vxore, procuratē vt id cōstitueretur Petro Gonsalio Mendozio, qui tunc Episcopus Hispalensis erat, anno m. cd. lxxvii. & Xisto v. Pont. Max. approbante. Thomas Torquemara, ordinis Dominicanorum sodalis, & Segobiensi monasterio præfectus (quæ vulgus priorē vocat) vir theologus, & vitæ sanctimonia clarus, ad hoc munus cōsilio Gonsalii Medozii tunc fuit assumptus. Huius præclari, & sacri magistratus, cū statim Hispania utilitatem maximā sensit contra iudaizantes, tū verò his calamitosi temporibus cōtra tot sectarum pestē experti sumus incomparabilē, & nunquā satis pro merito æstimādā. Sed quoniā quo tempore Philippus rex in Hispaniā traiecit, sub Deza Episcopo Hi-

H ij

Hispani, qui huic tribunali præerat, & Luzero Inquisitore Cordubensî, magni motus Cordubæ exorti sunt, Petro Corduba Plegii Marchione causam quorundâ hominum, qui de violata religione accusabatur, protegente: rex Ferdinandus id memoria voluens, multû referre intellexit, virum aliquê, qui autoritate, prudentia, & vitæ integritate polleret, ad tribunal grauiissimum moderatûm assumi. Nemo autem occurrit, qui omnibus numeris absolutior esset, & aptior ad tantum munus dignissimè exequendum, quàm Ximenius. Idcirco simul cum cardinalitio honore, huius magistratus moderationem ad eum deferri, à Pöt. Max. postulauit. Hæc simulatq; impetrata sunt, illico Ferdinandus eum, autographa epistola, de vtraque re certiore fecit: cuius exemplum, quod Franciscus Hispania regis Philippi II. eubicularius minister, mihi benignè obtulit, hic libuit adscribere.

Ferdinandus Rex

REVERENDISSIMO DOMINO PATRI CARD.

Hispaniarum, Archiepiscopo Toletano S.

Cum tuam inuenit civitatem, cum insigni pietate conuulsa experimento explorata habeam, & quanto in prole honore habendus sis cognoscam, tu, ipsum quanto ampliorè dignitate obrinueris, tanto maiori, in religionis publica tranquillitate, non modo istorum regnum sed & aliorum presidio futurum esse, mihi persuadeam: simul etiam dum quantum tibi debeam, frequenter memini, dedi operâ. Et me id supplicante, & beatissimo patre nostro in S. R. E. Cardinali numerû beatorum senatus cooptaveris. Id te obsecro beneficium suscipe eo amore, qualis in me ad impetrandum fuit. Ad hac cum Archiepiscopo Hispaniensi se Inquisitoris generalis præfektura, quâ in Castella regnis exercebat, per literas ad me datus abdicaveris, curam etiam S. Pont. Max. ad sanctum hoc munus moderatûm Reuendissimam paternitatem suam designaret. Porro duo sunt, quæ mihi à te in presentia petuntur, unum ut pietatis & religionis consulas, optimas quibusq; viris, qui omnibus affectibus potissimum sunt liberi, ad tanti muneris partes assumptis: alterum, ut omni ratione, & diligentia, ne quid Archiepiscopi Hispaniensi auctoritati detrahatur, caveas. De quo etiam sit admoneri speruacane esse videam, mihi tamen de eius dignitate sollicito, ut ita faciat mens suadet. Virisq; rei testimonia ad se ut propediè mittantur curato. Hactenus ad te non scripsi, quoniam à remis ad Velum (ut a iuni) in prociatū semper fui: at Deo S. spero, iuuante, S. Spiritu instantis S. Spiritus celebratis die, vela factamam me hucusq; capientem, maxima negotia retardauerunt. Vale, manu propria, Neapoli xv. Cal. Iun. anno m. d. v. l. i.

Huius grauiissimo statim ut præfektus est muneri, tabulas publicas, quarum exemplum in Cöplutensibus scrinis habetur, per vniuersas Hispaniæ ecclesias dedit: quibus id potissimum agebatur, quo pacto recens ad fidem cõuersi, liberiq; eorum, & familia vniuersa in religionis reb. sese gererent, & qualiter facris deberet interesse: & quibus ite rudimentis & exordiis, paulatim ad Christianam fidem instrueretur. Rursus à quibus reb. cauendû esset, utpote Iudaicis, & Mahometicis caeremoniis, maleficis ritibus, & magicis incantationibus, cæterisq; omnibus superstitiosis actibus, qui à dæmonibus sunt inducti. Nã de blasphemis, & nefariis vocibus, quibus homines impii diuos oēs, imò & Deum ipsum imperit, quoniam legibus regis seuerè vindicatur, id vnû additum fuit in his tabulis, suâ quoq; illos experturos indignationem. Hæc verò cõminatio mirû est quantum momenti apud nostros semp habuerit. Quoniam verò seuera Luzeri animaduersione multorum animos turbauerat, primo quoque tempore de eo agendû ratus, curauit ut deposito magistratu, rerû à se gestarû rationem daturus, ut rei solerè, ad se veniret. Fuit id cû primis speciosum, & multis hominibus oppidò quâ gratû. Testes sunt in mediû producti, quorum ille opera aduersus innoxios vsus dicebatur. Ingentia causarû volumina, quibus damnatorû crimina cõtinebatur, assidua Ximenii & aliorû iudicum cura, qui supremas in inquisitionis curia partes cû eo tenebant, lectitata & expensa sunt. Luzerus crebrò de omnibus interrogatus Burgos vincitus asportatur: ibiq; arcis præfektò sub arcis custodia asseruadus traditur. Sed re omni accuratè examinata, cû in illum animaduertendi causa satis idonea non inueniretur, liber tandè abire permissus est, & Hispani, in cuius vrbis templo maximo sacerdotiû canonicus obtinuerat, diu priuatâ vitam vixit. Priusquam huic volumini finem imponamus, cõmodum videtur, de Hierosolymitana expeditione, ad quâ sub hoc tempore Ximenius Ferdinandus, & Emanuel Lusitaniam regem assiduis sermonibus non cessabat adhortari, non nihil posteritati tradere. Nã ut ex literis Emanuelis, quæ in Academiæ Cöplutensis scriniis, regio signo, ceraq; propediè Lusitano sermone scriptæ seruatur, intelligere licet, anno sexto qui huc antecessit, paulò antequam Hispaniâ Philippus à Belgis appelleret, suadete & curante Ximeno, de fœdere inter Ferdinandum Hispani, & Emanuelẽ Lusitanum, & Enricum Britannum feriendo agebatur: ut mutuis animis, & exercitibus, aduersus Sarcenos proficisceretur, Dominicû sepulchrû recuperari. Quanta in eam rem animi

animi cõtentione Ximenius intederet, abunde Emanuelis verba declarât: quæ suis ferme verbis, quantum potui fideliter & circûscriptè apponâ: quoniam nihil potuit honorificetius, aut præstatius in alicuius cõmédatione scribi à rege rerû gestarû gloria inclyto. Ferdinandis (inquit) soceri prudentia, cû excellenti animi magnitudine cõtincta, nostrarq; ite & Enrici Leuri ad hæc re ardor & propensio, cõcorsq; animorum affectus, diuino in primis fauore adiuuante, sine quo nunquã aliquid in terris præclarè geritur, facile me in spē ingentè erigunt, vota tua suum finem habitura. Quæ quantum ex literis tuis intelleximus, semper eò tendunt, ut Mahumetana secta deleatur, & oēs qui extra cœtû Christianorû sunt, dominico gregi tandè coniungantur, fiatq; vnû ouile, & vnus pastor. Id aut fausta hac & felici expeditione, ita cumulatè euerturû speramus, ut propediè victoriis exultates, sanctissimû Christi corpus te ad sepulchrû dominicû sacra faciete, è tuis manibus. socer & duo generi, magna lætitiâ & voluptate perfusi, genibus flexis sumpturi simus. Crede. n. mihi, quod post Ferdinandis regis ad hæc re paratâ voluntatem, cuius auspiciis mirificè cõfidimus, nihil meum animû magis confirmauit, nec cõfirmavit modò, sed altero tanto etiã adauxit, quã tuû ad hæc re feruorè, diligentia curamq; intrueri, sine quibus nihil eorum quæ à te prudenter singulis in reb. animaduertuntur, potuissent ad me perferri: quæ mihi maximo argumetò sunt Deo annuente prouinciã hanc assumi. Quare id tibi vnû persuadeas velim, multò magis mihi pretiosum & carû esse, te nobiscû huius expeditionis participè venire, quã si rex quispiã potentissimus, sese nobis socium adiungeret. Neq; n. solùm opibus, tuis, & autoritate, quæ neutiquã contemnenda sunt, præsidio nobis & vsui eris, sed augurii fortunatissimi spē præsentia tua semper suggeret. Nam id ex tua pietate, & quâ perpetuò colis, morû sanctimonia pro certo habemus, nihil vnquã aduersum, aut triste eis, quibus cû verferis, accidere posse. Siquid è viris sapientissimis accepimus, idq; oraculis nostris testatû retinemus, Deum immortalè beneuolentiorè in eos esse, à quibus purè & religiosè, quæ admodum tu facis, colitur. Sæpe etiã ob vnus viri dignitatè & merita vniuersorû noxas cõdonari: quemadmodum è diuerso, ob vnus flagitiû & scelus totâ aliquando temp. eueri. In his verò quæ ex longa cõsideratione, quâ in legendis historiis adhibuisti, vbi de simili expeditione agitur, prudentissimè differis, permulta sanè exempla recèntur, quæ parû alioqui animatos deterreret, & præptos & paratos cõmonefaciunt & cautiore reddunt. Ea etiã nos quoq; iã prospexeramus, abs te tamè ad moneri, grato & lubetî animo suscepimus. Nã & sententia nostra tuo calculo cõfirmata fuit, & ampliorè de ea re cogitandi materiã nobis obtulisti: ut quando coram de eis agendû sit, ea quæ nobis vsui sunt futura, accuratè expendere valeamus. Eset. n. omni culpa dignus, qui ex aliorû periculis non saperet. At tu Antistes optime, planè curã non vulgare præ te fers, ingentisq; tuæ sollicitudinis non mediocre mihi testimoniû præstas, cû eorû omnium, quæ ad hæc re efficiendâ cõducunt, tanta sis cognitione instructus. Nec. n. ore mariumæ sinus, nauium stationes, & abditos in ipso pelago scopulos, quisquã est in oriente nauclerûs, qui distinctius posset explicare. Iã quæ de belli gerendi forma à te dicuntur, ita aptè, & cõuenienter, ita fortiter & robuste disponuntur, ut nihil aliud tractasse videaris. Idcirco quauis hoc vltimû esse videamus, neq; de eo prius disputandû, quã cæteris omnibus. (ut oportet) cõpositis, quid nos quoq; de eo sentiamus, à te tã luculenter prouocati, breui sermone aperuimus. Hæc ex Emanuelis literis decerpta, satis demonstrant sollicitû in primis Ximenii animû, de Mahumetana gète extirpada: qui tanta diligentia, & sedulitate, triû potētissimorû regû concordia ad eam re perficiendâ curaret. In hoc quidem negotio Emanuelis pietas mirificè enituit, magnam voluntatè, insignè fortitudinè, ingentè in Christo fiducia præ se ferentis. Quæ tamè de causa ea expeditio non sit cõfecta, nihil certi quod scribã habeo: nisi quod partim ex Philippi regis in Hispaniam aduentu, cuius occasione omnia mutari, & aliam (ut supra diximus) faciè ostendere cœperunt, partim ex Iulii II. Pont. Max. cû Gallo dissidiis, in quibus aposto licæ sedis laboranti, subueniendû fuit, Ferdinandis & Ximenii conatus ad bellum sanctissimû suscipiendû impeditos fuisse par est credere. Præsertim cû multa deinceps ex eo fonte cõtinenter acciderint, quæ domesticâ tranquillitatè interturbata

runt, & cunctā de bellis externis curā abstulerūt. Quā difficilē aut ad huiusmodi res cōficiendas principum animi coire soleant, quantēq; in ipsis difficultates subinde oriantur, Francisci Vallesii Gallorū regis, prudēs mehercle de hac re dictū, & sapienter & eleganter declarauit. Ille. n. cū captiuus ad Imperatorē Carolū v. qui tūc Madriti erat, per Hispaniā, Alarconē, aliisq; primariis viris comitatibus, iter faceret, & Cōpluri meridiatus esset, cœpit victoris imaginem qui iā propē erat, mœsto vultu cogitare: & cū nihil iis qui adstabant loqueretur, Petrus Lassus, vt egrimoniam discuteret, bono animo (inquit) esto rex, neq; te ad hostē venire existimato, sed potius ad principē mitissimū & humanissimū: in cuius postquā cōspectū veneris, cūcta ex tua voluntate fient. Nā iam ego hinc concordiam inter vos clauis trabalib. fixam ortā video: qua nō solūm Christiana resp. cōfirmetur, sed Mahumetana secta deleatur. Nā Turcis tanto terrori eritis, vt parib. armis cōspirātes, & ceteris Christianis principib. ad eandē prouinciā prouocatis, vrbē Hierosolymitanā sine vllō negotio expugnetis. Franciscus ad hęc respondisse fertur, longē maius negotium in cōspirando Lasse erit, quā in expugnando. Prospiciebat enim prudentissimus rex, duos equa potestate principes, quorū alter parē, alter priorē nequaquā ferret, difficilē mutuā consensionē habituros. Illorum ergo principū Christianorū discordiis nostrisque flagitiis, eas vires barbari sumperunt, vt difficilior expugnationis ratio iam facta fuerit, quā pro Ximenii eo tempore opinione. Cū tamē Frācisus rex, Academię visendę causā in Ildephonsi ædem venisset, eumq; rector, ac literarii patres, per omnes scholas circūduxissent, vbi singuli professores de suis disciplinis disceptabāt: postquam attento & consideranti animo cuncta tacitus perlustrauit, Rem (inquit) Ximenius vester animo concepit, eamq; (vt video) absoluit, quā ego aggredi ne utiquā ausus fuissē, veritus ne conāri effectus tantę rei nō succederet. Nā Parisiensis schola qua mea Gallia iure gloriatur, opus regū multorū est. Hoc fanē potentissimi, atq; erecti animi regis testimonio, illustri alioqui Academię, non mediocri commendatio parta est. Sed nos ad eius ampliūdinem pro virili describendam, quandoquidem ita series historię poscit, Deo auspice, accedemus.

LIBER QVARTVS.



Deam partem historię deuenimus, in qua nobis de Academię Complutensis principiis & institutis, & literatorum hominum subsidiis ad vitam ducendam, est agendum, & etiam de profectibus studiorum, quandiu Ximenius superstes fuit. Ergo postquam ille cardinalitia purpura insignitus, & Inquisitor generalis factus fuit, rex Ferdinandus sub Octobris initium Burgos se contulit: neq; enim reip. negotia patiebantur, amplius eum per vicos ignobiles vagari, & agrę silię, ac parum sibi constanti, cum publico omnium detrimento obtemperare. Regina verò cū id intellexisset, nec quicquā illi repugnandum esse rata, ea tandē conditione annuit, si modò sibi liberum esset, apud Arcos oppidū quindecim stadiis à Burgis distans, cū Philippi coniugis feretro manere: neque enim animo imperare posse, vt eam vrbem rursus inuideret, in qua cōiux sibi dulcissimus fuisset ereptus. Cū rege Burgos Ximenius venit, fuitq; in eius comitatu ad extremū vsq; Augusti mensis insequentis anni. Quo quidē tēpore, rex Petri Aquilarii marchionis Plegiani plectendi causa, quòd regium executorē irreuerenter & indignē tractasset, Cordubā profectus est. Ximenius verò à Cōpluto nūtiū latissimū accepit, scholā suam nō ita pridē à nouis colonis habitari cœptā: exorsumq; Petrū Lermā Burgensem, quem ille Burgis paulò antē ea de causa Complutū miserat, librū Aristotelis de moribus, nō parua scholasticorum frequentia, prout illa tēpora ferebant, interpretari. Quę quidem prima lectio, nō sine felici bene in posterū de moribus Academię sperādi augurio, publicē est habita. Regis igitur absentia peropportunē Ximenius vsus, Complutū Academiā suā visurus venit. Die xxvi. mensis Iulii, Annę Deiparę virginis genitrici sacro, studiosorū iuuenū colonia à Salmantica Complutū Ximenii

nii iussu deducta, diui Ildephonsi ædes faustis auspiciis, in totius Hispaniæ profectum, & cōmodū sempiternū, habitatura iniuit. Eorū verò nomina (neq; enim in obscuro fas est delitecāt, qui tā præclarę rei principiū dederunt) à maioribus hæc fuisse accepimus: Petrus Campus, Michael Carrascus, Fernandus Balbafius, Bartholomæus Castrus, Petrus Sanctacrucius, Antonius Rodericus, Ioānes Fontius. Qui omnes intra ædes Ildephonsi, sub eius diei crepusculū recepti, quas deinceps collegii nomine sumus vocaturi, triclinium escarium ingressi, quod per amplam & satis spatiosam collegii sui maiestatem præ se fert, epulis hilares accubuerunt. Collegiarum numerum triginta tres esse placuit, quibus duodecim sacerdotes, (quos capellanos vocant) sodales dedit. His idem vestitus, habitatio, & mensa cōmunis est: omni reipublicę cura hos liberos esse, nullumq; ius suffragiorum per leges habere cauit: addita insuper causa, quoniam deo dicati essent. Hi sacra singulis diebus in collegio peragunt, Ximenii conditoris, eiusque parentum & cognatorum, atque collegiarum defunctorum manes, perpetuis parentationibus, ita-tis quibusdam diebus, expiantes. Ægrotantium sodalium curam gerunt: pauperibus deputatas sportulas, atq; reliquias epularum diuidunt. Duo ex his, qui capellani maximi vocantur, parochorum ius, ex summi Pontif. auctoritate, in collegas tenent, ceterosq; alios qui collegiū inhabitant. Sunt alia officio & religione plena horum curę cōmissa, quæ in Academię decretis cōtinentur. Vnū tamen dicam lege benignissima à Ximenio prouisum esse: vt scholasticis sacerdotibus, quos inopia rerum necessariorum premit, nō deesset vnde viuerent, sacra pro eius ac piorum defunctorum requie celebrantibus, certi reditus vt deputati essent iussit, vnde illis in singulos dies velut sportulę darentur, ne à suis studiis cessarent. Postridie illius diei, septē illi viri collegiarum primitiæ, peculiari sodalitatē vestitu, qualem nunc videmus, ornati, in publicū prodierūt. Is est talaris amictus, fului coloris, nulla parte ad apertus, nisi quā caput profertur, & brachia per scissuras laterum exeruntur. Est autem quā ceruicem attingit, altiusculus, vt collum vndique vestiat, fibulis quatuor astrictus. Ab humero sinistro dependet vtrinque eiusdem panni & coloris fascia quædam, palmari latitudine, longitudine verò ferē amictum æquat: sed quæ retro proficitur, in multo latius spatium desinit, spira quadam sinuosis plicaturis affuta. Hęc autem est veluti insigne collegii primarij, ceteris enim non licet sic vestiri. Hic ergo amictus adeò collegas condecorat, & speciosos reddit, vt quauis illorum pleriq; satis matura non sint ætate, senatorum personā probè referant, planeq; digni esse iudicentur penes quos reipub. literarię gubernatio sit. Nam horum arbitrio & prouidentia, orbis ille disciplinarum nouis subinde luminibus clarus, perpetuò est circumuertendus. Pridie diuę Annę, qui dies Iacobo apostolo diuo Hispaniarum tutelari sacer est, ab Ildephonsi sacello in Iacobi ædem, quæ tertiam parochiam Compluti constituit, quingentis ferme scholasticis comitantibus (is enim numerus, vt qui adfuerunt sunt testari, ex finitimis locis confluerat) rudi pompa, si ad præsentem maiestatem respiciamus, at prout in illis initiis licuit, satis splendida, ventum fuit. Nam Petrus Lerma, quem Iusti & Pastoris abbatem Ximenius creauerat, & exiguus ille qui tunc erat canonicorum ac ceterorum sacerdotum in eo templo numerus, supplicationem sedulo curauerāt. Nondum in pileis laureatorum, tot versicolores apices præfulgebant, nec sceptrigeri regnum literarium, quale nunc est, ostentabant, & tamen Complutenfes ciues impendiò hilares, faustum sibi diem non cessabant gratulari, ac veluti animo præsentire oppidi sui exorientem felicitatem. Qua de causa Ximenius pietatis & facrorum, in primis cultor religionis, legibus quas inter ceteras scholę suę tulit, in perpetuum cauit, vt eo die singulis annis literaria respub. in eam ædem sacra factura frequens conueniret: ortusque sui ea ratione memor, ad nouam sobolem subinde educendam, & prouentus vberimos præstandos sacri concionatoris voce concitaretur. Vbi priuatim regum Hispaniarū saluem & fortunas, deinde ceterorum quorum protectioni & fidei scholam suam commissam esse voluit, supplicibus votis Deo, & Iacobo Hispaniarum apud calites patrono, cōmendandam demandauit. Statim igitur vt Ferdinandus Burgis discedens, quod circiter idus

Iulias factum fuit, Cordubam est profectus, Ximenius opportunam occasionem nactus, sub Augusti sine Compluti venit: ubi collegii sui reb. consideratis, praclarisq; illis initiis perspectis, quib. ingens studiorum spes ostendebatur: illico viros doctissimos, partim Salmatica, partim Lutetia Parisiorum, quae semper bonarum artium emporium est habita, ad disciplinarum professionem accersendos doctores curauit: idq; tanta sollicitudine & diligentia, ut ante Lucae festum, quod sub idus Octob. celebratur, quodq; singulis annis studiis in Hispania per vniuersas scholas principium dat, oes ferme professores seu regentes (vt ille appellare maluit) conuenerint. Theologiae scholae, quam nominalium eo tempore vocabat, Gonfaluus Aegidium Burgensem praefecit, ingenii peramoeni virum, atq; varia doctrinarum supellectile exornatum: cuius tenacissima memoria adeo admirationi fuit, ut hac vna potissimum re ingentis opinionem doctrinae apud oes comparauerit: quamquam sunt qui mihi retulerint, eam memoriam vim, morbo grauissimo, postquam a Parisiis in patriam rediit, amisisse. Dedit suae memoriae specimen, apud Ximenium, cum Carolo Bouillo Samarobrino non in celebri theologo disputas. Hic. n. cum dictum diui Augustini, in patrocinium suae opinionis citaret, nihil contra se facere Gonfaluus proclamauit: nam praeterquam quod non in eo libro Augustini, quem Bouillus citauerat, ea auctoritas contineretur, multa verba deesse dicto dicebat, quae omnia protinus continuata serie recitans, memoriam aduersario vacillare exprobrauit, quae illi neque librum certum, neque libri caput fideliter suggestisset: Hic ille est, inquit, Bouille, quem tu non ita pridem, bonum in re literaria tyronem, inter iuuenes nostros appellasti. Bouillus ad haec hominis doctrinam & memoriam miratus: non iam (inquit) spei bonae tyronem te Gonfale, sed veteranum doctorem venerabor. Illicoq; ad Ximenium conuersus, multis eum verbis commendauit. Quod gratissimum Ximenio accidisse, vultus & frontis indicio declarauit. Eius aliquot carmina, memoria magis hominum, quam scripto vilo circumferuntur, & acuminis & iudicii plena. Scoti lectioni Clementem, sodalem Franciscanum, virum in illius auctoribus libris versatum, claramq; ex eius Cimmericis tenebris & non contemnendam doctrinam, eruentem. Erat alioqui Clemens impeditioris naturae, carebat enim extemporalis respondendi facultate, & frontis confusionem, rebus praesertim subitis, patiebatur. Quare raro quaesitores illos, quos columnares vocat, admittebat. Nam nonnulli lectione peracta, praceptorum gymnasium theologicum egredientes, & ad columnam quae regione est stantem, vanis nonnunquam interrogationibus, ostentationis potius gratia, quam vilius bonae frugis, impudenter nimis interpellat, & obrundunt. S. Thomae enarrationi, Petrum Siruellum Darocensem, indefessi in studiis laboris hominem, librisq; perpetuo adhaerentem, cuius permulta scripta, quae passim inter philosophiae studiosos publice edita circumferuntur, eius diligentia & eruditionem non vulgarem indicant. Hunc ego puerum octogenarium Compluti vidi, adhuc vigorem suum retinentem: cuius illud dictum in ore omnium tunc habebatur, nunquam a se diem suauis peragi, quam cum populus tauroboliis, aliusve publicis ludis occupatus, eades sibi liberas interuentoribus faciebat: solidus. n. ille dies studiis dabatur. Nam quicquid temporis studiis non impertiebatur, perire existimabat. Penuria auditorum eius gymnasium semper laborabat. Cuius rei causam cum aliquando rogaretur, ad hunc modum (vt aiunt) respondebat: S. Thomae doctrinam incomparabilem quidem esse, profusq; cubicis figuris persimilem, quae vtruncq; iaciuntur firmiter sedent, ceterum cibi solidi instar, nisi lento ventriculi calore percoquatur, nullum est corpori alimentum allatura: Id autem Hispanorum ingenii repugnare, quibus omnis mora molestiam incutit. Logicae, & Philosophiae studiis Michaelis Pardum Burgensem, cuius in ea re eximia diligentia multis exemplis Parisiis innotuerat, quique dum vixit Gallicam illam viuendi libertatem sine vilius querela perpetuo tenuit: Antonium item Moraliu Cordubensem, Ambrosii Morali regii historiographi patrem, qui nunc in iuuentute nobili moderanda valde laudatur, virum tam philosophicis, quam medicis studiis eo tempore celebrem, & cuius opera Ximenius persaepe est usus. Medicorum scholae Tarraconae, & Cartagenae, viros per celebres. Hunc ego Compluti familiariter cognoui, elegantia morum in primis commendabilem, vultusq; quadam hilaritate praeditum, quam mirum animos aegrotantium recreabat: atque ea de causa principibus viris, ad quorum

sum morbos curandos persaepe missus est, valde gratum. Hic dum Veranicam, quod est Vaceorum oppidum, Delphino, & Duci Aureliensi Francisci Gallorum regis filius, qui pro patre captiuo obsides sunt dati, Caroli v. imperatoris iussu, operam medicam praestitit. Graecae linguae Demetrium Cretensem ex Italia accersitum, ac post eum Ferdinandum Nonnium Pintianum: e quorum scholis Franciscus Vergara, Ioannis Vergarae frater, Laurentius Balbus Liliensis prodierunt, viri eruditione & ingenio praestantes, veteribus illis sine iniuria vlla comparandi. Vnum tamen addam, quod Ximenii prudentiam maxime commendat. Nam dum legibus suis (quas constitutiones vocat) singulis professoribus quid agendum praescriberet, cautumq; esset, ut auditoribus deficientibus, stipendia item cathedrarum cessarent, de Graecae linguae praefectura fanciens sic ait: Quoniae Graeca lingua, Latini sermonis, atq; adeo aliarum scientiarum fons & origo est, cuius numerus auditorum, de quorum indole & profectu bene speretur in ea, sufficiens esto. Praeuidet. n. vir prudentissimus, paucissimis semper quibusq;, quorum neque animus ab studio lucris alienus, ad disciplinarum arcana rimanda propius esset, Graecae linguae cognitionem cordi futuram: atq; ita eius curam, & praouidendam rationem, minime quidem quemadmodum in ceteris disciplinis ad auditores, qui perrari & negligentes futuri erant, sed ad Rectoris, & triuuiorum (quos Consiliarios appellat) suffragia, pertinere voluit. Hebraeae linguae Paulum Coronellum, de quo supra diximus, cum de bibliorum excussione tractarem. Rhetorum gymnasio Fernandum Alfonso Ferrarum Talabricensem, hominem ingenio praeditum, & extemporalis facundia praestantem. Ferunt illum arroganti natura praeditum, non dubitasse in omnem messem falcem mittere, de quo re omni literaria iudicium ferre: adeo ut aduersus Aristotelem libellum edere non erubuerit. Fuit quidem ille reprehensus a plerisque Academicis magistris, sed ab Aegidio Gofalo, & Bartholomeo Castro multo acrius, adeo ut senex rubore suffusus, & astuans haeserit. Rhetorum gymnasio hoc privilegium Ximenius dedit, ut semel ad id moderandum assumptus, perpetuum dum vixerit teneat praefecturam, nisi iustae aliquae causae interuenerint, quae illum gymnasio decedere cogat. Nam in aliarum disciplinarum scholis, ut professores officio suo & munere diligentius fungerentur, voluit ut peracto quadriennio exauctorati, rursus discrimine petitionis subirent, nouique iterum candidati haberentur. Prospiciebat enim vir sapiens, annis ingrauescentibus, segetiores mortales natura fieri, & nullare magis in officio perstituros, quam si aemulos paratos viderent, semperq; ancipitis euentus sollicitudine teneretur. Quid tamen secutus, diuersum in Rhetorica fieri voluerit, mihi sane certum non est: nisi forte, quod coniectare licet, homini prudenti & rerum humanarum probe perito, exacte quidem cognitum fuisse, viros excellentes in omni re perrarios semper fuisse, in eloquentia tamen longè rariores. Nam & per paucos eo ingenio esse, qui multiplici disciplinae pares pro rei dignitate sint, & magnam hominum partem lucris cupiditate intransuersum raptam, potius artibus, quam eloquentiae, cuius in praesentia neglectior est usus, operam suam libenter impendere animaduertebat. Iuri civili ne vllus in Academia sua esset locus, lege seuerissima cauit: cur autem id fecerit, statim dicemus. Iuri pontificio interpretando Lorancam quenquam, & Salceum praefecit, homines quidem non admodum celebres, sed qui rudimentis eius facultatis tradendis sufficere poterat: quamquam postea legem de ea re ferens, viros in vtroque iure praestantes ad id munus eligendos esse voluit: ut si quae inter Academicorum patres controuersae, aut potius aduersus rempublicam literariam orirentur, essent in ea iuris periti, qui non tantum professorum munus implerent, sed etiam consulere & patrocinari possent. Libertatis ipsius aliquot in praesentia verba recensere, ut intelligat omnes, quantum Ximenius auersatus fuerit nimiam curam in iure perdiscendo. Nam cum theologiae, & liberalium artium studia suo tempore cotemni videret, cumq; his linguarum cognitionem, haec tria ante alia a iuuentute literarum studiofa, in Academia quam condebat quaeri voluit. Sed audiamus legis verba. Cum duae celeberrimae apud nostros Academiae habeantur, in quibus iuris vtriusque scientia, magno cum fructu, & laude ingenti traditur, iuris civilis peritiae in hoc gymnasio locus non esto. Ius pontificum eo usque tradatur, quatenus eius peritiam ad sacros ordines in hac Toletana dioecesi suscipiendos, nostrae synodales constitutiones necessariae esse cauet. Duo professores sacrorum canonum quam maxime docti & instructi haberi poterunt, in hoc nostro collegio sumto. Sic igitur ille

cum alioqui his disciplinis parū faueret, honestissimam causam prætexuit, quod vnā præterierit, & alterius parū rationē habuerit. Cū aliquādo Ximenius apud eorū gymnasiū qui Philosophiam naturalē profitentur sederet, turbāq; scho-
lasticorū oculis circunlustraret, conspexit fortē pontificii iuris præceptorē cū disci-
pulis lectione peracta egredientē, & altantib. dixisse aiunt, Profectō ex animi mei
sentētia vobiscū actū est. Occupate ergo illa inferiora latibula, vt aliis mihi cario-
ribus disciplinis, hæc splendidiora & illustriora loca relinquatis. In hac autē senten-
tia erat, non quidē contemptu illarū disciplinarū, quas sentiebat esse reip. necessa-
rias, si vitio hominū non corrumpātur. Sed cū vir prudentissimus vtriusq; iuris co-
gnitionē Salmanticæ, & Pintia doceri intelligeret, Theologiam verō iacere, hanc
sibi omnibus modis exornandā, & augendā proposuerat. Singulis professoribus,
eo quē diximus delectu ascitis, necessariū visum est vnū aliquē creare, qui omnes
in officio continere posset. Is autē opibus, & censu non exiguo, vt imperio & maie-
state polleret, indigere videbatur. Quamobrē diu secū Ximenius agitauit, an Sal-
manticensis scholæ exemplo vnū nobilib. adolescentibus, qui studiorum causa
Complutū conuenirent, rectorē constitueret, penes quē senatus cogendi, & sala-
ria professorib. distribuendi, & nouos præceptores in demortuorū locum, aut eo-
rum qui docendi munere functi essent substituendi, ius esset. Præter hunc verō,
etiā magistrum scholarū litib. audiendis, & fontib. puniēdis præficeret. An potius
ē collegis Ildefonsi vnū aliquem vtriq; muneri præficeret, qui annuo tantū tēpore
duraret. Videbat hac forma primariū illud collegiū multū augeri, cōtrā verō si hæc
potentia in partes diuideretur, imbecilliorē & seditioniorē futuram: præterquam
quod iuuenē illū è nobilitate Rectorē probare non poterat, quod pari conditione
oēs in ludo literario se exercētes viuere deberent: cæteris verō imperatorum lon-
gē aliā rationē sequi oporteret, nec fieri posse vt ex æquo cū cæteris ageret. Scho-
larum verō magistrū, siue is esset Iusti & Pastoris scholasticus, minus virium habi-
turū, quā tanto imperio conueniret: est enim Iusti & Pastoris templū longē in-
frā Salmanticensē, si quis reditus & opulentia consideret. His rationib. persuasus,
Ildephonsi collegiū Rectorē, dignum esse existimauit, quē Academia gubernan-
dæ præficeret. Sic. n. & collegiū sui authoritati, & supremæ illi potestati cōsultum
sibi persuasit. Nā cū in singulos annos ingentē pecuniæ summā, in Academia
vñ impendendā, penes se redactā habiturus esset, satis hinc illi neruorū ad tātam
dignitatē tuendam accessurum: & Ildephonsi collegis, quos maximē auctos esse cu-
piebat, authoritatē magnam cōciliari: cū vnus ex eis ad præstantissimā omnium
dignitatē eligendus esset, cui omnes obtemperarent. Dedit tamē illi ex eisdem
collegis annuos triumuiros, quos proprio nomine cōsiliarios appellauit, quorum
solum suffragiis & sententiis, ne semper essent à suis studiis collegæ interpellandi,
pleraq; negotia disponēda foret. Quoties verō aliquid maioris momēti tractandū
incideret, ad collegas referendum esse iussit, de quē omnium sententia decernen-
dum. Quod si id ad totius Academiae vtilitatē attineret, maioribus comitiis agen-
dum esse voluit: & ex omnibus disciplinis eos duntaxat, quibus insigne magisterii
datū esset, ad senatū per apparitores esse cogendos. Fuit hæc ratio satis idonea ad
rektoris magistratū cohonestandum: nam illico magno in pretio haberi cœptus
fuit, atq; æquē cum ipso Ximenio venerari. Nunc verō cū præter sceptrigeros,
lictorē, Quæstorē, & Tabelliones duos, quos illi Ximenius per leges dedit, nouis
subinde rebus in tanta amplitudine emergentibus, multi in dies ministri addārur:
quoties extra collegiū prodire rectori accidit, quod nunquā nisi grauib. de causis
fit, nihil est eius comitatu honestius, aut dignius. Præfectus est primus huic amplif-
simo muneri, anno m. d. viii. sub Lucæ festum (nam eo tēpore ad eum eligēdum,
ex Ximenii lege senatus cogitur) Petrus Cāpus, iuuenis iā tūc magnæ expectatio-
nis atq; ea de causa in collegarū numerū (vt diximus) assumptus. Huic præter inge-
niū, & morū probitatē, species digna imperio contigerat: ea. n. erat oris dignitate,
atq; apta totius corporis habitudine, vt ad sui venerationē facile oēs alliceret. Cō-
stituit etiam ad Parisiensis scholæ exemplum, Academiae Cancellariū, qui hono-
rum titulos (quos vulgō gradus vocant) studiofis tribueret, & simul cum quatuor
viris,

viris, qui examinationi iuuenum in liberalibus disciplinis quotannis præficiuntur,
præfens esset: omnibusq; literariis actibus iure suo interesset. Hunc Abbatem Iusti
& Pastoris perpetuō esse voluit: vt maiori auctoritate munus suum posset obire.
Ad eam rem Petrum Lermam doctorē Parisiensē Ximenius assumpsit, de quo
latius aliās dicemus. Compositis ad hunc modum quæ ad tradendās disciplinas
pertinebant, maximam sibi suæ scholæ partem peractam arbitratur: quoniam
id vnū esse sibi persuaserat, vnde frequentia in primis studiorum expectaretur,
si viri in singulis doctrinis præclari Academiae gymnasia moderarentur. Nec sua
eum opinio fefellit, nam animorum illa contentio, in rerum primordiis semper ex-
ultans, tantopere studiosos accendit, vt breui in tantam frequentiam Complu-
tensis Academia creuerit, quæ illam cæteris Hispaniæ scholis quauis florentis-
mis, æquauerit. Illico enim ex vniuersis Hispaniæ partibus ingens numerus
studentium confluit: & præceptores multitudine incitati nullis laboribus in-
defessi parcebant. Plurimum autem nascenti Academiae profuit benignitas in-
dulgentissimi patroni, non sine summa prudentia. Propositis enim præmiis, &
obseruantia priuilegiorum, præceptores vndeunque alliciebat, & miram scho-
lasticorum copiam. Nam vt conditores nouarum urbium solent securitatem æ-
dificatis asylis promittere, vt ciuium copia non desit: sic qui Academiam con-
struit, indulgentem esse oportet, & in erratis nonnullis conuiuentem. Conue-
niebant per ea tempora Complutum iuuenes ex diuersis locis, qui tam ætatis fer-
uore, quā noua libertatis, & gymnasii assurgentis licentia, veluti puli indomi-
ti, primū in oppidi præfectum, fonte quopiam qui ad suspendium ducebatur
ablato, deinde in regium executorem insultantes, fabro argentario, qui Guadalfa-
jaræ capitale quid commiserat, ex eius manibus per vim erepto. Sed illud fa-
ctum iuuenilitati condonandum, vt risu dignum, Ximenius esse dixit: hoc ve-
rō apud regem alioqui frementem sapienter eleuauit: scholæ id esse ebullientis
spumam dictitans, quæ illico esset feruorem repressura. Erat faber argentarius
arte sua celebris, sacris poculis quæ Ildephonsi facello dabantur necessarius:
vnde Ximenii voluntate magis quā vllō temerario scolarum impetu ser-
uatus à nonnullis dicitur. Ille autem alter, qui iam iam ceruicem laqueo præbe-
bat, voce cuiusdam scholastici fuit ereptus. Nam cū dixisset, quæ est hæc o iu-
uenes studiosi socordia, & animorum deiectio? Vobis ne præsentibus, & maxi-
mè hoc sacro tempore, quod Christi funeri dicatum est, patiemini miseri homi-
nis cadauer pendere? ita sunt animi omnium incitati, vt agmine in præfectum,
lictores, & satellites facto, fontem nihil tale expectantem liberauerint, & ad pro-
ximum diui Francisci cenobium duxerint. Id cū acerbissime oppidi præfectus
ferret: nullamque de illis vindictam posset sumere, nam scholasticorum adole-
scentum multitudo per momenta crescebat: suadente Carolo Mendozio Xime-
nii cubiculario, qui Compluti certis de causis tum temporis agebat, vnus è vin-
ctis vulgo satis notus subito est raptus, & asino impositus publicè verberatus,
præcone proclamante scholasticum illum esse, & plecti ob seditionem paulō
antè factam. Fuisset id priori casu atrocius, nam simul atq; præconem audierunt,
illico iuuenes nihil rationis aut pensi habentes, eum iterū erepturi conuolant, cla-
dem & incendium oppido minitantes, nisi hominē, qui verberatur, agnouissent,
& imposturam sibi factam intellexissent. Quamobrem pacatis animis, risu in tan-
ta turbatione oborto, singuli in sua se tecta receperunt: licet grauitè offensis op-
pidanis, quibus ea iuuenum insolētia, nimis terribilis, & formidanda visa fuit: sed
Carolus Mendozius blanda oratione furentes deliniuit: deq; eare ad Ximenium
scripsit: qui indulgentem patrem imitatus, cū se in eos acerbè vindicaturum
rescripsisset, tamen non longo post tempore Complutum veniens, oppidanorum
prudentia collaudata, qui insanis adolescentibus pro tempore cēfissent, sese pro
illis sponsorem dedit, nihil vnquā tale commissuros: idq; ita quādiu ille vixit, eue-
nit. Florebat quidem his de causis Complurense gymnasium, maximamq; in dies
expectationem dabat, bonas literas in Hispania reuicturas: Ximeniique pectus
gaudium occupabat, cū iuuentutem contemplaretur, à qua veluti felici plan-

tario fecundissima arbores sperabantur, quarum mirabiles fructus breui per totam Hispaniam essent asportandi. Sed ut sunt res humanae instabiles, subito accidit, quod animu Ximenij haud mediocriter afflixit. Na viri illi praestantes, quib. munus docendi datum diximus, partim Ximenij fauore abutentes, partim Salmanticensis academiae pollicitis inuitati (verebantur enim Salmanticenses, ne sua schola non ita floureret, si Complutensis tam insignes haberet professores) salaria sibi maiora dari poscebant. Id cum Ximenius, ad eos prouehendos alioqui munificus, indignum esse & impudens duceret, semper enim vir in promittendo parcus, bene de ipso sperarent edixerat, cepit animo non nihil commoueri. Nulla enim re magis ingenui & liberales viri indignantur, quam suorum diffidentia, quos securos esse iusserant de suo in eos animo & voluntate, nec tamen cessant putide, & inepte, illorum mentem pertentare: suboritur enim fastidium, quod paulatim amorem in odium vertit. Cum itaque praecipuos illi Ximenio displicerent, nondum integro sexennio exacto, omnes certatim, sed alius alio maturius, Compluto profecti, duro nimis & iniquo tempore nascentem scholam deseruerunt. Nam Gonzalus Ferrera Pintianus, alijque nonnulli, inter quos Alphonsus Cordubensis fuit, cuius in artibus liberalibus tradendis non vulgaris diligentia laudabatur, in Salmanticense gymnasiu concessere. Sunt autem illos comitati complures iuuenes ingeniosi, & prouecti disciplinis: sed potissimum Gonfalus, cuius mira erat in docendo dexteritas, & extemporalis facundia: quod acrius Ximenio bilem commouere potuit. Accidit etiam, ut Bartholomaeus Castrus, cuius obiurgationem Ferrera sustinere non potuit, Ximenio propter eius virtutem & doctrinam impense carus, Romam discedere constituerit, spe magnarum rerum concepta, quamuis causam honestiorem obtenderet, linguarum videlicet, & literaturae politioris amorem. Veruntamen cum parum Salmantica Gonfalo arrideret, placidis nondum culta disciplinis, & Alphonsus ob insolentiam scholae Augustini cucullum induisset, Ferrera autem lepra importuna laboraret: Ximenius cum ista rescivit, Genius hic est (inquit) Complutensis academiae, istorum factis in gratiam vlciscens, qui meam liberalitatem & indulgentiam, tam superbis animis, sine vlla causa spreuerunt. Istorum vos casus iam vidistis: at sibi Castrus ut caueat moneo: nam nescio quid sinisterum mihi de eo mens praesagit. Non multis post mensibus ad Ximenium allatum fuit, Bartholomaeum Castrum spe sua frustratum, & vrbis Romae tandem taedio affectum, dum in Hispaniam Ostia soluisset, miserandu naufragium passum. Quod sane indicauit, quae a pontificibus sacris dicuntur, vana non esse. Debilitatus non nihil hoc euentu studentium ardor videbatur: veruntamen aureus ille Maronis ramus, nulli magis quam in gymnasiis disciplinaru nascitur, vereque de eo sapientissimus poeta cecinit: Vno auulso non deficit alter. Protinus. n. post illoru discessum indigenae sunt praecipuos suffecti, alijque deinceps successerunt, quorum opera & eruditione in eam claritatem & gloria Complutensis schola prouecta est, qua nunc videmus. Hoc in loco de Fernado Balbasio, qui sexto rector fuit, pauca dicenda sunt, quonia in eius magistratu nonnulla acciderunt, quae cum Ximenij rebus videntur coniuncta, vercundè tamen & parca: viuit enim adhuc Compluti octogenario maior, viridi tamen & molli senecta, vniuersis literariis honoribus magna cum laude & dignitate functus. A eadem aetate sine vllis senectutis molestiis peruenisse creditur, ob placidam & mitem qua praeditus est naturam. Hunc virum Ximenio carum fuisse permulta ostendunt: nam & opimis sacerdotiis illum honestauit, & postquam studioru suorum curricula peregit, extremis Ximenij temporibus, ad eius familiam accersitus fuit, ut disputationibus theologicis interesset: quas ille post epulas singulis diebus longiuscule, cum delectationis, tum valetudinis causa producebat. Nam homo regis negotiis occupatus, grauissimisque rebus, hac vna duntaxat utebatur animi remissione. A deo enim semper sapientiae studia amauit, ut huiusmodi quaestiones illi essent pro ludo, & relaxatione. Nec his tantum quae publice habebantur contentus fuit, sed ad interius cubiculum horis praesertim nocturnis, priuatas quoque commentationes addebat, viris illis literatis praesentibus, inter quos non ignobili apud Ximenium loco Balbasius est habitus. Is anno

M. D. XIII.

M. D. XIII. in rectoratus dignitatem Michaeli Carraasco successit: quo tempore Ximenius rebus Academiae absoluendis Compluti agens assiduus instabat. Accidit aut, ut Ferdinandus rex ob medicatas epulas, quas ei Germanam reginam, dum prolem discipit, propinasse fama erat, male habens, sub Calend. Ianuarias a Madrido profectus, Compluto iter faceret, in secessus illos amoenissimos Segouianos, vbi se venationibus oblectaret, procul ab aulico strepitu & interpellationibus negotiorum. Gratium id Ximenio & peroptatum accidit. Nam cum Oranicae expeditionis causa non nihil diffidii intercessisset, tam opportuno regis interuentu ad omne genus laetitiae exhibendum sese comparauit. At quid libentius ab eo exhiberetur, quam nouae Academiae, & reipublicae literariae ostentatio? Quae regi peraeque ac Ximenio conditori voluptati futura erat, cum Hispaniam suam schola florentissima adauctam videret, quae Parisiensis gymnasii aemula, illius laudem ad nos esset translatura. Venit igitur in Ildephonsi collegium Ferdinandus, Ximenio latus claudente, vbi magna totius populi literarii laetitia exceptus, singulas scholas diligenter perlustrauit, & professores studiosè audiuit. Sed aedificiorum magnificentiam contemplatus, Ximenio qui prope aderat compellato, Omnia (inquit) mihi mirifice arrident: sed terrena haec structura, operis aternitati, quam aequum est te animo concepisse, parum quidem videtur accommoda. Ad quae Ximenius respondisse fertur: Ita est, o rex, sed huiusmodi esse oportet opus hominis festinantis, & ne morte praecipuetur timentis. At ni mea mihi vaticinia blandiuntur, quam ego terrenam populo huic literarum studio tradado, ipse sibi marmoream conficiet. Neque eum fefellit sua diuination. Nam postea anno XLIII. Io. Turbalanus rector, amplum illum orthographiae prospectum, totamque parietum seriem, quae ab Ildephonsi sacello versus diui Francisci cenobium protenditur, aliquot ex collegis reclamantibus, quibus & immodici sumptus displicebant, & terrena alioqui moles firma adhuc, & diu duratura videbatur, solo nihil cunctatus aequauit: quod rimulas aliquot in tam ingenti aedificio contemplatus, ruinam minari, aut iactauerit, aut pro certo habuerit. Satis constat dum parietes fornacei diruerentur, multa ferrea instrumenta, ob murorum duritiem, penitus confracta, & disrupa fuisse. Coepit illico marmoreum opus assurgere, tam accurata fabricum arte, ut non modò aedes aeternas fecisse videantur, sed vario ornamento & sculptura insignes, & pulcherrimas. Verum est enim quod Pindarus cecinit, operis principio vestibulum quod à longè resplicet, apponendum esse. Interea rector patribus Academiae stipatus, cum è collegio in regis occursum progressus esset, praerentes eius sceptrigeros, rabduchi regii, qui & ipsi scepra gerebant, conspicati, voce intentiori, ut scepra submittant, aut deponant in clamant: neque enim fas esse, ut praesente rege, cuiquam subditorum huiusmodi insignia praerferrentur. At humanissimus rex, nihil ea de re maiestatem suam imminui sentiens, ut solito more procedant iubet: musarum inquiens illas aedes esse, in quibus fas poscebat, ut musarum sacris initiati regnarent. Praclarissimo id sane exemplo factum fuit, non tamen summis principibus inuitato. Nam cum magnus ille Pompeius, vniuersi penè orbis triumphator, aliquando Athenas venisset, atque Posidonium Philosophum doctrinae opinione eo tempore percelebrem inuisere instituisset, neque enim euocare ad se passus fuit, forès de more alicuiore percuti vetuit, & fasces ianuæ submisit, sapientis hominis & eruditi reuerentia. Cum gratias Ximenius Ferdinando regi ageret, pro tam humana erga suam scholam comitate, honorificentiae & splendoris plena: Rector ad regis genua iam procumbens, manus osculandas suppliciter petebat, & libenter à rege exceptus, cum aliquid ab eo rogandus videretur, occasionem Rectorem suum honorandi Ximenius nactus, minimè eam auolare sineas, sic regi dixisse ferunt: Ni tibi, o rex, molestum est futurum, edisserat rector tua in praesentia, quae me absente in Academia gesta sunt: & tibi breuiter seriem studiorum recenscat, omnemque aliam huius suae reipublicae rationem: mihi enim in res diuersas & multas distracto, minus ad id praestandum facultatis aut memoriae est. Placuit regi humanissimo, ut rector medius incederet, sic enim melius quae veller referre, vterque erat

I

intellecturus. Narrauit ille disertè, quæ ad illud tempus pertinere putauit, factis nonnullis in ambulatione spatii ad prima ferme noctis lumina: vnde occasio rixæ inter scholasticos adulescentes, & regio pueros data est. Nam iam vesperascente, pueri regis cum facibus adesse iubentur, qui vt sunt mirè petulantes, ceperunt acriter scholasticos iuuenes diceris impetere, & cauillis mordere: scholastici verò nec puerorum nobilitate, nec quòd in regia essent familia retardati, totidem regerunt conuicia. Paulatim denique ad manus ventum est: & illis scholasticorum facies facibus vltantibus, his verò fustibus & saxis se vlciscenribus, tantus excitatus est tumultus, & clamor, vt necesse fuerit rem omnem regi aperire. Qui quanuis ad animi motus compescendos, & dissimulandos, mirè erat compositus, non potuit indignationem reprimere. Et ad Ximenium conuersus, hæc sunt (inquit) præmia meæ semper lenitatis. Nam si isti tui scholastici, cum primum in regio ministeros irreuerenter se gesserunt, fuissent vt merebantur multati, non peruenissent ad tantam impudentiam, vt me præfente, in meam familiam tam procaciter irruerent. Dum hæc à rege indignante dicebantur, patribus aliquot literariis curantibus, tumultus ille sedatus fuerat, sed potissimum Bernardini comitis Cluniensis opera. Is enim scholasticis acriter increpatis, & aulicis pueris blâdè demulsis, qua erat inter vtrosque authoritate, facile iras conceptas delinuit: cunctisque studiosis hominibus, non sine magna voluptate, illius viri pietate grauis imaginem retulit, qui apud nobilem poetam, vulgi sæuentis animos dictis regere dicitur. At Ximenius dolentis vultum præferens, Inest (inquit) ô rex, & formicæ sua bilis: nemo est tam deiecto animo qui se vlcisci, nedum defendere non conetur: sed videt tua maiestas vt subito omnis tumultus est compressus voce viri vnus: Repressit animum rex, & subdolens quòd puerorum rixa esset commotus, ad hilariore sermones se conuertit: & Academiæ magnificentia, & disciplinarum exercitiis collaudatis, in regiam se recepit. His ipsis diebus, Antonius Nebriffensis Salmanticensis scholæ odio, ad Ximenium quem olim deseruerat, vtro tanquam ad portum rediit, vt in Compl. Academiæ gremio, sine vllò tempestatis metu, quodcumque qui superesset conuiesceret. Fuerat ad Salmanticensem scholam vocatus, ob mortem cuiusdam Petri Titonis, qui primariam grammaticæ cathedram, vt vocant, habuerat. Dignum sua eruditione esse putauit Nebriffensis, in luce illius perantiquæ Academiæ versari, & senectuti suæ consulere, amplissimo & perpetuo stipendio suscepto: nec enim dubitabat, quin in sua arte cæteris omnibus esset præferendus. Sed rem longè aliter euenisse sensit: nam cum duos haberet competitores, Ferreram senem, cuius à nobis facta est mentio, & Castellum, qui Ferreræ in eruditione nullo modo erat comparandus, nedum Nebriffensi, vtrunque tamen hic longo suffragiorum interuallo superauit. Ergo Helena, quam tres ambiebant, Castello cessit: siue is muneribus, siue pollicitationibus, siue aliis artibus puerorum animos, quorum suffragiis statur, deceperit. Impatientissimè hanc repulsam Nebriffensis ferens, ad Ximenium venit, & patronum optimum appellauit: sibi deliberatum esse dicens, nunquam à Compluto pedem discedere, quod & præstitit: ibi enim obiit ingenti omnium mœrore, & honorifice sepultus est. Excepit illum Ximenius perhumaniter, & quinquaginta nūmūm millia, & quadringentos frumenti modios stipendii loco in singulos annos constituit: quod tūc habitum est amplissimum. Meruerat id, & multo maiora hominis eruditio, cui Hispania debet, quicquid habet bonarum literarum. Ergo quanuis à Ximenio rogaretur vt sibi parceret, genioque suo indulgeret, post tot in literarum studiis & peregrinationibus labores, non ideo optimus senex à publica bonorū authorum interpretatione cessauit, summa semper auditorum frequentia stipatus. Itaque ab eo tempore Ximenius tantum honoris Nebriffensi habuit, vt semper illum honorifice appellauerit, & ad se venientem nunquam non exceperit vultu hilari: & quoties ab ædibus suis in collegium veniebat, ad officinam excusoriam, prope quam Nebriffensis habitabat, iter consultò flecebat, & cum eo è fenestra prospectante, longos interdum sermones habebat, vel de rebus quas interlegendum assequi nō potuerat, vel de negotiis Academiæ. Sed hoc prætereundum non

non videtur, displicuisse Nebriffensi locum quem Academiæ Ximenius quæsiuisset, idque duplici nomine: & quòd insalubris ob vicinitatem fluminis & planitiem arcuosam esset (neque enim probabat Platonis consilium, quo Academiæ lyceo præferretur) & quòd ad ditionem pertinebat Pontificum Toletanorum, quibus cum assidua essent futuræ lites, & de iurisdictione, & de tribuendis beneficiis templi Iusti & Pastoris. His de rebus sub Epiphaniæ diem cum Ximenio per occasionem egisse aiunt: est enim solenne tunc principes viros domi suæ salutare, & boni ominis causa, scilicet illis annum nouum optare: quod clientum præcipue officium est erga patronos. Nam cum quæreret à Nebriffense, quid sibi de nascente Academiæ videretur, amplissimam & præclaram esse retulit. Sed duo illa quæ dixit desiderare, locum scilicet corporibus salubriorem, & ex patrimonio Ximenii, vt ad eius hæredes transfret. Commotum fuisse Ximenium his dictis constat: sed cum totam secum rem, demisso, vt solebat, vultu considerasset, hoc tantum respondit: Ego, ô bone, hæc quæ vides fundamenta ieci, & curauit quantum humana ratione caueri potest, vt sint perpetua, reliquum est vt Deus optimus maximus incrementum addat, & rem suam tueatur: vana enim est hominum ædificatio, & sollicitudo, ni Deus auspex & custos fuerit. Solebant quotannis maiores nostri oratione funebri, & publicis Academiæ exequiis, Nebriffensi, tanquam homini de vniuersa republica benemerito parentare, sed quoniam id negligentia obsoleuerat, anno M. D. LXXII. per rectorem Didacum Lopidem Ocannensem ex patrum consensu decretum est, vt id deinceps instituto olim die instauraretur, venientibus in Ildephonsi ædem cunctis Academiæ patribus, & studiosa literarum iuuentute. Qui verò secus fecissent, iurifurandi violati, quod de rectori obediendo datur, tenerentur. Ergo postquam duo illi viri sunt à Ximenio constituti, Rector scilicet & Cancellarius, principes Academiæ, penes quos rerum summa esset, illum annua potestate, hunc perpetua: videbat, hos satis esse eius opinioni facturos, si suo quisque munere fungeretur. Animaduertebat etiam præceptorum diligentiam, & industriam, ex auditorum frequentia constare. Igitur ad iuuentutis in disciplinis incrementum, & ne copia alimentorum destitueretur, præclaram rationem excogitauit, quinque tum temporis collegiis institutis, quibus pauperes adulescentes, alii triennio, alii quadriennio alerentur. Nam cum multi ingenio, & natura ad disciplinas apto, priuatarum facultatum inopia, indolem illam, quæ ad virtutis culmen euehere posset, vilibus & nunquam sordidis ministeriis, necessitate, grauissimo dæmone, cogente addicerent: ne id accideret, quinque contubernia parari iussit, in quibus qui rectoris & triumuirorum suffragiis comprobati essent, tempus vnicuique designatum diuerfarentur. Ædes igitur per amplæ ex ædificatæ sunt, quarum singulæ peculiari alicuius diuinitatē sunt dicatæ, à quo & nomen acceperunt. Grammaticorum schola binas suscepit, alteras diuo Eugenio, primo Toletanorum antistiti consecratas, alteras diuo Isidoro Hispanorum indigenæ, ex Gotthico sanguine, cuius admirabilis doctrina multis in rebus rempublicam iuuit. Nam vt concilia in Hispania celebrarentur curauit, & libros complures summa doctrina & religione scripsit. Harum ædium singulis, virum moribus & doctrina præstantem præfecit: qui ternos grammaticæ præceptores, ad puerorum institutionem per classes suas distinctos, conducit. Horum primus rudimentis tradendis, alter prouentioribus instituendis, tertius vtrosque supergressis, ad elegantiore rationem, priusquam ad alias disciplinas discedant, formandis, omni cura & vigilantia intendit. Eosdem Latinæ linguæ authores, in vtroque Grammaticorum collegio, sex illi doctores publicè interpretantur: partim vt ipsi mutua emulatione excitentur, partim vt discipuli de eisdem sententiis inter se agere possint, & animaduertant an sui præceptores idem senserint. Hac collatione & ingenia exercentur, & videntur singuli binos audiisse magistros, & in re maximè necessaria & perdifficili, si quis rem vt par est consideret, non inutiles profectus faciunt. In his collegiis quadraginta duo adulescentes, ex aliorum numero desumpti, triennio aluntur: qui sæpenumero ab initiis illis, ad contubernia reliqua per gradus

promoti, victa egestate, in viros magnos & præclaros euaserunt. Horum præceptores, xv. quoque die, vicissim tribus discipulis suorum magistrorum de rebus Grammaticis sententias defendentibus, aduersariis contra impugnantibus, in gymnasio quod maius ob capacitate vocant, conueniunt: vbi multæ eius disciplinæ difficultates enodantur, puerique ex mutua contentione non mediocriter iuuantur. Quoniam verò ad cæterarum disciplinarum cognitionem, permultum interest bene pueros in Grammaticis institui: nullaque maior studiorum pernicies sit, quàm si ignorantis linguæ Latinæ fundamētis, conetur quis cæteras disciplinas superstruere, quæ Latinè traditæ sunt ab authoribus: hac quoque in parte sapientissimus Academiae conditor, curauit vt caueretur. Nam horum collegiorum præfectis, quoties adolescentibus ab vna grammaticæ classe ad aliam transeundum esset, quantum in grammaticis rudimentis proficissent explorare iussit: animosque eorum non mediocri religione obstrinxit, ne immeritis & parum prouectis, ad maiora progredi concederent. Quod si ad alias disciplinas concendendum foret, rectori de examinatore creando curam dedit. Huic muneri, Francisco Fontinouilla rectore, anno xlii. ab Academia condita, Alfonso Matamoros Hispalensis, primum est præfectus, vir multiplici eruditione, & Latini sermonis puritate excellens vt ex libris quos hætenus edidit, omnes intelligit. Hic vnus, nisi cum podagra, aliisque morbis assidue luctaretur, potuit & eloquentiæ studia mirum in modum prouehere, & Academiae nostræ multo maiori esse ornamento. Dialecticæ & philosophiæ studiis, binæ itidem ædes contributæ sunt: altere diuæ Balbinæ dedicatæ, cuius titulus Ximeno cardinali factus datus fuit: hæc quadragenos octonos singulis quibusque annis recipiebant, qui dialecticæ primo anno rudimentis, secundo Aristotelicis de eare libris, ingenti præceptorum labore, assiduis exercitationibus, per pugnas literarias instituerentur. Alteræ sub diuæ Catherine titulo, ad quas tertio quoque anno è diuæ Balbinæ collegio qui commigrabant, naturalibus & sapientiæ, quæ postnaturalem philosophiam appellat, traditionibus, pari cura per biennium instruebantur: hi metaphisici, illi verò phisici in Ximenii legibus vocantur. Sed in Balbinæ collegio viginti illi quatuor, qui Aristotelis dialecticæ operam dabat, alios qui rudimentis vacabant, anno antecederent: quo temporis spatio, & in Catherine metaphisici, phisicos præcurrebant. Hac de causa priores illi, vt iam veterani, in secundis vt tyrones imperium exercebant: nec ob hoc vlla à principio discordia exorta est. Atque ita continua quadam conuersione illis abeuntibus, noui succedunt: quod de pyris hortorum Alcinoi Homerus dixit. Nam quadriennio integro peracto, quod semper in continuo cursu est, ad novos præceptores stipendia cathedratarum quotannis redeunt. Perpetuo sub Lucæ festum duo præceptores deliguntur, qui toto quadriennio in philosophica schola insudent. Hac nimirum ratione efficitur, vt octo doctores in eadem semper area versentur, qui logices rudimenta, aut Aristotelis de eadem arte institutiones, aut libros de phisico auditu, cæteraque ad naturalem philosophiam spectantia, aut primam philosophiam, quam sapientiam vocat, incredibilem æmulatione docent. Sic autem octo, quos diximus, doctores distribuuntur, vt singulis quas numeramus disciplinis, bini contribuatur: quos (vt dixi) regentes appellat. Singuli duodecim adolescentibus ex auditoribus, fortiuntur, qui ad has sodalitates, de quibus diximus, pauperatis causa suscipiuntur. Hi suis periculis confectis, primo baccalaureatus, deinde licentiæ titulis donantur: & postremo ad quadriennium finem magistrali stuculo (ea est merces laborum) insigniuntur. Congrediuntur etiam horum præceptores, quindenis, vt grammatici, quibusque Saturni diebus, ad sua placita studiosè tuenda. Ne quid verò otiosum habeatur, proximis post præceptorum congressum sabbathis, Academia spectante, præceptoribusque, ipsi sunt tota moderantibus, discipuli quoque de eisdem disputant. Tamen ad illas, quæ ad has disputationes frequentissima conuenit Academia: semperque rector, & cancellarius, nisi quidpiam magni momenti impediatur, præsentia sua disputantium ingenia excitant, & spectaculum dignius esse faciunt. Edificata est & domus alia, titulo matris Dei, vbi ægrotantes scholastici curentur: sed angustior facta est architectorum negligentia, cum Ximenius vt laxitate cæteras domos superaret inuisisset. Culpabat enim quod in nosocomis vulgò fit: nam eodem in cubiculo multi diuersis morbis affecti, & plerumque contagiosis iacent: quos noxiis vaporibus, vicissim infici,

infici, & mutuis gemitibus affligi, & vicinorum morte consternari dicebat: quare de secunda construenda cogitauit. Fuit ea domus peropportuna occasio, vt theologicum sodalium de quo iam Ximenius sermonem fecerat, felicibus auspiciis institueretur. Nam cum Ildephonsi ædes Theologis hominibus parata esset, iisque simul reip. literariæ cura demandaretur, necessarium esse videbatur, collegium aliud à reliquis separatim constituere, vbi aliquot iuuenes studiosi, ab omni cura vacui, Theologiæ perdiscendæ liberius attenderent, indeque in Ildephonsi commigrarent. Interea tamen dum id efficiebatur, nonnulli ad eam rem delecti sunt, qui per aliorum contubernia hospites sine certis laribus alebantur: donec sexto ab Academia condita anno, Fernandus Balbasio rectore, hanc de qua diximus matris Dei domum, viginti quatuor sodales sunt translati, quorum decem & octo Theologiæ, reliqui sex medicinæ vacarent. Hoc genio adeo felici factum fuit, adeoque in ea duarum præclarissimarum disciplinarum studia egregiè tractantur, vt singulis quibusque quadrienniis (nam id tempus ad commorandum datur) veluti quædam exactissima officina, bonos artifices educat, qui partim in Ildephonsi collegium suscepti, partim ad alias scholas, aut ad principes viros vocati, magno cum aliorum fructu doctrinæ suæ documenta proferant. Hic legulatoris prudentia, antequam ad alia prætereo, notanda est: qui cum in eo collegio veluti ludum quendam institueret, in quo Theologiæ & Medicinæ studia per gnauos athletas, huic rei duntaxat destinatos, exercebantur: neminem ad id admittendum cauit, qui ad licentiatum (vt vocant) gradum, in liberalibus disciplinis non peruenisset: cum alioqui vel mediocriter in dialectica instructum in Ildephonsi suscipi permiserit. Satis enim sua amplitudine hæc esse tutam vir prudens præuiderat: aut certe in tanta illius collegii maiestate, nouis subinde negotiis emergentibus, nonnullos requiri, qui non tam literarum præsidio, quam rerum agendarum dexteritate pollerent. Posterius tamen, quos longa rerum experientia quid sit factum conducibilis docuit, neminem ad Ildephonsi admittit, nisi probe in Theologicis versatum, aut qui publice aliquam eius disciplinæ peritiam exhibuerit. Ne quid tamen Ximenius vir officii plenus videretur prætermisisse, Franciscani ordinis, cuius ipse olim instituto sese addixerat, inter hæc quoque ratione habita: intra collegium Ildephonsi, dignitatis ergo, loco peraccommodo, & ab habitatione collegiarum diuiso, ædes alias ædificandas curauit, vbi tredecim monachis, duobusque eiusdem sodalitates ministris, victui necessaria, prout in lege de hac re data habetur, suppeditatur: qui ordinis sui multis exoluti laboriosis præceptis, vniliterarum studio vacat. Dedit Ximenius in ea lege pietatis suæ egregium testimonium. Nam quoniam (inquit) huius religiosi collegii condendi consilium ea de causa à me susceptum est, ne diuini Francisci in hoc oppido cœnobiū Academia occasione, ita magistris prouincialibus iubentibus, scholasticos sodales habere cogatur, qui nimirum literariis exercitiis monasterii silentium & tranquillitatem inturbent: si quando in eo ultra duos vel tres qui grammaticam discant, versari cõtigerit, tunc tredecim illi è collegio pellantur: ac eorum loco laici sacerdotes per rectorem & collegas sufficiantur. At Academia in amplitudinem, quam nunc habet, crescente, ea legis pars miriori sententia correctæ fuit. Nam ingens numerus monachorum literarum gratia ex vniuersa Hispania in cœnobiū recipitur. Credibile enim est, Deo esse pergratum, in utroque hominum religiosorum cœtu sapientiam vnam cum pietate exerceri. Huic de quo diximus Franciscanorum sodalium, Apostolorum Petri & Pauli titulum ob eam rationem dedit, quoniam vt ex Arteage epistolis, qui Ximenius procurator apud summum Pont. fuit, constat, eo tempore quo Leo x. Pont. Max. xxxi. Cardinales creauit, consilium Ximeno fuit de S. Balbinæ titulo mutado, proque eo basilicæ Apostolorum Petri & Pauli intra urbem assumendo: & quod is titulus summi honoris in urbe esse soleat, & quod ea basilica cœnobiū Franciscanorum, religione & dignitate præclarum esset. Is autem titulus anno eius seculi xvii. mense Iunio, in eo senatu, quo Cardinales sunt creati, per Sum. Pont. Ximeno concessus fuit. Sed Arteaga, quod nihil certi de Ximenii sententia super ea re haberet, nihil voluit inconsulto patrono constituit. Quamobrem Pont. Max. proximo senatu eum honorem Cardinali Columnæ contulit: affirmabat enim, suo Ximenium contentum esse. Ximenius tamen ea de re ab Arteaga certior factus, se libenter admittere respondit, dum putat adhuc rem esse integram. Ob hoc ergo, illius basilicæ titulum Franciscanorum

collegio, quemadmodum dialecticorum Balbinæ, tribuit. Cùm post aliquot dies Arteaga Ximenii voluntate cognita, titulum basilicæ apud Pontif. Max. postularet, magistrum cæremoniarum adire iussus, libro in quo tituli Cardinalium prænotantur, producto, Cardinali Columnæ fuisse datum inuenit. Quare multum ob id cum magistro cæremoniarum exoptulans, tandem re infecta domum abiit: adeo semper rebus paratis dilatio noxia fuit. Horum contuberniorum cura, rectori & triumuiris est commissa: neque aliorum quàm ipsorum suffragiis, ad sodalitates iura candidati admittuntur, præter nonnullos, qui patronorum Academiae voluntate assumi debent, aut certorum hominum, aut ciuitatum, quibus Ximenius, utpote sibi caris, aut propinquis eam facultatem dedit. Sux verò Academiae patronos & vindices, quorum fauorem in rebus arctis & difficilibus Complutense gymnasium imploraret, quinque potissimum esse voluit, Hispaniarum regem, sanctæ Balbinæ Cardinalem, Archiepiscopum Toletanum, Infantatus ducem, & Cluniensem comitem. Ratio autem satis constat, cur quos retulimus patronos nominauerit. Nam reges semper oportet propitios habere: Toletanum verò Archiepiscopum, quod Complutū eius esset ditionis, & plurimum posset Academiam iuuare si literas amaret: iam verò de Academia esse sciebat, habere Romæ protectore, qui apud Pontificem Maximum, si quādo vsus postulasset, eius causam ageret, & simul titulum quem gesserat, quodammodo illustrare voluit: Mendozios verò tam ducem, quam comitem, partim quia ob vicinitatem præsto esse poterant Academiae laboranti, partim ob affinitatem cum ea familia contractam. Factum est ergo tot collegiorum ædificatione, ut eorum veluti esca adulescentes studiosi illecti, frequentes in Academiam vndecunque confluerent: nam vnius præbendæ (ut vulgo appellatur) causa, quadraginta aut amplius scholastici conueniunt. Idcirco cum eam peropportuna esse occasionem Ximenius videret, ad continuum incrementum & frequentiam suæ Academiae, vir prudentissimus ita ad verbum in lege de collegiis præcepit. At si tantum incrementi Academiae reditus susceperint, quod præter has sodalitates, alia adhuc collegia extrui possint, possessiones & census emanent, atque ad studiosos iuuenes alendos, citra vllum præfinitum numerum nouæ ædes perpetuò instituantur. Hisce igitur collegiis institutis, vnde veluti per gradus, ad Ildephonsi ascenditur, nouisq; subinde columnis, sine vlllo vnquam ruinæ metu, Academia fulcitur: præter assidua exercitamenta, quæ pro cuiusq; disciplinæ ratione inter ipsos sodales habenda legibus super eare latis sancita sunt, collationem titulorum (quos gradus appellant) Parisiensis Academiae exemplo faciendâ esse, duabus legibus, quæ de licentiis vocantur, sancit. Nam cum apud omnes Academias, quæ sapientum virorum consilio conditæ sunt, post absolutos labores, qui in disciplinis percipiendis tolerantur, tituli quidam honorum propositi sint, quibus veluti mercede & præmio studiosi iuuenes condecorati, maiorem auctoritatem & celebrius nomen assequantur: Parisiensis scholæ conditores æmulationem Hesiodicam probantes, in tribus potissimum disciplinis, quæ magis difficiles & necessariae videbantur, Philosophia, Medicina & Theologia, non quidem peracta doctrinarum curricula, quæ singulis disciplinis absoluendis proposita sunt, sed vniuscuiusque viri laborem & industriam contemplandam esse censuerunt. Proinde in liberalibus disciplinis, vno duntaxat confecto lustro, eiusdem classis adolescentes per viros doctissimos examinantur, & catalogus quidam pro cuiusque peritia conscribitur, omnium, qui ad eam rem nomina sua dederunt. Exploratione autem peracta, Academiae patribus, cæteraquæ iuuentute præsentibus, graui præconis voce, suspensis accentibus catalogus quem dixi recitatur. In Theologia id ipsum, sed grauius & accuratius fit, & non nisi duobus lustris peractis, in quorum secundo diuersis actibus (quos vocant) & conflictibus Theologicis miles publicè examinatur. Ergo adeo variis quæstionibus quas Theologi patres ex lege proponunt, pertentatur, ut necesse sanè sit doctrinam non vulgarem sibi comparauerit, si aptè respondere velit, dignusque tandem illo ordine censerit, quo nihil habet Hispania nostra grauius. Sed cum omnes hi actus, sint ei qui

pa-

patrum iudicium subit pertimescendi, illa certè actio, quæ à collegii appellatione Alphoncina dicitur, ut Parisiis Sorbonica, longo interuallo cæteras vincit. Nam secundo quoque sub extremum Aprilem anno, ab hora ferme diei secunda, vsque ad vndecimam protenditur. In hac qui sui periculum ut fiat poscit, longa quadam commentatione, eaquæ, prout quisque valet, eruditissima, placita sua antiquorum patrum testimoniis confirmat, multa etiam ex recentioribus adducit, si qui de illis quæ tractat scripserunt. Ingens silentium, & animorum intentio est, ad eum audiendum, donec finem dicendi facit. Ergo cum satis sibi visus est dixisse, difficiles quæstiones contentione acerrima explicantur: prorsusq; iuxta Menandri dictum, dies ille vel calumniam, vel gloriam respondentem parit. Liberi prorsus fiunt ab arena literarum athletæ Theologi vltimo secundi lustri anno, Calendis Nouembribus. Statim sub eiusdem mensis idus, nisi causa aliqua grauior retardet, in teatro congregantur: sic enim vocant locum in Academia capacissimum, quadrata figura, multis vndique septus gradibus, tecto laqueato à cæli iniuriis tutum, multis tamen à superiore parte fenestris lucem admittentibus, per quas etiam prospicere licet, quæ in teatro geruntur. Nam & comœdiæ ibi recitantur, & orationes habentur, quæ frequentiam auditorum desiderant. Ergo ad hos in teatro (ut dixi) congregatos nuntius cancellarius mittit, qui longa & eleganti oratione, comitiarum diem, in quo licentiæ, ut vocant, gradum, ad Theologicum apicem obtinendum prope adesse nuntiat: atque de Theologiae, deque competitorum laudibus oratione habita, epistolium singulis porrigit. Illi vicissim respondent, labores suos & vigilias enarrantes. Res est cum primis spectaculo digna, magnoque vtrinque apparatu agitur: nam & nuntius scenici viatoris habitu, tubis hinc inde raurum incinentibus, à cancellarii domo in theatrum iter facit, cuius gradus omnes à confessoribus iam sunt occupati. In eius medio orchestra erecta est, vbi competitorum stantes visuntur, causam suam studiosè acturi. Postridie eius diei, totius Academiae concursu, in ecclesiam Iusti & Pastoris conuenientes, illam præconis vocem inter spem & metum constituti, expectant. Nam rector & cancellarius, Theologicæ patres in secretiorem locum magna religione ingrediuntur, ut iudicium de competitoribus ferant. Ingens est interea populi studiosi sollicitudo: nam prout quisque huic, aut illi fauet, ita varii rumores sparguntur: & quod nostri homines repulsam impatientius ferunt, eò acrius studiis diuersis incenduntur. Progreditur tandem ordine amplissimo Theologicus senatus, & post omnes cum rectore cancellarius, in manu catalogum coronandorum tenens. Prænotantur singuli progredientium vultus, vnde sæpe euentus diuinatur. Sed nonnunquam per arcanos amicorum nutus, competitorum suam sortem intelligunt, & magnam sollicitudinis partem deponunt. Hic rursus animi omnium eriguntur, competitorumque ipsi pallentibus genis in geniorum iudicium, in quo qui velit cedere rarus esse fertur, tremebundi auscultant. Facto itaque per præconem silentio, animis ambientium, oratiuncula per cancellarium de more confirmatis, fusca voce, & trepidanti sono, catalogi seriem inclamare præco incipit: Sequitur ordo licentiandorum, in sacra Theologiae facultate, & cætera quæ in eo decreto conceptis verbis, donec ad feriem ipsam deueniatur, dicuntur. Tubæ interim classicum canunt, totisque locus terrore plenus, præsentium animis stuporem incutit, mireque iuuenum mentes inflammat, ad similes honores cum dignitate & gloria consecandos. Ita quoque alternis annis & medici faciunt: sed eorum schola tam numero candidatorum, quàm pompæ maiestate & apparatu, à sacro Theologiae gymnasio, ut æquum est, vincitur. Iam statim ab ipsis Academiae primordiis magnum quoddam odiorum seminarium, promptamque seditionibus materiam, eum ordinem titulorum fore apparuit. Nam cum Ximenius sexto ab Academia condita anno, in dies magis ac magis numero scholasticorum crescente, primum Theologorum catalogum recitare iussisset, volens sua præsentia rem grauiissimam condecorare, & simul animos studioforum iuuenum accen-

I iij

dere, conuocatis ad se competitoribus, qui nouem tunc fuisse feruntur, in templum Iusti & Pastoris, promiscua scholasticorum & indigenarum multitudine, quæ ad noui spectaculū frequentissima cōuenerat, processit. Medius inter rectore & cancellariū Antistes sedit. Duo è regione subsellia candidatis erāt posita: è quorū posteriore in anterius, quod prope aderat, iuxta feriē à præcone pronunciantidā sedendū illis erat: qui mos in hūc vsq; diem durat. Cōtingit aut̄ plerunq; ut qui studiū antiquioris causā, in posteriori scamno primariū locū occupat, in anteriori postremus sedeat: quod grauissimū ignominie & de decoris genus inter scholasticos habetur. Ille ergo cui hoc accidit, pudore victus, lucē & hominū conspectū vitat, donec paulatim dolor euaneſcit, dieiq; illius obliuio subrepat. Erat tunc cōpetitorib. Ximenii præsentia, non minus dignitatis quā formidinis & anxietatis causa. Nec. n. solū honoris certamē, sed præmiorū & diuitiarū erat: quoniā res apud patronū gerebatur, à quo singulorū fortunę pendebāt. Primus ergo omnium applausu, Ferdinandus Balbasius vocatus est: qui etſi rectoratus præclare ante annū gesti, aliarumq; rerū ratione innotuerat, eo testimonio egregiē cōmendatus, illā auctoritatē quā supra diximus, apud Ximeniū quoad vixit retinuit. Viuit adhuc optimus senex, Academiamq; nostrā venerandis canis illustrat. Mihi certē ad has cōmentationes ex dignitate absolueudas, Dei singulari beneficio ad hunc vsq; diem seruatus videtur. Erat igitur inter cōpetitores quidā Valladarius, vir nō contēendus, & sacri sermonis egregius ecclesiastes, qui cū tardius quā pro eius opinione ad anterior subsellii vocaretur (octauus. n. appellatus esse fertur) adeo grauius morā illā tulit, ut totius corporis conuulsionē ex cōcepto timore sit passus, & tandē ad sedē designatā occupandā surgens, madidū locum multa vrina reliquerit. Notauit Ximenius rē omnē, & inde digressus cū Theologis patrib. egisse fertur de abrogāda illius iudicii ſeueritate, aut in leniorē formā transferenda: variis sententiis eorum quos ad rē differendā adhibuerat dictis, oēs ferē nō esse mutandū iudicii ordinem sentiebāt. Vnus Ximenius mitius esse omnino agendū putabat, & hanc sententiā dedit. Si duo (inquit) cōpetitores duntaxat fuerint, ad secretā illā curiam, vbi patres Theologi cōgregantur vocati, iudicū sententiā auscultent, publicē tamē simul appellentur: si verō tres, publicē quidē primus vocetur, reliquis duob. simul appellatis: atq; ita pro numeri ratione, paucis aliquot per feriē vocatis, reliqui adesse promiscuē iubeātur. Vicit tūc Ximenii auctoritas, negotiūq; Ioanni Raedo canonico Toletano cōmendatur, qui vnus ex iudicib. causarū pontificaliū erat, quos vulgō Rotæ auditores vocāt: sed morbo ex quo periit occupatus, cū nihil super ea reagere potuisset, Ximenio interea persuasum fuit, maximū momentum ad excitandos iuuenū animos, in ea ferie esse, & nō sine graui studiorū iactura in aliā faciem aliquando mutandā. Itaq; prudēs Antistes aliorū consiliū suo prætulit. Valladario tamē in cōtumeliæ susceptæ solatiū, opimū sacerdotiū benignissimē donauit. Fuisse ea Ximenii sententiā proculdubio aptissimū remediū ad molē discordiarum euiandā, quam postea nō sine Academia detrimento sæpe sumus experti. Tot ergo collegiis ædificatis, & tot incitamentis studiorū propofitis, nihil iā ad lætissimā ex Academia messem, vberesq; fructus reportādos deesse videbatur. At Ximenius omnib. animatibus natura inſitū animaduertebat, ut de reb. ad viuendū necessariis cura quadā peculiari teneantur, quæ multo acrior humanis mētib. innascitur. Homines, n. nō solū præsentē victū curant, sed de futura senectute solliciti sunt: Ne igitur qui literarū studia ſectātur, hac cura de victu parādo afflictī, minus disciplinis vacarēt: attētius cogitare cepit, quā ratione studiorū animis tā graue sollicitudinē eximeret. Cū ergo suā Academiā ex viris theologis potissimū cōstare animaduerteret, quorū studia sunt magis ad pietatē & verā sapientiam, quā ad vllū lucrum intenta: nā ut Dionysius Vasquius dicere solebat, sacrilegio proximū est ex theologia opes expectare: nō cessabat Ximenius hac de re inter familiares agere. Accidit verō ut cū Adriano Florentio Traicēnsi, qui postea Pontif. Max. creatus fuit, loqueretur, incidere mētio de Academia Cōplutensi, & se Ximenius prandium quidem parasse satis opiparum suis conuiuiis dixit, nō tamen hætenus affectum quemadmodum illis cœnam etiam daret. Quæ fuit Adrianus quid per cœnam

cœnam intelligeret: cui Ximenius, Theologi (inquit) mei quādiu in collegiis quæ exædificauit versabuntur, habebūt vnde viuāt, sed cū ſenerint, aut cū peractis studiorum curriculis Academia relinquenda erit, nondū satis commodā inire rationē potui, vnde victū habere possint. Collaudauit Adrianus Ximenii curas semper ad bene merendū de studiosis intentas, ad id tamen quod cogitabat Louaniensis Academia rationē per opportunitatem esse affirmavit, in qua Lamberti comitis beneficio, diui Petri templum religiosi & doctis viris præclarum, sacerdotiis dotatum est, quæ in eius Academia magistros pro titulorum antiquitate distribuuntur: cuius & ipse quoq; Adrianus Theologici tituli causa eo tēpore Decanus haberetur.

Tametſi initio cū id gymnasiū per Ioannē Brabantia ducem, Antonii filium, anno ab orbe seruato m. cd. xxvi. conditū est, nullus locus theologis fuisset. Pergrata fuit Ximenio Adriani ratio, viamque illam commodissimā esse statim iudicauit, & ad Compl. Theologorum indigentia subueniendū, & ad scholę frequentiam adaugendam: præsertim cū plusquam dimidium negotii, si vera vulgaris sententia, ex Alphonſi Carrilli Toletani Archiepiscopi liberalitate confectum esset, qui huic rei peraptum principium dedisse videbatur. Is enim ut erat animo excelſo, Iusti & Pastoris suo tempore parochialem Compluti ædem, quam olim pii homines in beatissimorum martyrum memoriam, pauperem sanē & humilem, prout illa tempora ferebant, exædificauerant, collegiatam (ut vocant) fecit, incitatus loci religione, in quo duo illi inclyti germani fratres pro Christi fide ceruices securi Romanæ supposuerunt, ſæuientibus Diocletiano & Herculio Augustis in Christianos per totū Romanum orbem. Fuit autē hæc persecutio decima, ut scribit Eutropius. Seruatur adhuc à Cōplutensibus lapis pregrandis, illorū puerorū sanguine reſperſus: pueri enim erant, vix adolescentiā ingressi, cū à Daciano prouincia præſide ut ducerentur iussi sunt, & in cæpo, qui laudabilis (ut historia ecclesiasticę tradunt) vocabatur, violatæ Romanæ superstitionis penas dederunt. Horū martyrum reliquiæ, annuente Pio v. Pont. Max. votis & efflagitationi Philippi II. Hispaniarum regis Catholici, ab Oſca Aragoniæ vrbe, Complutum sunt translata. Quod nonis Martiis anno salutis humanæ m. d. lxxix. desideratissimæ peruenerūt. Receptæq; sunt incredibili Carpetanorū omnium læticia, & nostrę Academia & Ecclesiæ, quæ iam olim Iusto & Pastori, magno illorū merito, dicata fuerat, memorabili apparatu, & præpōna nobilissima. Ergo Carrillus à Sixto IIII. Pont. Max. facultate impetrata, viginti sex sacerdotis instituit, quorum septem vocantur dignitates, inter quas præcipua est abbas. Ex xix. autem qui superant, duodecim sunt canonici, & septē portionarii. Templum verō malè factum, & muris fatifcentibus, humilēq; ut erat reliquit, cū omnem curam ad cœnobium Franciscanorum exædificandum tranſtulisset, vbi se humari voluit. Eam igitur commoditatē ad Academiam tantam amplitudine adaugendam Ximenius nactus, à Leone x. Pont. Max. omni diligentia & liberalitate obtinuit, ut Compl. Academia, templū Iusti & Pastoris contribueretur, cuius sacerdotiis, quæ beneficia vocantur, rectore procurante, Theologi & liberalium doctrinarū magistri nullo impediēte potirentur. Hac enim de causa aureorum nummorum centum & quinquaginta millia, in Vzedana arce seposuerat, vnde decem & septem canonici sacerdotes, duodecim itidē portionarii postea sunt additi. Theologi ergo in canonicos, Philosophi in portionarios, prout quisque in titulis præceſſerat, per rectorem & triumuiros cooprat, à rege tandem assumendi sunt, ad cuius tutelam iure, quod patronatus vocant, ea omnia pertinere voluit. Templum autem ad Toletani imaginē, si licet magnis parua componere, spatioſis fornicibus extruendū curauit. Lucē, re nulla luminibus obstruente, sic admittit, ut mira sit semper totius fani hilaritas, quæ in templo Toletano desideratur. Ad facta recta perpetuò conseruanda, plusquam mille nummos aureos in singulos annos reliquit. Inuenio in Artheagæ epistolis consiliū Antistiti fuisse, vñ ex præbēdis iuris Pontificii professori dare, ne Theologi sacerdotes ex iuris ignorantia causas perderēt, sed haberent domi certum & fidelem patronū, quem possent consulere. At quo minus id fecerit, leges à se de rebus Academiae datae, in causa fuerunt. Nam iuris Pontificii professori ad absolueendam illius disciplinæ

periodū, quadriennii tempus præfinitur: quo peracto, cum sese munere profiten-
 di abdicet, sacerdotio quoque abdicari, quod alioqui perpetuum confertur, ne-
 cesse erat. Nunc autem ad duodecim illas præbendas per Alphonsum Carrillum
 institutas, pontificii iuris periti nonnunquam admittuntur. Nam cum Archiepi-
 scopi qui Ximénio successerunt, Carrillana sacerdotia ad suam curam pertinere,
 cum Academia strenuè contendissent, regis opera tandem pactum est, ut alternis
 per singulos menses imperiis, in demortuorum sacerdotum locum, aut alio quo-
 uis modo ab eo templo abeuntium, Toletanus Pontif. siue Theologum, siue iu-
 ris pōtificii peritum, qui aut apice doctorali cohonestatus, aut facultatem ad eum
 obtinendum in aliqua ex quinque Academijs consecutus fuisset (hæc autē sunt, Pari-
 10 sifensis, Bononiensis, Salmanticensis, Complutēnsis, & Vallisoletana) Rector verò
 Complutenses magistros, iuxta seriem titulorum sufficeret. Trecentos nūmos au-
 reos in annos singulos sacerdotes canonici, quinquagenos portionarii percipi-
 unt, summam quidem non admodum amplam, verūm quæ literatis hominibus sit
 satis: nam mediocritas illis maximè est optanda, qui se sapientiæ studiis addixe-
 runt. Certè modicis illis prouentibus tranquillè & beatè vitam agunt, & sæpe o-
 pulentiorē fortunam oblatam contemnunt. Est sanè collegium illud omni di-
 gnū reuerentia, & à cordatis viris suspiciendum. Nam tituli quos tot labori-
 bus pepererunt, & menta incana, & totius corporis macies, quam nimio studio
 contraxerunt, & habitus ipse nulla industria, sed sola sapientia & virtute forma-
 20 tus, vel barbarorum immanes animos ad sui venerationem flecterent. Carolus
 quintus Romanorum Imperator, in quo præter cæteras virtutes, quæ in illo he-
 roe fuerunt maximæ, hoc etiam posteritas semper est laudatura, quod bonis in-
 genijs & doctis hominibus plurimum detulit, cum aliquando Complutum ven-
 nisset, & in eo templo sacris adfuturus, Cæsareum puluinar ad aram maximam
 stratum offendisset, illo deserto ad chorū sacerdotum processisse fertur, in-
 terque eos priuatus confedisse: eius diei hanc se perdere nolle gloriam dicens,
 ut tot eruditjs & præclaris viris etiam sit Carolus Cæsar annumeratus. Ad octa-
 uum idus Augusti, qui dies Iusto & Pastori apud nostros sacer est, Ildephonsi col-
 legæ ad sacram ædem veniunt, alternique inter sacerdotes sedent, & sese inuicem
 30 contuentes, illi ob tales successores sibi gratulantur, hi virtutum illorum æmuli, ad
 illos exæquandos, aut si licuerit vincendos accenduntur: tacitisque animorum
 sententijs Laconicum illud carmen vicissim sibi occinunt, Nos fuimus olim stre-
 nuū iuuentuli: præstantiores nos futuri olim sumus. Hi Canonici sacerdotes re-
 ctori per omnia obtemperant: cui tantum in eorum vitam inquirere licet: quod
 Archiepiscopis Toletanis inuidiosum semper fuit. Senatus doctorum Theologo-
 rum, quoties aliquid decernendum est, quod ad eorū gymnasium spectat, per re-
 ctorem cogitur: quod & in cæteris disciplinis, earū publicis professoribus, & lau-
 reatis accersitis, fit. Interim rector priuatum cū solis Ildephonsi collegis, singulis
 semel mensibus, secundum Ximénii legem, senatum habet: in quo de iis quæ ad
 40 singulas disciplinas pertinent agitur, relatis per rectorem, quæ prius cum profes-
 soribus & laureatis tractata fuerant. Et si qui munera sibi commissa grauius ex-
 ercent, hoc in loco ad auctis salarijs cohonestatur: si qui verò remisè & negligenter,
 ni reprehèsi sese excitauerint, iuxta Ximénii de electione professorum legem,
 sine vlla prouocatione seuerissimè ordine pelluntur. Multa sunt adhuc ad reip. lite-
 rariæ gubernationē sanctè & prudētè à Ximénio instituta, de quib. dicere super-
 fedeo, quoniā (vt dixi) non ita pridem publicis typis excusa sunt, vbi totius Aca-
 demię mores, & egregiam ex Ximénii effingētis studio imaginem, qui harū re-
 rum voluptate ducitur, non sine animi delectatione contemplabitur. Sed nos ad
 50 Academiam nascentē redeamus, cuius is fulgor statim fuit, vt Hieronymiani gy-
 mnasii collegium, quod in suburbano Seguntiensis ius & priuilegia publicæ Aca-
 demię tener, collegæ ipsi, post mortem Ioannis Lupi Medinensis Almazani Ar-
 chidiaconi, qui illud condiderat, Complutum transferre, & Complutensij Aca-
 demię adiungere conarentur. Ximénius tamen migrationem illam, tametsi ra-
 tionibus suis peropportunam, omnino prohibuit. Quod si quis causam requirat,
 Ioan-

Ioannes Vergara hanc fuisse scripsit. Fuit olim Ximénius Seguntiensis ecclesiæ
 capellanus maximus, & tunc huius Archidiaconi, viri singulari morū integritate
 atque prudentia præditi, familiaritate in primis vsus est. Indignum ergo esse ami-
 citia inter vtrunque vicissim culta homo officiosus existimauit, si carissimi homi-
 nis memoria ex coniunctione Academicarum periret: quod euenturum minimè
 dubitabat. At Salmanticensis schola sui gymnasii solitudinem è diuerso metuens,
 Lunam iuris pontificii doctorem, & magistrum Ortegam philosophiæ professo-
 rem ad Ximénium legatos misit, qui ab eo obnixè efflagitarent, vt suam illam lite-
 rariam remp. ad Academiam Salmanticensem transferret: vt è duobus tam cele-
 10 britis & inclytis populis, vna tandem schola coalesceret, quæ non modò Parisien-
 sem esset obscurata, sed antiquæ Athenarum gloriæ æmula & æqualis euade-
 ret. Meminisset quod ab Antonio Nebriffensi, homine doctrina & prudentia cla-
 ro, non ita pridem (vt acceperant) dictum esset, perpetuas fore cum Pontificibus
 Toletanis Academiæ Complutensij lites: & tempus tandem aliquando futurum,
 quando omnia eius decreta & leges, aut Archiepiscopis ipsis curatibus, aut homi-
 nibus Theologis parū quid esset faciendum prospicientibus, abrogarentur. Quod
 proculdubio euitaretur, si petitis annueret, & diuinitus oblata occasione vti vel-
 let. Siquidem Salmanticensibus, ex iuris vtriusque peritia, in qua id gymnasium flo-
 rentissimū esset, consilium ad eos conseruandos non defuturum: & ob ditionē in ea
 20 vrberem nullā cum æmulis Archiepiscopis controuersiam, aut contentionem
 habendam. Quod si hæc fortasse contemneret, vt pote in temporis venturi ambi-
 guitate posita, geniumque suum præstantiorem esse existimaret, quàm vt quid ta-
 le vnquam timeretur, saltem loci situ insalubri deterritus, quod & Nebriffensem
 addidisse fama erat, sese exorari sustineret, desineretque tandem, vnica duntaxat
 camporum amœnitate captus, qua vernantibus agris spatiosa planities alliciebat,
 bonorum ingeniorum commune sepulchrum condere. Quod se non infausti o-
 minis causa dicere aiebant, sed vt omnia obstantia tanto principi proponerent, &
 ad vnā vrberem sapientiæ ædificandam, quæ parem nunquam habuisset, aut ha-
 bitura foret, eius animum mouerent. Hoc autem vnicum eis propositum esse, vel
 30 ex eo cognoscere posset, quod præter communis gymnasij ius, id enim ad publi-
 cam quietē erat necessarium, nihil amplius ab illo peterent. Ad eam Salmanticen-
 sium legationem Ximénius hoc vnū respondisse fertur: libenter se quidem con-
 ditionem accepturum, modò in ea intra vrberem planitie quæ ad ædem Francisca-
 nā est, suam sibi Academiam exædificare permitterent, quæ Parisiensis instar, suo
 iure & rectore fruens, proprijs legibus gubernaretur. Id Salmanticenses apertam
 esse repulsam intelligentes, re infecta ad suos redierunt. Inter alia multa quæ sunt
 per Ximénium præclare suscepta & confecta, duo sunt in oculis omnium posita,
 Academia Complutensis de qua hæcenus egimus, & bellum Africanum de
 quo nunc sumus dicturi. Visum est enim has duas res maximas eodem volumi-
 40 ne complecti, vt quantum vir egregiè cordatus, pace & bello valuerit, ex earum
 inter se collatione planum fiat. Sed vt fidem nostræ narrationi omnes habeant,
 aliqua de eius viri ingenio, & de causis quæ eum ad id bellum impulerunt, neces-
 sario præfanda esse duxi. Ita enim admiratio, quæ ex rerum magnarum narratio-
 ne nascetur, apud homines prudentes est vanitate caritura, si veris rationibus se
 persuaderi intelligant, nihilque nos domi nostræ natum ad res exaggerandas af-
 ferre. Ergo Ximénii animo excelso & magno fuisse, nemo qui paulò accuratius
 gesta ipsius cōsiderauerit, inficiari poterit. Nam vt cætera in præsentia non com-
 memorem, quo tempore Academiæ construendæ & exornandæ intentus erat, &
 50 eam rem solum curare videbatur, longè diuersis curis distractus bellum etiam ad-
 uersus Africā meditabatur, de quo eius apparatu, instrumentis, & ordine, cum rege
 per certos homines, & per literas agebat, donec re ad effectum perducta, voti san-
 ctissimi compos factus fuit. Nescires ad quam rem ille propensior natura esset,
 disciplinis prouehendis, & pacis muneribus obeundis, an potius bellicis studijs
 exercendis. Nam qui tot literaria monumenta de quibus egimus animo reuolue-
 rit, qui tot librorum excusiones, tot cœnobija exædificata, tantam reip. in officio

continendæ curam conspexerit, togæ proculdubio tantum cultorem fuisse crederet. Ego tamen dum vniuersas eius actiones comparo, magis ad bellica exercitia à natura effectum esse iudico. Erat enim vir animi inuicti & sublimis omniaque in melius asserere conantis, & mirabili solertia à natura præditus: & qui persuasum haberet, non alia ratione animos humanos imperia aliorum laturos, nisi vi facta aut adhibita. Quare pro certo affirmare solebat, nullum vnquam principem exteris populis formidini, aut suis reuerentiæ fuisse, nisi comparato militum exercitu, atque omnibus belli instrumentis ad manum paratis. Dedit huius rei præclarum argumentum, cum Hispaniæ gubernandæ præfectus, hoc de quo agimus in primis cauit. Quo quidem tempore veteranos milites dixisse certum est, nunquam antea militares viros tanto in pretio vel honore habitos, aut stipendia certius ad diem illis fuisse numerata. Sed hoc nostrum de eo iudicium ex Africano bello certum esse, luce clarius (vt existimo) apparebit. Quod si illustriora monumenta sunt quæ ille ad pacem pertinentia reliquit, fecit id lux vitæ institutum atque sacri Pontificatus persona, cui nihil minus quam vulnera & cædes conueniunt, & totus ille tumultus quo Mars & Bellona gaudent. Quod si vitæ diuersum genus siue fors, siue potius Deus dedisset, summis ducibus fuisset proculdubio annumerandus. Sed nos ad huius belli causas explicandas veniamus. Venit in Hispaniam (vt dixi) Hieronymus Vianellus, vir industrius, & rerum Africanarum in primis peritus: sunt enim Veneti cum distrahendis, tum importandis mercibus, rebusque aliis ad vitam vtilibus vniuersi intenti, & in cunctas ferè orbis regiones penetrat, vnde multorum vrbes & mores notos habent. Is ergo cum Ximenii animum ad bellum contra Africam suscipiendum ex eius sermonibus propensum cognosceret, cepit cum eo de portibus, stationibus, atque de vniuersa maritima ora, quæ Hispaniam spectat, agere: sed potissimum quam ratione portus ille magnus, quem ea de causa Mersalcabir Mauri appellant, obsideri & expugnari posset. Gratissimi sermones hi Ximenio fuerunt, nam si is portus in potestate Hispanorum esset, facillimum aditum haberi sentiebat ad vniuersam Africam capiendam. Est enim ille portus velingentis classis capacissimus, nullibi que in continua Africæ ora naues tutius aut commodius esse possunt. Atque vtinam principibus nostris, quos grauissima reipublice negotia hæcenus sollicitos habuerunt, liceat aliquando potentes vires suas in Africanam gentem conuertere: haud is angustis quibus in præsentia premeremur, nec cum Algerio prædone, aliisve ignobilibus piratis, quibus animos Turca tyrannus facit, tantum incipiti Marte cõtenderemus. Quo mihi magis Ximenii conatus admirationi sunt, verè enim ad reipublice salutem & felicitatem natus, id vnum quoad vixit curauit, vt oram illam maritimam nostram faceret. Qua sanè intentione regi Ferdinando, vt Bugiam & Tripolim caperet, Orano expugnata, author fuit: & Carolo v. Imperatori, vt Guletæ præsidium occuparet. At ea partim hostibus cesserunt, partim ne reliquis spoliemur quotidie timemus. Igitur Ximenius Vianellum consiliis suis peropportunum aduenisse videns, ad colloquia perhumanè inuitat, edicitque ianitoribus, vt Vianello ad se venienti semper sit aditus liber. Ille igitur vt erat liberali ingenio, Ximenio operam in ea re suam sedulo præstitit. Nam & eorum locorum situm diligenti sermone declarauit: & quoniam eiusmodi descriptiones, nisi oculis subiiciantur, non solent omnino imaginationi nostræ quales sunt hæcere, tabulam manibus suis peraccomodè apparatus attulit, in qua conformatis è cera signis, oppidum portui magno proximum, & arcè iconicè (vt aiunt) finxit: tum deinde colles & monticulos, hisque ipsis subiectas valles, & viam, quæ ad speculam, quæ facis dicitur, deueniebat. Ea est in prærupto cliuo, quæ nostris ascensus ad Oranum erat futurus. Locus ipse arduus est, & vndique rupibus inaccessis inuius, præterquam quibusdam angustis, quæ ex forma, sedes ab incolis appellantur. Iuxta hæc specula quam diximus confurgit, quæ ex altera parte Oranum, Mersalcabir ex altera prospicit, face continuo de nocte prælucente Græcorum pharis non admodum absimilis. Sequebatur statim Oranum vrbs cælo quodam in colle posita, mœnibus, & turribus, ac loci situ munita, quæ mari altera parte alluitur, altera variis pomatiis ac irriguis fontibus cincta, in sui cupi-

cupidinem quenuis regem pellicere potest, nedum Ximenium, quem iam fatalis ardor ad eam gloriam obtinendam incitabat. Est id Mauritaniæ celeberrimum oppidum, fuitque olim mercatorum nundinis & commerciis clarum, soli felicitate Baticæ nostræ par, cæli salubritate & temperie præstantius. Hinc factum est vt totius Europæ hospitibus frequens, in non mediocrem opulentiam creuerit, atque Afris piratis occasionem præbuerit totam Hispaniæ oram diuexandi. Quin ipsi mercatores præsidium illic militare alebant, ad se suasque merces ab omni iniuria hostili vindicandum. Liberis legibus Oranitiæ viuebant, præterquam quod Trimesio regi tributum quoddam quotannis pendebant: cuius coactori ex regis ministris in urbem ingrediendi facultas tantum erat, nec præterea vllam habebat potestatem, aut iurisdictionem. Florente ciuitate plusquam sex millia domorum numerabantur: quæ cum ædificiorum magnitudine, tum pulchritudine, mirum in modum urbem ornabant. Iam verò frequentia templorum, collegiorum, xenodochiorum, balnearum, cæterarumque ædium publicarum, adeo multa erat, vt quamlibet urbem præclaram & illustrem facere possent. Prærupti loci situs parum apta frugibus aut arboribus efficit: sunt tamen huic incommodo circum circa regiones remedio, assidue in eam frumentum importantes, adeo vt nulla ex re certius vectigal Orani sit, quæ ex furnis & aquariis molis. Variis id oppidum nominibus vocatur à recentioribus: nam alii Madauram, alii Aeram, Auranam etiam nonnulli vocant: Afri hodie Guharam appellant. Omnia aut hæc nomina locum accliuem, & ventis expositum significant. Hinc igitur nostrates Oranum dixerunt. An verò hæc vrbs antiqua sit, & eius fiat à prisca authoribus mentio, quoniam mihi non satis constat, consultius faciam, si hanc curam aliis reliquero. Ergo ex dictis Vianelli, & descriptione loci quæ proposuerat, facile Ximenius intellexit, frustra se quicquam tentaturum, nisi portus ille magnus à nostris præoccuparetur. Quare ad hoc omne studium conuertens, cum rege Ferdinando rem omnem communicat, & vt maturè rescribat quid fieri velit, impensè rogat. Erat quidè rex sua sponte satis animatus ad bellum Africanum gerendum, sed re nummaria minus se esse instructum dicebat, quod bello Granateni, & Italicis impensis, eius ararium ferè esset exhaustum: esse ergo bonam voluntatem, sed suos conatus neruis belli destitui. His cognitis, Ximenius quem & Hispaniæ clades stimulabat, ex qua per maximum dedecus, prædæ ab Afris quotidie abigebantur, & religionis prouehendæ amor miro quodam ardore impellebat, ne præsentem occasionem amitteret, quam Vianelli præsentia promittere videbatur: & ne totius aulicæ iuuentutis voluntas, quam huius belli cupidam esse sentiebat, dilatione interiecta languesceret, regi continuo pollicitus est, eam se pecuniâ mutuo daturum, qua exercitus sustineri per bimestre spatium posset, ad Mersalcabir in Africa expugnandum, vt reipublice Christianæ hostes à nostris littoribus arcerentur. Instructissima ergo classis apparatus, & delectus iuuentutis per vniuersam Hispaniam sunt. Aulicorum adolescentum magistro totius belli imperium committitur. Is erat Didacus Fernandus Corduba, vir spectatæ virtutis & prudentiæ, qui illico ex veteranorum militum numero, socios & participes laboris adiecit viros selectos, & rei bellicæ peritos: sed potissimum Ramundum Cardonam classis regis, & Didacum Veram tormentorum regionum præfectos, & Gonsalum Aioram prætorianæ cohortis ducem, & Petrum Lopidè Horoscum cognomento Zagalum, sed ante alios Hieronymum Vianellum, viam indicem & commonstratorem. Tertio nonas Septemb. Malaca soluunt: nostrum littus deinde legentes, Euris nonnihil retardantibus, sexto Idus Almeriam, quam nonnulli antiquam Abderam esse volunt, veniunt: tertio post die Mersalcabir appellant. Afri tamen, qui per suos exploratores de Hispanorum classe certiores facti, iam dudum in specula & vigilia erant, vt eos portum attingentes viderunt, fundis, tormentis & sagittis hostem propellere, & submouere tentauerunt: sed virtute nostrorum militum cum omnis conatus irritus fuisset, crebris ignibus de more eius gētis in speculis accensis, sumi indicio, paruo sanè temporis spatio nostrorum aduentus vniuersæ ferme Mauritaniæ innotuit. Statim vt diluxit, tanta Maurorum & Numidarum,

qui per eos campos vagantur, cum equitum tum peditum multitudo congregata fuit, ut omnes undique colles armatis hostibus replerentur. Hi ergo magna animi constantia ad litus descendebant, Hispanos ne terram Africam contingerent prohiberi. At eas omnes difficultates nostri euincentes, inuitis hostibus, portum tenuerunt. E nauibus extemplo egressi, prout in illis angustiis licuit, cum praesertim hostium telis undique impeterentur, castrametati sunt. Alterum diem in exploranda regione, in castris muniendis, & auxiliis Afrorum, quae ab Orano, aliisque partibus assidue veniebant, deturbandis, occupati fuerunt. Duces interea, donec aliquid memoria dignum effecissent, nullum nuncium ad regem remiserunt. Id cum animos eunctorum sollicitos teneret, omnes ru-
 10 mores, qui variis prout in re incerta fieri solet ferebantur, auidè captabant. Anceps erat victoriae euentus, propter egregiam hostium virtutem, sed praesertim arcis praefecti, qui singulari vigilantia & fortitudine praesidium eius fidei commissum tuebatur. Petra ubi id praesidium est, maris undis ex omni parte alluitur, praeterquam qua meridiem spectat. Ab ea autem parte collis quidam praeruptus attollitur, cuius statio & hostibus erat necessaria, & nostris per opportuna ad praesidium ipsum expugnandum. Hunc collem ex hostium potestate eripere, cum totius exercitus viribus Hispani contenderent, eo tandem ut sunt potius, quamuis non sine sanguine, protinus in spem maximam sunt erecti, Merfalcabir quoque potiundi. Interea rex Trimesenius Maurorum & Numidarum
 20 exercitum miserat, qui dum variis praeliis cum nostris confligit, ut est Mars anceps, nunc illi, nunc nostri victores fuerunt, & milites vtrinque desiderati. Porro praesidii praefectus, qui summa (ut dixi) diligentia, nostrorum conatibus obuiam semper ibat, dum inter propugnacula reficiendis tormentis attendit, glande ferrea a nauibus emissa percussus occubuit. Per magni momenti ad rem bene gerendam vnus viri mors nostris fuit: nam ab eo tempore hostes debilitati omnia remisit & timide gerere. Tandem cum neque subsidio sibi veniri, neque nauibus commeatus comportari posset, nostris mare & itinera omnia intercludentibus, seque partim ex nauibus, partim e colle occupato, omni tormentorum genere impugnari vident, de deditioe agere ceperunt, dummodo aliquot
 30 dierum induciae ad deliberandum darentur. Igitur inter nostros, & Mauros sic conuenit, quod si rex Trimesenius copiosiori exercitu auxilium per tempus induciarum non tulisset, Merfalcabir extemplo Hispanis cederet. Elapsis diebus cum ne quicquam regis subsidium expectaretur, totidem dies adiuciosos petunt, quibus si etiam Trimesenius cessaret, ipsi omni sacramento exoluti, oppidum simul & arcem traderent. Cum ergo omnes dies pacationis bellicae exiissent, postridie mane Didacus Fernandus exercitu ante portam, quae Oranum ducit, agminatim instructo, classicum canere iubens, antequam armis infestum aliquid tentaret, per facialem alta voce pro mœnibus admonuit: Quandoquidem Mauris per dies induciarum, nihil auxilii a suis aduenisset, ipsi, vxores, liberi que eorum Merfalcabir secundum pacta indemnes exirent: quicquid eorum corporibus possent
 40 exportarent, quocumque liberet, nemine per vim auferente, adueherent. Qui ex nostris abeuntes lassisset, aut alio quouis modo contra pacta cum Mauris fecisset, capitis multa ducem foederis violati religione exolueret. Illico oppidi portis resecatis, dies tres impetrati sunt ad supellestem concessam conuassandam. Toto illo triduo Didaco Fernando pro portis sedente, per medias acies Mauri transibant, rerum adamarum quicquid poterant asportantes. Nemo ex nostro exercitu inuentus est, qui vel dicto Mauros offenderet, praeter vnum ex gregariis militibus cuius nomen in obscuro est, qui auaritia morbo correptus, aut, ut quidam narrant, libidinis, Maurae foeminae iniurius esse cepit. Eratis in postremis ordinibus, quare
 50 latere posse confidebat. At indignè Mauris id ferentibus, miserabili voce contra pacta couenta agi clamitabant: nam & penates relictos, & arcis traditae tacita exprobratio, dolore & ira animos repleuerat. Illico ad aures Didaci peruenit, qui antiquo & seuerò Hispaniarum instituto pilis militem transigi imperauit: quod vniuerso exercitui & exemplo, & pauciori fuit. Oppido itaque veteribus incolis destituto, nostri
 exul-

exultantes quinquagesimo postquam Malaca soluerunt die, potiuntur: & Hispano praesidio arcem muniens, ad regem & Ximenium trirēm miserunt, quae victoriam partam nuntiaret. Aiunt post Merfalcabir occupatum, multos ex Mauris qui Oranum incolebant, cum vniuersa familia & facultatibus Trimesenium se contulisse: nam eam urbem statim a nostris oppugnatum iri nihil dubitabant. Postea tamen cum toto quadriennio cessatum a nostris esset, omnes Oranum reuerfi sunt, existimantes Hispanos satis habuisse portus magni receptaculo a Mauris crepto, orae nostrae securitatem comparasse. Vnus tamen praedives Maurus, qui camelo auro onusta Orano discesserat, magnopere redeuntes deterrebat:
 10 qui propositi tenax expugnatae urbis cladem effugit. Didacus interim cum aliquot dies Afrorum com meatu corpora suorum curari permisisset: nam quamuis multa Mauri exportauerant, cum ea pretiosissima quaeque fuissent, multa quoque intacta, praesertim quae ad victum pertinent, remanserunt. Ergo praestantissimis quibusque ad custodiam Merfalcabir per Didacum ex vniuerso exercitu delectis, caeteram multitudinem in Hispaniam redire iussit. Nam & res nummaria ferè omnis consumpta erat, & nihil quod ultra tentaret occurrebat. Ad Oranum enim oppugnandum, loci situs, & ciuium frequentia, & militari exercitu muniu, longè maiores vires requiri videbat, quae tunc sibi adessent. Regis tamen imperium expectare constituit. Interea non cessauit omni ratione & cura, portum, oppi-
 20 dum, ipsamque arcem ad nostrorum usum, tum reficere, tum denuo formare. Postquam regi, & Ximenio rerum earum suavori, victoria nota fuit, dici non potest, quanta laetitia non solum vtriusque animus, sed vniuersum Regis comitatum, totamque Hispaniam perfuderit: omnes enim anxios & mœstos tenuerat, tam diuturnum de Didaco Fernando, de quo eius classe per menstruum ferè tempus, silentium. Octo dierum supplicationes per vniuersam Hispaniam sunt indictae, quibus Deo opt. max. gratiae agerentur, quod eum Africae portum Hispani cepissent, unde non modò securitas littoribus nostris comparata esset, sed ingens aditus patefactus ad omnem Africae oram occupandam. Venerunt non multò post ad regem aliquot
 30 ex tribus militibus a Didaco missi, Didacus Vera, Gonfalus Aiora, Petrus Lopides Horosus, quem Mauri Alzagalum (ut diximus) ob singulare in rebus bellicis strenuitatem, vocabant. Hic ex spoliis Maurorum, baculum ex selecto hebeno, eximii tum laeuis tum nigredinis, Cadin (ita enim Mauri potestates suos & seniores vocant) gestam, ad Ximenium detulit. Quo in gratiam Alzagali cum aliquot dies Ximenius usus esset, Complutum ad Academiam suam, victoriae Africae monumētum, & amici viri optumi pignus misit. Rex verò postquam quae per Didacum Fernandum gesta sunt, & quibus opus esset cognouisset, centum leuis armaturae equites, pedites quadringētos ad Didacum in Africā traiciendos curat. Horum ducem Rodericum Diasium Rogium, virum nobilem, & fortissimū constituit. Didacum verò Fernandum ad se accersit, vicaria magni portus custodia
 40 Roderico interim tradita. Didacus a rege benignissime susceptus est, & Ximenio eius virtutem apud regem collaudate, multis praemiis & honoribus affectus, Merfalcabirana etiam praefectura donatur. Nam cum eius fortitudine & industria in potestatem nostram deuenisset, a nemine melius, veluti in re propria laboranti, defendi posse iure credebatur. Tria millia nummorum aureorum, quae summa, prout illa tempora ferebant, ad capiendum illud praesidium satis fuit, in singulos annos ad retinendum assignata sunt. Haud est obliuionis tenebris premendum Roderici Diasii factum: is enim non ignauam in absentia praefecti operam nauans, cum crebras eruptiones in hostes faceret, & rebus rusticis occupatos de improviso adoriretur, & frequenter praedam ex agris ageret, regionemque omnem
 50 incursionibus vastaret: Mauri tot damnis & rapinis grauissime permoti, sese ad illud, quoquo modo possent, opprimendū parant. Ergo cum de more agros popularetur, interclusus est a Mauris. Erant per pauci milites qui Rodericū sequebantur, praesertim hostium multitudine: quare in re desperata bono vsus consilio, suos breui, sed acri oratione cohortatus, ne inulti perirent, sed Hispani nominis memores, se ducē sequerentur, & per medios hostes viam, quae sola patebat, salutis facerent,
 K ij

simulque equum adigit, & in confertos Mauros irruens, tantam eorum stragem fecit, ut quocumque incederet, ingens esset hostium trepidatio. Hispani vero milites tanti ducis exemplo excitati fortissime dimicantes, hostes terga dare coegerunt. Narratur mirabilis ictus, quem hoc die Rodericus coniectioe hastæ fecit. Insequeretur Maurum equitem, qui cum equo fideret velociore, dum putat se euaturum, terga dedit. In hunc Rodericus tanta vi hastam contorsit, ut hoste transfuerberato, ligneum ephippii capitulum, & equi ceruicem perfoderit. Certum est hostes hoc terribili ictu animaduerso perterritos, cepisse laxis habenis fugere. Multo post tempore durasse inter Mauros prouerbii loco aiunt, ut quibus irati essent, ictum præfecti Mazalquibirani imprecarentur. Dum hæc in Africa geruntur, Philippi è Belgis aduentus, quemadmodum in tertio volumine latè sumus executi, regis Ferdinandi conatum, & Ximenii antistitis institutum retardauit: qui maritimam Africæ oram, atque adeò totam ipsam Mauritanie regionem, Hispano imperio subiicere proposuerat: satis enim per ea tempora ab utroque laboratum esse constat, ut reipublicæ commodis consuleretur. Nam & tumultus regulorum compresserunt, & regnorum imperium, quod post regis Philippi mortem labefactatum fuit, in priorem ordinem, & statutum reuixerunt. Non cessabat Didacus Fernandus è Merfalcabirana arce assiduus in Mauros incursiones facere, ex quibus cum victoriam sæpe reportasset, decreuit tandem cum tribus pedum millibus, iusto prælio Oranenses prouocare. Nam cum Mauri non ita pridem oppidum in Hispaniæ ora situm internectione vastassent, utriusque sexus vniuersis incolis ad vnum trucidatis, aut captis, insolentiores ex ea re facti, Didaco cladem minitabantur, & ut portum magnum reciperent omni apparatu & studio curabant. Sed ut fors belli anceps semper & incerta est, anno eius seculi septimo sub idus ferme Iulias, cum egregie Didacus cum illis dimicasset, magna iactura suscepta victus prælio discessit. Eo nuntio Ximenius, cæteri que principes qui apud Ioannam Reginam aderant (nam nondum Neapoli Ferdinandus venerat) adeò grauiter perculsi sunt, ut illico Ximenius ad expeditionem diu exoptatam fuerit nauigaturus, nisi reginæ valetudo, & reip. status, eius studium & conatum retardasset, & in primis Ferdinandi regis absentia, sine cuius auspiciis & nutu, nihil ritè cõfici posse existimabat. Ergo simul ac rex venit, & Hispaniæ res sunt composiæ, Ximenius cum eo agere cœpit, ut vel ipse rex in Africam traiceret, vel Ximenio eam prouinciam traderet. Indignum enim esse, & penè intolerabile, ut tali à Deo immortalis opportunitate oblata, tali que aditu ad vniuersam Africam debellandam dato, ipsi otiosi & negligentes sederent, spectantes quemadmodum tot captiuorum Christianorum millia, cum maximo totius Hispaniæ nationis dedecore, passim abducerentur. Erat quidem rex in Ximenii sententiam propensus, quanuis reguli variè super hac re sentirent. Nam nonnulli, qui cum ipsi nihil præclarum faciant, id ab aliis fieri sustinere nequeunt, Ximenium ut immodicè ambitiosum incusabant, qui præter instituti sui rationem, præterque personæ decorum quam gerebat, cædibus se polluere vellent, & pro lituo & galeo, hastam & galeam ambiret. Atque ex re, quæ tunc in omnium ore versabatur, occasione capta, ridiculum esse passim iactabant, Gonsalum Fernandū tot victoriis in Italia partis, quæ meritò magni imperatoris cognomētum illi peperissent, è bello reuocatum, orbiculos quibus præces annumerari solent, Pintia voluere, antistite verò Toletanum cædes & laniam optare. Hanc aut rerum cõmutationem, esse portenti simile aiebant, & ut reip. parū faustam, sacris omnibus expiandam. Sed hi nostrorum annalium ignari, pontificum Toletanorum strenuè semper in debellandis religionis hostibus apud suos reges nauatam operam, aut non intelligebat, aut præ inuidia dissimulabant. Alii hominem dementem, & temerarium vocabant, quod bellorum difficultatibus parum consideratis, res maiores animo præsumeret, quàm pro illius facultate & captu. Opus enim esse ad id bellum rege aliquo potentissimo & industrio, nec nõ rerum bellicarū perito, qualis Ferdinandus erat, alioqui nec hostibus terrori, neque suis reuerentiæ fore. Porro militum animos ad imperatoris amorem inflammare solet assidua in castris præsentia, somni

& ci

& ciborum communio, & eadem in periculis fortuna, quæ singula longè à Ximenii instituto aberant: qui vanis quorundam promissis lactatus in eam fuisset sententiam inductus: quod extremæ leuitatis, & animi parum sani testimonium non mediocriter esse affirmabant. Alii tamen qui sibi videbantur prudentiores, non adeò aiebant Ximenium insanire, ut huic se negotio parem esse crederet: sed hominem imperandi cupidum, resque omnes pro arbitrio componendi, regem atque adeò vniuersam Hispaniæ nobilitatem in Africam amandare his prætextibus studere, ut ipse interim summæ rerum præfectus, de republ. pro voluntate statuat. Quod si malo nodo mialis quoque quærendus est cuneus, regi alteram conditionis partem minimè quidè esse recusandam: sed potius Ximenio concedendam, ut in Africam cum exercitu traiciat, quando quidem id tantopere se discupere simularet. Rex Ximenio multò erat æquior, quod eius probitatem, atque illam potissimè ad hostes religionis extirpandos animi propensionem multis argumentis nouisset. Quare eius proposito apud regulos palà collaudato, sibi nimis Ximenii sententiam placere declarauit: esseque illi gratias pro merito agendas, quod vir tanta ætate prouectus, & diuturnis laboribus penè confectus, ad durissimū Martis opus religionis dilatandæ studio, & reip. defendendæ amore, sese ardore iuuenili offerret. Idcirco sanctissimis eius conatibus omnino fauendum, & omnibus regni viribus optimi præfulis cõsiliū, religionis & pietatis plenum, maturè esse exequendum. Nihil contra eo tempore amplius est actum, sed statim decretum ut reip. triremes, naues longæ & rostratæ, ad Ximenii imperium, siue Malacæ, siue Carthagini nouæ præsto essent, ut cõmeatus ad eam rem necessarii ex proximis locis empti cõportarentur, & materia quæ sexcentis doliiis cõficiendis satis esset, adaquationes in terra hostili faciendas: nã primæ nauigationi ex portu Menesthei, quem S. Mariæ vocant, & ex Cæsaris castris, quæ nunc Xerezium, aqua erat haurienda. Ut sulphur etiam & nitrum ex regis fodinis, aut priuatis, nemine prohibente, ad pulueres tormentarios conficiendos, aut assumere aut coemere liceret: & ut commendatarii, quos vocant, nullo missionis genere uti, aut pro se vicarium dare possent, nisi legitima de causa: sed omnes tanquã ad remp. contra paganos defendendã, suis stipendiis in hoc bello militarent. Ut milites stipendiarii, qui Abulam, Areualū, Segobiam, Medinã Campensem, Vlmetum, Fontiuerum, Salmanticam, Vacceorū oppida, & qui Trusillum, & Cereris castra in Lusitanis habitant, certo quodã regis stipendio, ad militares vsus sunt adstricti, regis literis euocarentur. Ut quotquot panis nautici pondus, Malacæ per regios procuratores, parata essent, Ximenio venderentur. Ut cõmeatus, qui per regem cõferendus ex pactis esset, ad portum vnde Ximenio soluendum esset, regis opera adueheretur. Ut quoniam ad militariẽ licentiam coercendam pontificia persona parum apta esset, ex regis quatuoruiris, qui capitalibus causis in comitatu principis præfunt, duo saltem ad legiones Ximenii mitterentur, qui de illis rebus cognoscerent. Hi fuerunt Gallecus, & Aguirrus, quibus omnia ad exercitum pertinentia, prout vsus poscere videretur, constituendi suprema facultas est data. Intererat Ximenius horum duorum consilio, & suo arbitrio omnia moderabatur. Sed prudentissimè curabat, ut per regios ministros discerni cuncti arbitrentur. Nam regia autoritate prætenta, quæ inter nostros semper fuit sacrosancta, faciliè omnes in officio continebantur. Datæ etiam sunt regi tabellæ nõnullæ manu regis subscriptæ, & eius sigillo impressæ, puræ tamen, quæ cum opus esset scribebantur, & earum vi & potestate totidem iudices vicarii creabatur, eiusdem cum duumuiris facultatis, ad milites puniendos. Nam hoc etiam Ximenii industria confectum est, ne vir religiosus, & tanta dignitate præditus, ad huiusmodi castigationes se demittere videretur. His itaque apud regem decretis, atque per Ximenii procuratores acceptis, operi Ximenius accinctus est. Porro Gonsalo magno in primis hortate, Petrum Nauarrum Oliueti Comitem, ducem egregium, & rei bellicæ peritum, qui viri fortissimi exemplum in Gonsali exercitu permulta ediderat, & qui tunc Gonsalum secutus, in Hispania apud regem erat, ad se accersit. Is non ita pridem Beleziam rupem (Pegnonum nostri vocant) quæ in Africano littore est, è potestate Maurorum receperat. Ergo cum Nauarro omnia sua cõsilia com-

K iij

municat, & quid in singulis rebus faciendum esset ab eo edoctus, imperatorem totius exercitus Nauarrum designat: & ut cohortes Italicas quæ sub Gonsalo magno meruerant, continuò recipiat, edicit: & ut Malacam proficiscatur, & regis classis commearus exploret, quos à Varga fenatore regio, aut eius nomine à procuratore Villalupo traditos, Carthaginem curet asportandos. Nauarro itaque ad eas res curandas digressò, Ximenius militum delectus per diocesim suam facit, & ex Bætica, Catalonia, Aragonia, Cantabria & Asturia, selectas aliquot legiones conscripsit, ex quibus exercitus factus est ad eam rem quam parabat peraccòmodus: nam equitum quatuor millia, peditum decem millia recensentur. Tribunus militum (quos coronellos nostri vocant) Rodericum Moschòsum, Altamiranum 10 Comitem, Ioannem Spinòsam, Alphonsum Vanegam, Gonsalum Aioram, Petrum Ariam in hastarum ludo celebrem, atque inde patrio idiomate iustatorem cognominatum, & Ioannem Villaluam Cantabrum. Erant omnes hi viri bellicis virtutis adeò clari, ut sæpè homines maiores natu qui rebus illis interfuerunt, dicentes audiuerim, exercitum Ximenii eos tunc duces & coronellos habuisse, quorum singulis, nõ modò huius belli summa, sed cuiuslibet alterius, quod difficilius & grauius esset, tutò quidem committi potuisset. Suberant eis non ingloriè manipulares duces, ac ceteriones: quinam fuerint, quibusve manipulis aut cohortibus præpositi, adhuc in superstitiù memoriis durat. Ergo Petrus Castellus Complutenses milites ducebat. Villaroellus Turrilacunenses, Vzedanos & Talamacenses. Bernardinus Menesius Talabricenses, & sagittarios transpontanos: nam hi Iadæ, quæ apud eos copiosissimè nascitur, beneficio, ex qua sagittas faciunt, eam arte mirificè callent. Bustamatus titularis episcopus, & parochus Hipponensis, Guardianos, Romeralios, & Lilienses. Ioannes Montanus, Hipponensis, Valliuerdanos, & quos Moros iuxta Toletum cis Tagù sitos, hoc est colonos, lingua nostra appellat. Aluarus Salazarus, Toletanus. Sanctus Petrus cuius Toletanus, Illiscenses, qui sunt Toletò cis Tagum proximi. Hactenus gentè ex Toletana diocesi memorauimus. Quos verò Bætica Asturia & Cantabria miserunt, aliæve circumcirca regiones, Ioanni Giennio Bastetano, & Ioanni Bustamanto Compluteni sunt commisi. Sed quoniã plura 30 ocingenti milites, nullo stipendio còducti, aut vlla sacramenti ratione addicti, Ximenium in Africã sponte sua secuti sunt, iis Requelmus Bastetanus dux præfectus est. In epistolis Ximenii ad procuratores suos, quos eo tempore apud regem habebat datis, aliorum ducum & quæstorù nomina reperio: quibus ob egregiam operam sibi in Africa nauatam, cupit ut rex beneficia & munera pro meritis donet: inter quos, Garridum, Vadillum, Arguessum, & Maderellum Centuriones commendat, & licentiarum etiam Zaratem ad cognoscendas causas per duum viros suffectum. Ergo equitibus ducendis Garfias Villaroellus Castorlæ præfectus constitutus est: Vianello magisteriù castrorum defertur: nam ille & regionè bene nosse, & quo loco castra essent metanda, & qua parte hostes adoriendi, & quæ præsidia 40 pro loci ratione augeri aut minui deberent, & quæ loca item forent custodiis tuenda & còfirmanda, solus exactè callere credebatur. Ximenius qui frustra apparari cætera intelligebat, nisi pecuniæ, quæ belli nerui semper sunt habitæ, vel in lógum tempus suppeterent, aliquot retro annis de Africana expeditione cogitãs, prouido in posterù consilio nõ mediocres opes congregauerat. Sed belli casus incertos esse sciens, stultissimum esse iudicabat ad terram hostilè, subductis ad calculum rationibus, proficisci. Ergo ne difficultate rei nummariæ aliquãdo premeretur, ad Toletanum capitulù scripsit, ut sibi subsidio essent, missa quantã possent nummorum summa. Nam si olim post Hispaniam à Mauris occupatam, ecclesiasticis reditibus exercitus parabantur, ut ab hostibus reciperetur, multò caufatius id nunc ab ipsis poscebatur, ne Hispania rursus in priscas illas miseras recideret: præsertim cum ipse, qui eorum caput esset, non solum suas facultates infumeret, sed se quoque in manifestum vitæ discrimen, pro religionis defensione & augmento obiceret. Res erat eo tempore huiusmodi subsidium in Hispania infrequens, & non nisi maximis & euidentibus periculis, cum videndum erat ne quid detrimenti respub. Christiana caperet, à Pontif. Romanis indicta. Nam sacerdotia quoquomodo perre-

ges grauari, inuidiosum & iniquũ cõsebatur: semperq; aliquid infaustum & dirum, id attentatibus accidisse, obseruatum fuit. Sed capitulum nec rei insolentia cõmotum est, nec graue aliquid in antistitem suum dixit, aut immunitatè suam imminui vllò modo idcirco existimauit. Imò animis promptissimis, non modò opes & facultates, sed omnem operã ad eam rem polliciti, multi discedentè ad mare vsq; secuti sunt: qui nisi ab eo Toletum redire coacti essent, non dubitassent in Africã traicere, atq; ibi si opus esset, confertis manibus cù hostibus pugnare. Sunt apud me Ximenii ad regem Ferdinandum epistolæ, quibus de hac capituli sui erogatione scribit, penè gaudio gestiens, quoniam aliq; diocesces & ecclesiæ exemplum essent 10 habituræ, ad Africanam Ximenii expeditionem stipe collata iuuandam, quod & fieri iam affirmat. Quo magis miror nullam huius rei memoriã, nullumve monumentum, in ecclesiæ Toletanæ archiuis haberi. Nisi fortè, ne exemplum sequerentur archiepiscopi successuri, & quod liberalitate sacerdotum factum erat, tempore maximè necessario, ad exactiones per vim faciendas ob priuata cõmoda adduceretur, communiter curatum est, ut vestigium nullum remaneret. Est quidem certè solennis hic rapinarum modus, nonnulla precario obtinere à populis, quæ potest iure suo potentiores exigant, quasi lege teneantur præstare. Totus hic annus commeatibus apparandis, pecunia colligenda, & exercitui congregando, à Ximenio Compluti consumptus est. Octauus qui deinde secutus est, non sine maximis molestiis Ximenio accidit. Nam cum militũ legiones ex omni Hispaniã selectas cõscripsisset, duces egregios illis præfecisset, belli Africani fama ad hostes vsq; penetrasset, & omnia deniq; in procinctu essent, nõ defuerunt peruersi homines, qui semel conceptã opinionem eè regis animo cõuellerent, & falsis affectis caulis, Ximenii propositũ inutile esse calumniarentur: vanũ, & temerariũ esse clamitantes, tãti momẽti rem, ab homine tractari, qui in monasteriis & solitudinib. cucullo indutus, semper delituisse, nec vnquã hostes, aut castra vidisset. Ad hæc subiiciabant, belli impensas à rege esse attentè considerandas: neq; enim fieri posse, ut tam copiosam pecuniã Ximenius congregasset, quæ ad tanti belli molè sustinendã esset satis. Facile enim homini plus satis propẽso ad hoc bellum Africanum, imponi 30 potuisset ab iis qui priuata sua emolumenta sectantur. Post exhaustam verò pecuniam, necesse erat re infecta discere, & classem regiam, & Hispaniam iuuentutem, velit nolit, hostium arbitrio relinquere. His sermonibus atque aliis rex deterritus, bellum Africanum differtè parat, & pactis conuentis cù Ximenio per dilationem deesse incipit. Regi verò procuratores, quibus classis reficiendæ cura, eamque cum omni nautica supellectile Ximenii nauarchis tradendi commissa est, auaritiæ morbo corrupti, illo occasionis momento abutebantur, à quo cuncti Ximenii conatus eo tempore pendebant. Quare Petro Nauarro, qui ad hoc missus fuerat, neque cymbam vnã dederunt, nedum tot illa panis nautici pondo, & poscæ doliã, ut cum rege conuenerat. Nam cum ciborũ nauticorum copiam illi ad regios epibatatas iam pridem comparassent, Ximenio indigenti pluris vendere volebant: quod si fecissent, haud contemnendum lucrũ corrãssissent. Petrus quoque Nauarrus militaris ingeni homo, cum ea impedimenta Ximenii consiliis obici conspiceret, ipse quoque in diuersum mutatus, dum suis commodis, quæ non nisi ex præda constabant, consulere cupit, classem regiam, quoquo modo posset, clam Ximenio, ad se transferre curat. Ergo regis amicis persuadet, Onei promontorii præsidium, quod infra Oranum versus fretum Herculeum est, multò facilius expugnari posse, atque inde in totam Africæ maritimam oram incursiones commo dissimè fieri. Differebatur etiam commendatariorum euocatio, & stipendiaris nihil adhuc per regem denunciatum fuerat. Iam verò si 50 quando Ximenii procurator, regios de ea re consiliarios, regemve ipsum appelleret, aliis atq; aliis causis eludebatur. Nam prout anni tempestas erat, aut hyemis instantis obicièbatur rigor, aut Malacæ aut Carthaginis pelagus, vnde scilicet soluendum erat, adhuc esse intractabile, aut æstatis in Africa terra immodicus ardor, aut difficilis cõmeatus importatio, si præsertim, si ille meditabatur, hyberno tempore exercitum traiceret. De his rebus Ximenius certior factus,

quamvis indignè secum agi consideraret, constanti animo in re propofita perfeuerandum censens, rursus ad regem epistolas misit, partim supplices, partim expostulatorias, in quibus per religionem, quã uterq; tueri studebat, per necessitudinem, per pietatem qua regem semper coluerat, per assiduos, quos ad id tempus in repub. conseruanda sustinuerat labores, obtestabatur atq; obsecrabat, ne pateret rem tantam concidere: neve eius existimationi, aut necessariis & optimis conatibus, villo modo deesse vellet. Eò enim vsq; rē processisse, vt retrocedere iam nequaquam liceret. Nec posse iterum, qualis tunc erat, exercitum cogi speraret: nam delusi milites, fidem non erant amplius habituri, sed indignabundi, militari sacramento exoluti, alia castra, aliumq; imperatorem quaesituri: sibi verò, vt in-
 10 terim pecuniam, quam non mediocrem impenderat, taceret, multis de causis iniuriam fieri. Nam præter non leuem temeritatis notam, quam ipse subibat, si bellū susceptum dimitteret (neq; enim palàm omnibus futurum, cuius id culpa accidisset) Toletani primatis dignitas non mediocri cōtumelia afficiebatur, cuius ea potentia semper fuit, vt exercitum alere, atq; è Maurorum potestate oppida & vrbes munitissimas recipere, solita fuerit. Nunc verò, cum opibus sit multo augustior, quàm illa tempestate erat, & accederet tanti regis fauor, nec scire se aiebat, quid homines non essent oblocuturi, si cœpta interromperentur. Nam quòd se maleuoli homines amentem vocabant, ad regis potius existimationem putabat pertinere, qui eiusmodi hominem ad supremum orbis sacerdotium subuexisset. Iam verò
 20 quòd anni tempus obiiciebatur, meram esset ergiuerfationē ad conatus suos retardandos: quando quidem eo ipso tempore non ita pridem Didacus Fernandus, Mersalcabiranū præsidium cepisset, & tunc per mediam hyemem, è Belezia rupæ scaphas, cymbas, & maiora nauigia commeatum importandorum causa, quotidie Malacam incolumia appulisse certum sit. Ne tamen vllam transmarinam famem, aut tumultus militares vereretur, se rerum futurarum prouidum, trium aut quatuor mensium cibaria, & militum stipendia, iam pridem comparauisse. Quòd si vltius bellum esset protrahendum, vt fieri posset, habere se facultates, vnde sumptus suppeditaretur, & certa ecclesiarum subsidia, vt paulò antè regi significauerat. Quare neutiquam in eo temporis articulo, & rerum omnium cardine,
 30 cessandum erat. Porro ad se nuper delatum fuisse, Gratianum, & nonnullos alios, Carthaginem, Murgos & Hispalim, à Nauarro missos, ad novos quosdam delectus faciundos, classēque regiam ad alia tentanda abduci: vtrunque verò esse impediendum, si saluam rem esse vellet. Nam quod de Oneo præsidio dicebatur, prorsus esse inutile, aut potius perniciosum: neq; enim inde, imò verò neq; ex vniuersa Africa, littoribus nostris tantum damni, quantum ex vnica Orano inferri. Neq; rursus tam opportunum aditum, ad Africam occupandam, aut vastandam ex Oneo futurum, quàm ex Orano vrbe opulenta & portuosa. Solere autem grauiiores sumptus, & maiora militum damna, in oppidulis expugnandis interdum fieri, quàm in magnis vrbibus. Quòd si adhuc in mutanda sententiā peristeret, se
 40 quidē habere quod ageret Toleti & Compluti, de bello aut Africano, ne verbum quidem facturum, sed sua conscientia cōtentum quieturum: exercitum verò statim dimissurum, ne aliquid mali accideret ex otiosis militibus. Multa alia in Ximenii epistolis cōtinentur, quæ chirographæ Compluti asseruantur: vnde & religionem Christianam dilatandi amor, & in rebus gerendis dexteritas, & imperatore exercitissimo digna prudentia, & animi robur ad summas difficultates superandas, compluresque aliæ virtutes intelliguntur, quæ in bello, & pace summum illum virum fuisse declarant. Vnam è multis libuit Latinam facere querelarum plenam, quam eo tempore v. idus Oct. ad Didacum Lupum Aialam dedit. Regias literas, tuasque simul recepi, quibus non tam commotus aut indignatus (quæ
 50 enim hominis priuati aduersus regem indignatio esse potest?) quàm stupore correptus fui. Dolui tot hominum millia, qui partim apud me iam erant, partim verò meo iussu multis in locis ad bellum Africanum conscripti, subito sine vlla causa dimitti. Præterea tam multiplicem commeatum, tot ærea tormenta, quæ aut à me sunt fusa, aut empta, relinqui passim, quasi temere fuerint parata. Inciderunt quidem

quidem militares viri in fraudem spe certi emolumentis, sed nos grauiorem iacturam fecimus, nimirum fidei, & authoritatis. Optandum est vt in posterum regia maiestas de hisce rebus maturius & prouidentius caueat. Omedem virum probum, & prudentem, ad Ferrum Nauarrum mitto, qui hanc illi rerum commutationem narret. Vtinam nec Vargæ, nec eius familiari Villalupo, de hac in me contumelia, atq; adeò in totam remp. Deus opt. max. irascatur, qui tot improbis astutiis, & commentis, ne scelestissima mendacia commemorem, nobiscum egerunt. Sed vix credo valituros diuinam vindictam effugere. Vale. His tam iustis querelis commotus rex, maleuolorum & inuidorum sermonibus reiectis, ad Ximenium scripsit, vt in proximum ver exercitum retineat, & nihil de intentione suscepta remittat: si demque suam denuo interponit, se pollicitis nequaquam defuturum. Regis responso Ximenius est confirmatus, sed nouæ statim difficultates sunt exortæ. Nam cum commeatus secundum pacta conuenta Carthaginem, vnde Ximenius traicere parabat, è Malacitano portu transferendi forent, erant apud regem, qui nec Petro Nauarro, nec Ximenio dandos censerent. Posse enim fieri, vt ab hostibus interciperentur, aut absumerentur à nostris in alios vsus, qui è republica non essent, vnde classis regia magnum esset detrimentum captura. Idcirco regem consultius facturum, si eos in Mersalcabiranam arcem, custodiæ præfecto asseruandos mitteret, qui simulatque Ximenii classis incolumis ad eum portum appulisset, omnia illi necessaria ministraret. Non placuit Ximenio illorum sententiā, partim quòd stultè se facturum iudicaret, si tot secum milites in armis, & magnam ceterorum hominum multitudinem duceret, victum verò quo sint alendi, in alterius potestate haberi sineret: partim quòd ex rebus antea cōtis verebatur, ne postquam cum exercitu ad custodiæ Mersalcabiranæ præsidium appulisset, vt sunt militum animi contumaces & seditiosi, commeatus denegaretur. Siquidem non ita pridem Didacum Fernandum custodiæ præfectum ab rege redeuntem, in præsidium recipere tandiu distulerunt, donec aliquot mensium quæ debebantur stipendia, persoluerentur. Rursus Villalopus, qui commeatus curator erat, Vargæ (vt credebatur) suasu, cum iam nullus tergiverfationi relinqueretur locus, tandem animum auaritia infectum patefecit: negauit enim se quem habebat commeatum cuiquam daturum, nisi pecunia præfenti numerata: ea enim omnia suis sumptibus comparata esse, quare nihil regis mandatum ad se attinere. Indignè quoque hanc Villalupi cōditionem Ximenius tulit, & ad Vargam regium Senatorem scripsit, vt in epistolis reperio: Quòd si ea molestia, atque belli mora pecunia tandem redimenda erat, ex ecclesiæ Toletanæ subsidio suppliceretur, potius quàm ex summa in militum stipendium parata, quam vel quadrante imminuere, cum classē trans mare in terram hostilem duceret, non esset sani hominis consilium. Vargas in cuius rem non erat, vt hæc ad regis aures peruenirent, omnia ex Ximenii voluntate fecit: in eum tamen omnem culpam reiiciens, Didaco Lupo Ximenii procuratori dixit, vt non cuiusquam negligentiam archiepiscopus culparet, sed suam potius ignauiam, qui tandiu otiosus sederet. Cum hoc Ximenius rescieuit, hisce verbis respondit: Mirari se hominem prudentem, de re quam ignoraret, ad eum modum loqui: se enim omnium aliarum occupationum vacuum, ad hanc vnam rem expeditum esse: nihilque aliud operiri ad iter suum quàm primum maturandum, nisi vt hæc quæ de commeatu agebantur, inter ipsos rata constarent. Nam quòd nuper sibi Didacus Lupus scripserat, vt quoniam in extrema linea negotium versabatur, ipse Carthaginem proficisceretur (illum enim omnia ex eius voluntate extemplo confecturum) minime faciendum duxisse. Quoniam si quid iterum impedimenti obiiceretur, sua quidem permultum referre, pedem Compluto nō mouere. Quid enim ignominiosius aut pudendum magis sibi accidere posset, quàm si postquam vniuersam Hispaniam delectibus concitauisset, & ordinibus instructis modo non classicū cecinisset, antequam ad mare accederet ludibrio & despectui esset, & domum irrisus redire cogere-
 50 fuerunt adhuc alia quæ Ximenii profectionem remorabantur: nam neque or-

dinum militarium commendatarii, qui euocati fuerant, conueniebant, neq; milites stipendiarii ad diem præstitutum mittebantur. Sed quantis hæc illum moratura viderentur, primo tamē vere succedentis anni, qui eius seculi nonus censebatur, Nauarro ad se vocato, cæterisq; militariibus tribunis, quid sit cuiq; faciendum mandar. Malacā petiit Nauarrus, classē Carthaginē deducturus, & alii sunt aliō profecti, vt ex diuersis locis, vbi milites in hybernis expectauerant, Carthaginem quoque collecto exercitu, ad certum quendam diem properarent. Octauum à dominicā Resurrectionis festo, qui eo anno in diem xvii. Cal. Maii incidit, hunc fuisse in epistolis reperio. Ipse verò familiaribus suis ac domestica turba stipatus, necnon præsidiorum Pontificiorū custodibus, quos ad vnum Complutū accerserat, Toletum religionis causa proficiscitur. Erant verò tunc præsidiorum custodes, xxiiii. nunc autē post Castorlæ prouinciam in feudum datā quatuordecim tantum in libris quæstorum numerantur. Qui Ximeniū affectabantur omnes lucen-
 10 tibus armis, equis alacribus, & cæteris impedimētis, quæ bello sunt necessaria, bene instructi & ornati incedebāt. Nā omnibus sua liberalitate, præsul benignē quæ vsui necessaria forent, pro cuiusq; dignitate suppeditauerat. Præsidiorum custodes coccineis vestibus, peregrino grano tinctis, notiores quocunq; in agmine comitantū splendebant. Quare non solum spectantiū oculi pulchritudine agminis oblectabantur, sed victoriā quā illi precabantur, ex alacritate omnium diuinabāt. Toleti expeditionis suæ causis capituli patribus coram declaratis, & ecclesiasticis rebus compositis (Ioanni enim Velasco Calagurritano Antistiti, quē in Ximenii senatu principē locū tenuisse diximus, Toletanæ dioceseos curā commiserat, & commendauerat) supplicationib. assiduis per omnes aras & cœnobias pro victoria decretis, diuos patrios precatus, sed virginē matrē ante alios, cuius numē in Toletano templo semper præsens habetur, vt ea res faustē prospereq; eueniret, iustus itineribus ad exercitum suum Carthaginem contendit. Voluerat ex patribus capituli nō pauci Ximenium comitari, sed ipse proposito eorū collaudato, duos tantum admisit, qui eum Carthaginē vsq; sequerentur: vnde postquā Ximenius vela fecisset, Toletum erant cū suis familiis & comitibus reuersuri, ecclesiæ cōmodis studēdum esse dicens, cuius multum intererat eorū præsentia non destitui. Quin sua
 30 quoq; priuatim de causa in omnē fortunæ successum curare se vt incolumes essent. Nā parui semper momēti à viris sapiētib. sunt arma existimata, nisi domi, vnde vires in exercitū dimanāt, prudēs & fidū consiliū relinquantur. Ex duobus illis quos Ximenius delegerat, alter Fraciscus Aluarus scholasticus Toletanus fuit, qui (vt dixi) Academiam Toleti condidit, vir iuris peritissimus, qui prudentiā & industriam non vulgarem multiplici rerum vsu cōparauerat. Hic octoginta ex familia sua comitantibus, habitu militari speciosē ornatis, Ximenii animum valde oblectauit. Alter Carolus Mendozius fuit, sanctæ Leocadiæ abbas, qui postea ad Decani dignitatem ascendit. Hic maiorū nobilitate & propria virtute clarus, Ximenii cubiculo iā olim præfectus, atque huius belli Africani maximus suscipiendi suafor fuerat. Toletum itaq; sub finem mensis Februarii, die cinerum proficiscitur, atq; per suam ditionem quā commodum erat iter faciens, Romeralios & Lilienses præteruictus, egenorum inopię succurrebat: atq; eorum vxores, qui militiæ nomen dederant, solabatur: monebatq; vt bene sperarent. Lilio ad Didacum Lupū Aialam v. Cal. Martias literas dedit, quibus se iter institutū profequi dicit, & pridie nonarum Carthagini adfururum. Et quoniā criminatores non cessabant de Ximenii inconsiderantia apud regē obloqui, quasi pecuniam paratā ad classis traiectionem nō haberet, vt regem adeat iubet, & certiorē faciat se tantam argēti signati summā Malacā ad classē reficiendam misisse, vt omnibus abunde prouisis, plusquam decem millia aureorum ad alios vsus essent superatura. Ergo per Marcā (vt vocant) Aragoniæ, & per Murgitanos ad diem præstitutū Carthaginem venit: vbi cuncti eius præsentia exhilarati, nouo quodam ardore rem inceptam perficere cupiebant. Nam ex templo Nauarrus, ad eum Malacā profectus, venit, & omnia diligenter à se prouisa, quæ ad classē instruendam pertinebant, ostendit: sed quo minus Carthaginē appulerit, Eurorum flatibus hætenus pro-

prohibitam fuisse, tamen intra decimū diem, quandoquidē illi status remittebantur, sperabat Carthaginē peruenturam. Scripserat Ximenius ad Spinofam tribunū militarē, de stipendiariis cohortium regiarū militibus daret operam, vt quamprimum collectos antequam classis solueret, adduceret. Quod si euocati per regem non essent, tumultuarium exercitum cogeret: neq; enim par erat, vt classis idoneam tempestatē nacta, retardaretur. Nihil ad id tempus Spinosa rescripserat: sed vir prudens statim coniecit, regios ministros ea in re negligentes fuisse, neq; villani euocationem esse factam. Quare Valdesium cohortis prætorię ducē cum duobus aureorū nūmūm millibus, ad Spinofam mittit, & vt quanta celeritate possent manum aliquam militum facerent, quæ in euocandorum locū succederet, imperat. Porro dum omnia quā cōmodē composita Ximenius esse cupit, illud etiā, quod celerius regi nūtiari quid in Africa ab eo gereretur posset, prouidit, vt modicis interuallis, per planiores vias equi disponderentur. Currendi autē & properandi curā Mirandæ veredario, magnopere cōmendauit. Id quod diligentius fieret, binos & videnos aureos nummos in mensē tum ei, tum eius sodali, quem in partē laboris recepturus erat, assignat. Tantā verò victoriæ spē conceperat, vt quoniā eo ipso tempore, regē in Italiam ad Neapolim cōtinendā peditum cohortes mittere cognouerat, ad eum scripserit, se simulatq; Africanam expeditionem confecisset, partem exercitus in Italiam missurum, seq; ipsum etiam, si opus esset, traiecturum: quare ad se quid fieri veller sigillatim scriberet, omnia enim ex reipublicæ utilitate, & dignitate regia curaturum. Rurfus dum in anchoris ventū expectat, ad Lupum procuratorem scripsit, se felicem euentum de re suscepta sperare. Regem ergo suo nomine commonefaciat, vt de tuenda Orano iam cogitare incipiat: neque enim minorem diligentiam, aut impensas ad eam postea retinendam, quā ad expugnandam in præsentia requiri. Quoniam verò Didacus Vera tormentorū præfectus, eo tempore reip. rebus occupatus aberat, vt regē de dādo Veræ vicario consulat iubet: sibi enim Fernandum Veræ filium ad paternum munus obeundū satis aptum videri. Dum hæc Carthagine geruntur, bimestre tempus est elapsū: neque enim vt constitutum fuerat, sub mensē Aprilem proficisci licuit, nouis
 30 subinde difficultatibus, quæ nauigationem impedirent, emergentibus: quarū hæc fuit potissima. Cū Carthaginem omnes conuenissent, nihilque ad vela faciendam deesset, tumultuarii milites ceperunt, neque se inde discessuros minari, nisi stipendiis numeratis, quæ sibi cū militiæ sacramento obligarētur, duces spondidissent. Huius tumultus authorē, Arnoldum quendam Complutensem fuisse dicūt, vitem homuncionem, atq; sordido cœtonarii tutoris opificio à pueritia addictum. Eò res processit, vt bona pars exercitus secederet, & collē proximum occupauerit, atq; pila & gladios ostentātes, difficilem pacationē promittere viderentur. Ximenius ea de re grauiter (vt par erat) cōmotus fuit: nam cū paulò antè Petrus Nauarrus nouarū rerum cupidus classē aliō diuertere tentasset, neque adhuc quid ille
 40 moliretur satis certus esset, stipis numerationem, donec in Africam appellere-tur, consultò distulerat. Vianellus, cui ius castrorum datū fuerat, potestate traditā exercens, si quos ex seditione similitibus cōprehendere poterat, morte multabat: nā aut laqueo gula frangebatur, aut pilis transfigebantur, vt more militari solet fieri. Id cū Ximenio nuntiatū esset, Garfiam Villaroellum Castorlæ præfectū ad eum mittit, qui suo nomine vt mitius ageret admoneret. Nam quantis ea esset castrensis consuetudo, Pontificiam tamen personam lenitas potius & mansuetudo, quā immodica feueritas decebat: præsertim cū bonam militum partem ex pontificalibus municipiis, à liberorum & cōiugum complexibus, ad belli labores ipse pertraxisset. Id fortasse durius quā par erat Villaroellus Vianello exposuit: vnde procius aliquid in ipsum & Ximeniū effudit. Cuius superbum & insolens responsum, quale solet esse militum, non putauit Villaroellus verbis retundendum, sed ferro potius decernendum. Gladio ergo stricto hominem adortus, caput grauiter percussit. Sed Ximenii indignationē veritus, in arcē continuò se recepit, cuius custodiam Villaroellus quidā tenebat, huic de quo agimus genere propinquus. Vianellū vulneratū fuisse permolestē Ximenius tulit, nec minus ad arcē Villaroellum con-

fugisse doluit. Reddebat autem causas non ineptas, cur nec ille vulnerari, nec hic dare se fugæ deberit, viris etiam militaribus approbantibus. Venti ex voto flare cœperant, sed expectandum fuit donec Vianellus conualesceret, præsertim seditione militum adhuc durante. Sed Salazarus Toleianorū dux, vir eloquentia militari præstans, & plerisque militibus notus, communi sententia electus est, qui ad milites tumultuantes orator mitteretur. Is ergo militū sic pectora flexit & leniuit, vt de concordia agere cœperint. Sed quia hæc solida esse non poterat, ni stipēdia soluerentur, & Ximenius tam milites quàm Nauarrum de abitu suspectos haberet, opportuno Fr. Aluari consilio decretum est, vt per præconem omnes vocarētur ad pecuniam, in nauibus recipiendam. Adducuntur sacci nummorum aureorum pleni, festa fronde coronati, cunctis videntibus, & tympanorum tubarumq; sonum audientibus, quæ pretiosum metallum in nauim prætoriam comitabatur, vbi quæstor sedebat, stipēdia quæ cuique deberentur, numeraturus. Hoc spectaculo ita sunt omnes inflammati, vt incredibili festinatione ad vnum naues conscenderint seditionis obliui. Ximenius ea militū alacritate impensè lætus, ipse quoque in idus Maii die dominico portu statim soluturus, nauim ingreditur: sed vsq; in diem quartum in anchoris manere coactus est, propter parum idoneam tempestatem. Duces interea ad se sollicitus vocabat, & singulis quibusq; tribunorum ac centurionum, officium mandatū in memoriam reducebat. Hæc quæ de militum tumultu diximus, tales causas manifestas habuerunt: caterū vt ex Ximenii epistolis ad regem sub id tempus scriptis colligere licet, tota eius seditionis culpa, in Petrum Nauarrum, veluti in fontem & principium reicitur. Is enim Italicis rapinis affluens, omniaq; ex voluntate tribunorum, qui cum eo in Italia meruerant, agens, ex quibus non parum multos huius belli comites secum ducebat, pactis quæ chirographo cum Ximēnio firmauerat neglectis, clanculariis obreptationibus & mendaciis, militum animos abalienauerat, dum fidem Ximenii apud eos eleuat, & mercedem promissam calumniis dubiam facit. Nam cum inter eum & Ximenium conuenisset, pecuniam non vt aliàs consueisset, tribunis committendam, sed per quæstorem suum, ipsis militibus viritum diuidendam: quandoquidem experimento cognitum erat, id in detrimentum militum vergere: qui sæpenumero aut stipendio fraudabantur, aut si id non contingeret, diutius dilato, rerum necessariatum, donec tribunis liberet, indigentia laborabant: aut certe militum numerum tribuni mentientes, quod & nunc quoque passim fit, sibi per maximā auaritiā quicquid supererat vindicabant. Ea igitur pacta conuenra simul atq; tribuni Carthaginem appulerunt, per Nauarrum recisa sunt: & aut de summa rerum periclitandum erat, aut tribunis pecunia numeranda. Conuenerat etiam, vt dimidia pars prædæ hostilis quæcunque caperetur, ad id bellum gerendum cederet, atque apud sequestros ad militares vsus primo quoq; tempore deponeretur. Sed hoc etiam irritum Nauarrus fecit. Nam per illos dies, quibus Carthagine Ximenius commoratus est, oram maritimam infestabat, & nonnulla ex hostibus capta sunt, quæ prædæ nomine cenferi debuerant, nihil tamen in commune attulit, sed militaribus elusionibus ad priuatos vsus, & nonnullorum aliorum conuertit. Ximenii verba hæc ad Franciscum Ruizium sunt: His me artibus Nauarrus tractabat. Quod si quid ex peritis renuerē, aut me quod ageretur sentire indicarem: illico milites ad tumultum concitabantur. Sed quoniam personæ meæ ratio, vt id more militari vindicarem, non permittebat, & Nauarrum habebam, qui id ex imperio commissio vindicare potuisset, nō modò illum hac in re adiutorem aut collegam nō habui, sed omnino aduersarium sensi. Verum omnia potius mihi toleranda duxi, quàm in eo temporis articulo vniuersum negotium subuerrere: quod nisi ita facere animum induxisset, profus fuit euenturum. Habes causam Carthaginensium seditionum, quæ me non mediocriter discruciauerunt. Quocirca creditum est, Villarocellum Ximenii cōsiliorum parricipem, aliquid huiusmodi bile percitum Vianello exprobrasse, qui Nauarro consentiebat, & in militibus, quasi illorum peccatum esset, seuerius (vt diximus) animaduertebat. Classis ergo octoginta actuariis nauibus, decem maximis triremibus, quas nunc regias galeras

leras vocāt, constabat: præter per multa nauigia minora, & scaphas maioribus seruiētes. Vehabantur aut decem millia peditum, equitū verò quatuor millia, & lixarum calorumq; numerus necessarius. Postridie idus Maias ventum secū dum nata classis est: quare sublati s̄choris, hora ferme diei tertia, portu Carthag. soluit. Ex literis Aluari scholastici ad Diegum Lupum Alalam satis constat, Cardinalem corporis maciē ex solitudine contraxisse, non tamen ob id animi vires imbecilliores factas, & magna totius exercitus alacritate vela quo diximus die fecisse, certissima victoriæ spe concepta. Ad eò iusti belli causam militum animos excitare & inflammare valet, præsertim ob religionem suscepti. Postridie eius diei multa iam nocte, Ximenius ad Africam secundis ventis appulit. Is autem dies religiosissimus eo anno fuit, quoniam Christi seruatoris in cælum ascensus eo die celebrabatur. Classis sub meridie ab speculantibus Mauris visa est, cum distarent quadraginta millibus passuum. Omnia montiū cacumina signo ex arce, quæ Facis appellatur dato, fumare cœperunt. Quo sanè significabatur hostium exercitum iā aduentasse, & idcirco oportere, vt cuncti ad eos repellendos sese cōpararent. Ximenius, Mersalcahirano præfecto recipiente, portum ingressus est. Obtexerant iam omnia crassa tenebræ, cū Ximēnio nuntiatum est, classem vniuersam ad eundem portū saluam appulisse, & hostes magnopere cōterritos, nostrorū audaciam & virtutem considerantes, qui locis ignotis & hostilibus, per noctis caliginē sese cōmitterent: tantaq; animorū præsentia, nō expectata luce, neq; stationibus exploratis, portū tamen tenuissent. Mirum sanè fuit, naues sibi vicissim cladi non fuisse, dum portus angustias nocte illuni subeunt, altera in alteram impingēs. Per eam noctem Ximenius somnum non capit, sed sollicitus in anchoris manit, dum singulis quid postero die faciendum esset per partes diuidit. Nauarro, qui & ipse quoque vt Imperatorem optimum decebat, forti sermone cunctos ordines ad prælium incendebat, eius diei victoriā commendauit. In eo enim solo totius rei summam versari, & soli tantæ rei gloriā referuari, multis audientibus dicebat. Ad se enim præter impensas, & solitudinem omnes cohortandi, & regē admonendi quemadmodum quisque se in eo bello gereret, nihil, aut certè parū pertinere. Multi ex ducibus eius alloquio fiducia pleni, lucē non esse expectandā existimabant: sed in primis Ximenius, cui omnis mora, non modò longa & grauis videbatur, sed suis conatibus impediēto & damno esse. Itaq; inter omnes conuenit, vt quoniam plurimum momenti ad victoriam haberet, prærupti cliui occupatio, quæ inter Oranum & portum consurgere diximus, de media nocte irruendum esse putabant, dum nihil tale hostes timebant, & præsidium in cliuo positū negligentius custodiebatur. Nec esse Numidarum multitudinem expectandam, qui vigiliarum fumis admoniti, ante auroram omnes illos colles essent præoccupaturi. Interea actuariis nauibus, & triremibus per oram maritimam ad urbem accedendum esse, vt eodem tempore tormentis è nauib. Oranum quateretur, & præsidium è cliuo deturbaretur. Necessarium enim esse, vt dum vni rei succurrere laborāt, alteram destituant: quare alteram capi oportere. Sed postquā pedites omnes è nauibus ante lucē egredi cœpissent, Nauarrus incertū quo cōsilio, scaphis & cymbis ablatis, quibus equi erāt traiciendi orā legens, ad Oranū contendit. Hic vt retulere qui per id tempus vixerūt, nunquā probauit classem tā numeroso equite onerari: esse enim dicebat ardua & difficilia loca, nihilq; minus quā equitati apta. Ergo animi sui sententiā secutum, de egressione equitum, vt parū necessaria, nequaquā curasse, sed vniuersis nauigiis arreptis, eorum ad urbē specie, terrorē hostibus iniicere voluisse. Id postquam Ximēnio renuntiātū fuit, existimans Nauarrū, vt impetii æmulū, in suam id cōtumentiam fecisse, indignabundus ex arce, quo se ad curandum corpus receperat, subito exiit, & equites quamprimum qua ratione fieri potuit egredi iubet, atque ad auxilium peditibus ferendum vrget. Ne quid tamen à mari, aut à tergo ex vallibus, quæ ad prærupti collis radices profundissimæ iacent, detrimenti à nostris caperetur (est enim gens Punicæ, insidiosa, & fraudulenta) orā maritimæ, & vallium faucibus præsidium apposuit. Hac cura & diligentia, plus exercitui salutis & auxilii ad victoriā attulit, quàm cæteri omnes dum strenuè pugnant. Postea enim

compertum fuit, complures ex Mauris in insidiis collocatos fuisse, qui nihil hostile ea de causa tentare sunt ausi. Quod nisi Ximenius prudentissimo consilio cauisset, pauci ex hostibus repente nostros adorti, magnū terrorem inopinantibus & perniciem intulissent. De quibus ipse ad Franciscum Ruizium scribens, illius aggressio- nis confusionem deplorat, & culpam omnem in Nauarrum detorquet, atque Dei vnus fauore & ope, acta illius diei ad felicem exitum prouenisse affirmat: nec se, quanuis id sedulo curauerit, efficere potuisse, vt tertia pars equitum ē nauibus in tempore descenderit. Quod si suis consiliis Nauarrus paruisset, omnes ad vnū Nu- midę equites, qui in auxilium Maurorum venerant, proculdubio cecidissent. Qui primus ex equitibus in Africam descendit, Carauajalus quidam esse fertur, Pon- 10 tificium edium, quę Complutiample sunt, eo tempore curator. Quare rei præclare gestę Ximenius memor, strenuum equitę, qui Carauajalū referret, ē nauis sedulo desilientem lata in tabula depingi, atq; in diui Bernardini æde, quā ille postea Ora- ni dedicauit, affigi iussit, quę in hunc vsq; diem incolumis visitur. Multum alacritatis & animi, præsentia sua exercitui eo die Ximenius attulit. Nā ē Merfalcabirana arce fuorum caterua stipatus, cum ad portum (vt diximus) egredereur, nouitate & insolentia spectaculi, ducum animos & militum perculit. Neq; enim imperatorem suum splendenti clypeo, aut casside ex chimæra ignes vomente formidabile intue- bantur, sed pontificalibus indutum, sacerdotibus & religiosi viris ex v- 20 troq; latere stipatum, & cruce argentea pro vexillo præeunte, quam Algora cano- nicus Seguntiensis ex officio gestare solebat, tunc verò frater Fernandus, validis lateribus, & procera statura homo, quo ex Franciscanis sodalibus Ximenius fami- liariter utebatur, equa alba insidens gerebat, gladio Hispano super saccum Fran- ciscanum accinctus, quemadmodum & cæteri religiosi viri, qui eo die, iubente Xi- menio, armis se munierant. Hora ferme diei sexta, omnis peditatus in quatuor a- gmina per tribunos militares dispositus, totā illam planiciem occupabat, quę an- te arcem Merfalcabirana est. Sed quoniam in tanta festinatione milites debilitata corpora curare non valuerat, atq; Veneris die qui tunc illuxerat, carnibus vesci re- ligio erat, trepidantes cunctorum animos (neq; enim quid ederēt, præter laridum & porcina, ex classis commeatu suppetebat) Ximenius bene ominando religione 30 exoluit, & qua pollebat autoritate, facultatem carnes edēdi dedit. Ergo postquā cibo refecti sunt, ad se omnes conuocat, & ad hunc modum allocutus est: Si existi- marē Hispani viri, fortibus animis, vllis verbis aut necessitudinib. fiduciam addi, haud ego ad vos in præsentia, homo parum ad loquēdum instructus, & in castrensi vita nunquam versatus, sed vnus aliquis ex vestris ducibus prodiiisset, quem & elo- quentia præstare, & vobis benevolentia & laborum communiōe coniunctū esse intellexissem. At quoniam mihi persuasum est, vos omnes ad hanc Africanam ex- peditionem inflammatos esse, in qua & Dei opt. max. causa agitur, & reip. conser- uatio vertitur: quid autem religioni & patrię omnes debeamus, neminē vestrum arbitror ignorare: cum bellum inquam sacrum geramus, pro aris & focis, vt dici 40 solet: volui hoc potissimum tempore, quando ad alex iactum deuentum est, ego ipse alacritatem vestram intueri, & animorum præstantiam contemplari. Audie- batis multis iā annis, littora Hispana ab hostibus nostris miserē vastari: abduci li- beros vestros in durissimā Afrorū seruitutem: filias & vxores indignē violari: ter- rorem deniq; maximū omnium capitibus imminere. Cupiebatis cū illis cōstigare, tot iniuriarū vindictam sumpturi. Id vt vobis liceret, cum à me crebris vocibus pa- tria efflagitasset, decreui tandem selectos milites, quales vos estis, per viros præ- stantissimos congregare. Viderunt ex cunctis Hispanię vrbibus matres familias nos egredientes, & ad aras templorū fusę nostrā victoriam Deo commendarunt. Expectant cū triumpho nostrum reditum, liberosq; suos ex Maurorum ergastulis 50 vestra virtute solutos, in amplexu se iam iam habituras sperant. Habetis ante ocu- los, quem tādū optastis diem. En illa regio infesta & inimica, adsunt hostes adhuc insultantes, & vestrum sanguinem impotenter sitientes. Quare præsentibus estote animis, atq; orbi vniuerso hodie declarate, non tam robur vobis ad patriam defen- dendam hucusq; defuisse, quam occasione & insignem aliquē ducem, qui vos ad hanc

hanc laudem obtinendam instigare & conduceret. Ego ante alios primus memet periculo obiiciam, qui sic animatus huc tandem prodiui, vt aut strenuē dimicātes hodie victoriā adipiscamur, aut si id minimē superi concesserint, quod abominor, omnes pariter cōfossi concidamus. Nam vbi melius Antistes Deo sacer occūbet, quā pro religione depugnans? Nec ego primus hanc gloriam videbor affecutus: sic enim multi, qui me in Toletana dignitate antecesserūt, mortē pulcherrimā pu- gnantes opperire. Hęc dicens acie procedere iubebat, seq; militib. comitē dabat. Cuncti eius oratione mirū in modū incitati Ximeniū circūstetere, orantes vt pu- gna abscederet, ipsiq; prælii cōflictum cōmitteret: eam. n. operā religioni & reip. 10 nauaturos, vt ipsum suscepti negotii nunquā pœniteret. Cessit cōmunibus omniū precibus Ximenius: atq; atatis & personę suę memor, in Petrū Nauarrum cā cu- ram reiciens, Merfalcabirana arcem se recepit: sacram ædiculā ingressus, quę di- uo Michaeli dedicata est, in genua procūbens, passis manibus in cælum intentus, multis lachrymis Deum precabatur, vt suis Christianis præsidio esset. Petrus Na- uarrus vt ingentē Maurorum & Numidarū multitudinem colles occupasse vidit, ne nostri quos maritimi æstus, & labor eius diei lassauerant, impares in congressu essent timuit: belli aut principio parū prosperē nostris succedente, fiduciam & vi- res hostib. auctum iri nō dubitabat. Quare secū deliberare cœpit, an in posterum diem cōflictū differret, intereaq; hostes in timore cōtineret, an alacritatē militū 20 secutus, tandē de summa belli eo die decerneret. Vt cunctationē magis approba- ret, diei tempestas in primis faciebat (erat enim hora propemodū nona) metuebat igitur ne iam appetentibus tenebris prælium inceptum intermitteretur, & noctis interuentu noua exoriretur rerum facies: paruo enim momento belli res plerun- que in alteram partem inclinat. Animi itaque dubius ad Ximenium redire de- creuit, eius sententiam antequam quicquam tentaret rogaturus. Is experientissi- mi Imperatoris dubitatione permultū commotus, neq; quid consuleret satis cer- tus, cū se collegisset, in hac (inquit) vir fortissime pugna, Christus summi Pattis fi- lius, & seductor Maurorum Mahometus in certamen descendunt, omnem cun- ctationem non solum damnosam, sed impiam esse arbitror. Quare omni deposti- 30 ta formidine, milites tuos, vt cum hostibus manus conserant iubeo: certa enim mihi spes est, te hodie victoriam magna cum laude reportaturum. Diuinum id potius oraculum, quā vllius hominis consilium fuisse, quę sunt postea insecu- ta declararunt: nisi enim eo die pugnatum fuisset, Oranum capi non poterat. Vix post tres horas à capta vrbe, Trimesenius Messuarus, qui autoritate & potentia à rege est secundus, cū magna peditum & equitum vi, in auxilium Orani venit: qui vrbs captiuitate & direptione cognita, nil tentandum contra Hispanos victores ratus, ad regem suum rediit. Ergo Nauarrus ad exercitum reuersus, qui in quatuor agmina quadrata erat diuisus, quorū singula bis mille & quingentis militib. con- stabant, sibi vnū agmen asciiuit, quo per omnes partes discurrens, cæteris laboran- 40 tibus auxilio esse posset. Tormenta bellica, quę Ximenii diligentia, simul cū equi- tibus, in tanta festinatione ē nauib. educi potuerūt, puluere tormētario, reliquisq; apparatib. instructa subsequi iussit. His ad hunc modū constitutis, tubis classicum incinentibus, & omnibus Iacobū diuum Hispanię tutelare in clamātibus, rectā ad cliuū occupandum, & inde hostes deturbandos, infestis signis & armis contende- re imperat. Illi verò haud segnes, per loca aspera & difficilia, gradu militari, prout tubę cymbalæque præcinebant incedentes, iras taciti in Mauros acuebant. Illi ē montis vertice partim telorū iactu, partim crebra lapidū ingentium volutione, no- strorum ascensum omni ratione prohibere nitebātur. Qui ē Mauris pauld̄ auda- ciores erant, ab stationibus non nihil discedentes, loci opportunitate confisi (fa- 50 cilis enim erat ad suos regressus) nostros ad manus conferendas prouocabant. E- rant quidem nostri Ducum & tribunorum imperio iussi, ne locum vlio pat̄o de- serere auderent, antequam verticē occuparent: non tamen defuerunt, qui Mau- rorum insolentiā ferre nō potuerint. Inter quos nonnulli Guadalajarenfes, prom- ptiori animo & manu, facinus aliquod strenuum ante alios edere cupientes, lon- gius ad prouocatores progressi, temeritatis pœnas dederunt. Nam Ludouicus

Contreras interemptus fuit, & reliqui vt ad suos reuertentur, vi sunt coacti. Mauri vero, propter primi congressus fortunam læti, amputatum Ludouici caput, veluti Christianorum pereuntium primitias, ad urbem ferendum curant, quod in nostrum ludibrium pueris per vicos rotandum est traditum. Erat Ludouicus altero oculo orbarus, quod cum vetulae auguratrices, quarum ingens numerus apud Mauros est, animaduertissent, dira superstitione tactæ ad suos inclamare ceperunt, certam esse Orani captiuitatem: proinde saluti suæ quisque pro viribus in tempore confuleret: id aperte numina declarare, cum is qui ex hostibus ferro primus occubisset, luscus esset. Tantus tamen vulgi de capite abscisso mutuo sibi gratulantis concursus fuit, vt ad subterranea ergastula, quibus Christiani vincti asseruabantur, dolorem & miserias aucturi detulerint, Alfaqini esse dictitantes: ita enim ex suorum pontificum nomine, Archiepiscopum nostrum appellabant. Id cum Franciscus quidam Deolodatus audiuisset, qui in Ximenii familia aliquando vixerat, & in Merfalcabirana oppugnatione à Mauris captus toto quadriennio in vinculis fuerat, caput sibi ostendi postulat. Postquam faciem, & oculi etiam orbitatem perspexit, non hoc (inquit) caput Alfaqini nostri est, vt vos vanè putatis, sed alicuius gregarii militis. Interea nostri in aduersum niti, ad montem occupandum: sed festinantes à nebulis aris, quæ subito & montis cacumen, & ipsos etiam Mauros è conspectu abstulit, retardati sunt. Hunc tamen casum in augurium secutæ cladis Mauri acceperunt, vt ipsi postea dicebant. Nostri ergo pertinacibus & constantibus animis, tantum reptando & contendendo effecerunt, vt capacissimum aquæ locum, à quo in prima statim montis ora venæ nitidissimæ defluunt, quem Mauri ingenti contentione defendebant, sibi per vim & per neces occupauerint. Erant ob viæ difficilis molestiam, & festinandi studium, in solo præsertim ardenti & æstuoso, nostri fatigati: quibus multum roboris & fiduciæ dedit aqua eo tempore occupata. Quare tormentis inter ficeta & suburbanas quasdam habitationes collocatis, Maurorum agmina gladiis ferreis & non mediocris magnitudinis lapidibus malè multabant. Nauarrus & aliquot selecti milites, tantâ ferro stragem ediderunt, vt terribili metu debilitati Mauri, vim illorum sustinere nequiverint, sed terga dantes montem deseruerint, nostrosque liber transitus sit relictus. Maurorum fuga conspecta adeo animosè nostri sunt infecuti, vt militaris ordinis obliti, & ducum imperia parum attendentes, per subiectam Orano planiciem sese aduersus fugientes effuderint. Hæc turbatio & ordinum confusio, qua sese milites per campos insequendi auaritate ad urbem tam latè explicarunt, non inutiles fuit vt timebatur: nam terrorem maximum Mauris incussit, multo maiorem exercitum quam erat, ea specie existimantibus. Interea classis non cessabat Orani muros quatere, quantumvis Mauri pro virili sese defendere satagerent, & crebris tormentorum ictibus nostros impeterent. Accidit verò vt tormentarius magister, tam bene collineauerit pilam ferream contra præstantissimam Maurorum machinam, vt illam confregerit, & loco deturbauerit. Exinde hostium ictus remissiores fuerunt, adeo vt nostri è triremibus desilientes, terrestribus copiis sese coniungere potuerint. Coniuncti fortissimè dimicantes effecere, ne fugientibus hostibus pateret aditus in urbem, sed coacti fuerint, præter casam (quod aiunt) fugere, viis omnibus per nostrum militem occupatis. Dum hæc geruntur, sex Christianorum signa in summa vrbs arce sunt conspecta, & paulò post intra semihoræ spatium, omnia mœnia nostrorum vexillis tenebantur. Nam nostri milites per hastas mirabili pernicitate reptantes, dicto citius omnia præsedis obsederant. Tanto ergo impetu consensum fuit, vt postea id per otium considerantes, vix fieri potuisse crederent ipsi authores. Nam parta victoria, cum idem efficere laborarent, nunquam successit: nunc murorum altitudine, nunc hastarum polita læuitate, & flexibili materia, militum studium & conatum retardantibus. Adeo ad res præclaras gerendas necessarius est ille ardor, quo animi incalescunt cum res vera agitur. Sola cohortis pontificiæ præfectus, fuit primus qui reptando in muros conscendit: nam diu Iacobū & Ximenii auspicia inclamans, & è summis mœnibus Ximenii vexillum ostentans, victoriam partâ nuntiavit.

uit. Complures intra urbem è muris desilientes, portis reueratis, aditum reliquis militibus dederunt. Mauri re insperata perterriti, & suorum militum præsidio destituti, ob subitam nostrorum irruptionem, multi se in facella (quas mesquitas vocant) receperunt, alii in munitas quorundam diuitum ædes, nonnulli quibus animus erat promptior, patentioribus locis conuenerunt, vltima aduersus hostes experiri parati. At vbi vniuersum nostrorum exercitum urbem ingredi viderunt, totamque illam formidatam aciem per omnes vicos circumfundi, veriti ne omnino spes fugæ interciperetur, vt bis portas periuerunt, si fortè cum irruptentium confusa multitudinem ipsi elabi quoquo modo possint. Ex nostris equitibus, quibus vt diximus Villaroellus Castorlanus præerat, plures quàm ducenti, id quod futurum erat rati, ante portam Trimeseniam consistentes, quæ hostibus fugiendum erat, penè ad vnum omnes confodissent, nisi subitus Villaroelli casus eis salutem insperatam attulisset. Ille enim ab hostibus nihil periculi esse cogitans, quos in diuersa dispersos esse nouerat, prædæ solum inhiabat. At centum & quinquaginta Arabum equites, qui non minus quàm nostri prædandi erant cupidi, vt mos gentis illius est, in socios victos omni perfidiæ genere insultandi, in hortis suburbanis delitescabant. Hi vltimos equitum subito adorti, tantum Villaroello terrorem iniecerunt, magnum aliquem exercitum à Trimesenio rege venisse existimanti, vt dum ad nostros inconsultè se recipit, equum amiserit Arabis hasta perfoffum. Hoc vltus è cornicinibus, qui equites sequebatur, videns, Proh pudor (inquit) Hispani equites, cur fugitis vestros captiuos? Hi Arabes nuper vestras manus effugientes, in hosce hortos se receperunt, si quæ possint mortem effugere. His verbis nostri sese collegerunt, & impressione facta, Arabes in fugam verterunt, nonnullis occisis. Decem ex nostris Arabum hastis confossi perierant, antequam se colligerent: inter quos Pezannum Pezuelensem, Didacum Quiralum, Franciscum Væzium, Ferdinandum Cauiam Complutenses, cecidisse accipi. Exercitus qui Oranum victor occupauit, tanto ardebat odio contra alienæ religionis homines, vt nulli ætati aut sexui pepercerit: omnia ferro & igne vastabantur. Hanc stragem pulchris carminibus Gonfalus Ægidius in commentariolo de bello Africano, descripsit. Igitur nostri humanitatis obliti, vt in victoria fieri solet, nullum seruiendi finem facturi videbantur, nisi nox lucem ademisset, & receptui signa fuissent data. Quisque ad suam stationem & ducem properabat: sed tanta erat militum confusio, qui Maurorum domos diripiebant, seque spoliis tum argenti facti, infectique, tum variæ suppellectilis locupletabant, vt nullo modo contineri potuerint. Rursus ergo ad direptionem redeunt, atque omnia vrbs loca, paucis exceptis, occupant, occiso ingenti hostium numero: & epulis, quas sibi illi in cenam parauerant, diei famem nostri depulerunt. Sed tandem somnus ex labore & vino obortus eos oppressit, & cruentis hostium cadaueribus tanta securitate & fiducia indormierunt, vt permulti in Orani vrbs plateis ad multam diem stertuerint. Nauarrus interea vigilantibus centurionibus per opportuna loca dispositis, excubias fieri diligenter iubet: & insidias Maurorum timens, nunquam militare sagum exiit: quod illi perpetuum in bello fuit, erat enim somni parcissimus. Postero postquam illuxit die, Nauarrus omnia strenui Imperatoris munera executus, urbem circumlustrat. Cum tot passim cadauera miserandis vulneribus perfossa nostri contuerentur, hostili furore & rabie, quæ in pectoribus humanis ex bellica contentione innascuntur, mitigatis, misericordia & communis fortunæ recordatione tacti, palam illachrymabantur: & ad deditonem eos perhumaniter inuitabant, qui vel ad mesquitas, vel ad loca aliqua tuta confugerant. Perculit potissimum nostrorum animos lactens infantula, quæ in media via matri interemptæ adreperat, & vellicata per blanditias papilla, colludens fugere tentabat. Hanc Georgio Baracaldo, qui Ximenio ab epistolis fuit, dum sub corona captiui veneunt, exiguo pretio cessisse Ægidius scribit, & à se postea in Hispania visam. Huius per similem casum Aristides Thebanus, qui Apellis æqualis fuit, pinxisse fertur. Oppido enim capto ad matris moribundæ mammam infans repperat, adeoque mirum artificem fuisse aiunt in affectibus exprimentis, vt mater sentire videretur, & timere ne pro lacte sanguinem

infans lamboret. Illico Nauarrus ad mesquitas & prædiarias domos expugnandas milites quosdã selectos mittit, ipse circumcirca regionẽ explorat: vt priusquã Ximenius ex Merfalcabirana arce Oranũ veniat, omnia tuta foret. Illi qui ad mesquitas capiendas sunt profecti, tãto impetu hostes sunt adorti, vt quauis egregie seq̃, & loca tuerentur suscepta, inde tamen nostrorum militum virtute deturbati, tandẽ victoribus cesserint: totaq̃ vrbs in deditiõẽ sit redacta. Arianarorum fratrum virtus quos Cantabria miserat, principiũ loca illa capiendi dedit. Nam cum ad mesquitã maximã præclare vtrinq̃ dimicaretur, hi, comitesq̃; nonnulli robore suo freti, ædis fastigia reptando occupauerunt: in quos cũ tela ab hostibus frequentia iacerentur, essentq̃; animi dubii, an in Maurorũ confertissimã multitudinẽ sese immitterent (nam diutius eo in loco cõsistere nequibant) nihil amplius cunctati, se in medios hostes, magna animi præstantia præcipientes dederunt. Sic ad vnum hostibus captis, maxima mesquita in potestatem nostram venit, & reliqua deinceps loca, in quibus Mauris spei aliquid, aut fiduciã remanserat. Viri multi insignes & præclari ex hostibus cecidisse dicuntur, sed promiscui vulgi quatuor millia, & aliquanto plures. Certẽ omnes plateæ & viæ, ad eadã caueribus erant plenæ, vt necesse esset ambulantium pedibus conculari. De captiuorum numero, parũ conuenit inter eos qui per epistolas tunc amicos certiores de his rebus fecerunt. Alii.ñ. quinq̃; millia fuisse, alii octo scribunt: vt Hieronymus Iulianus scribendarum epistolarum Baracaldo socius. Ex nostris triginta sunt desiderati, qui ferme in montis expugnatione perierant. Præda adẽdõ ingens & opulenta fertur, vt non solum tribuni militares & duces, inter quos quendam fuisse certum est, cui decem millia ducatorum obuenerint, sed ipsi quoque gregarii milites, atque adẽdõ calones & lixæ, auro & argento diuites discesserint. Quingentis millibus nũmũm aureorum Orani præda integra æstimata est: quod neutiq̃am mirum videbitur, vrbs opulentiam & diuitias reputanti. Mille & quingentas tum mercatorum, tum artificum officinas Hieronymus Iulianus se per id tempus Orani numerasse tradit: quod si admittimus, vix in tribus præcipuis Hispaniã oppidis, in quibus mundinã frequentes sunt, tot reperientur. Non defuerunt ad bellum Africanũ suscipiendum, neque postea in prælii discrimine ostenta, quæ neutiq̃am recensuissim, nisi eius temporis scriptores constanter ea non modò asseruerant, sed sacris concionibus in templis euulganda, multis obtestationibus tanquam rem admirandam commendauerint. Aliquot antẽ diebus, cum dilatio nibus de quibus diximus, in Hispania Ximenius detineretur, ad Vaionam Carpetaniã vicum, vbi Tagusa modicus fluuius, non longẽ à Toletõ in Xaramam capaciorem confluent, frequenti per cymbam vectorum traiectu, locum ignobilẽ alioqui illustrat, crucem per aliquot dies visã esse ferunt: de qua cum crebri sermones in comitatu regio fierent, eisq̃ Ximenius aliquando intercesset, multiq̃e causam sciscitarentur, quid potissimum sibi crux vellet Vaionã viculo imminens: quidam vt apparet non inertis ingenii homo, Ximenio præsentidixit: Te õ Antistes crux admonet, vt expeditionẽ susceptam matures: nã Vaionã partum à Veayna distare vides. Porro Veayna Hispanorum lingua id significat, quod vade citò, si quis Latine interpretetur. Simili diuinatione in voce Satyrus, cuius imago Alexandro, dum Tyrum obsidet, per quietem oblata fuit, Aristander Yates eam esse capiendam pronunciauit. Portu egredientibus, crux in Africa primò sese obtulit. Igitur Cazalla titularis Episcopus, crucem in limine portus conspiciatus (nam is de eare iussu Ximenii, ad Villalpandum Toletanum Vicarium scripsit) ad milites conuersus, in hoc (inquit) signo vincemus. Quod enim quinto nonas Maias, Toleti in templo maximo concionantem me audiistis, cum de crucis dominicæ inuentione tractaremus, nos nempe crucem dominicã repetitum in Africã tendere, quã perfidi Mauri Mahometo duce ex illis locis impiẽ deturbassent, en se nobis in vestibulo offert, vobisq̃; certũ victoriã augurium dat. A per deinde immanis, è proximis salubus per medias acies ferociter pertransiens, clamore nostrorum continud exorto, quasi ex composito factum esset, Mahometum esse omnes conclamarunt, & militum telis transfixus est. Ingens vulturum

rum multitudo, eadem Maurorum palam significantium, hostium exercitum circumuolabat, nunquã ad nostros deflectentes: vt præca sapientum dicta vera esse deprehensa sint, qui vultures exercitus sequi prodiderunt, eosq̃; potissimũ diligenter oberrare, quorũ interneconẽ futuram esse triduo antẽ præsenferint. Leones item per syluas frementes à circunvicinis Mauris audiebantur, qui post prælium commissum, ad cadauera deuoranda de nocte conuenerunt. Cũ a nostris caperetur, duplex item Iris visã est Orano imminere: quas cũ Carolus Mendozius Friafo iurifconsulto ostenderet, subitò veluti diuinans, Oranũ in nostram potestatem venisse, exclamat. Hoc cũ Ximenius rescieuit, prænuncia cælo (inquit) venisti Iris, nobis victoriã ratã factura. Atq̃; ad familiares conuersus, in scholis philosophorum, Irim non modò tempestatem, sed pugnam etiam significare, audiisse se dixit: Iam verò eius geminationem pugnæ atrocitatem proculdubio indicare: penes quos tamen victoria esset futura, a Dei opt. max. pendere voluntate. Certẽ nauarũ tempestate iactati, aeris inde serenitatem arguunt, nos item speremus rerum immutationem: sic enim qui hætenus famelici & siticulosi, montis ascensu prohibebantur, vrbe occupabunt. Hæc dicenti nuntius aduenit, qui vrbe esse captam declarauit. Admirabile videbitur quod dicturus sum, sed nihil certius eo tempore est habitum, ac proinde multorum scriptis testificatum: nam præter priuatorum hominum epistolas, Gonfalus Agidius, & quidam innominatus auctor, qui commentariolis Latine editis, huius pugnæ feriem ediderunt, magna hoc asseueratione affirmant: solem scilicet, quatuor & amplius horas, cursum suum continuissẽ. Nam cũ a nostris mons appetebatur, dies palam inclinare cœperat, fermeq̃e sol iam occasui proximus esse videbatur: quod vnum (vt diximus) Nauarrum ad montis radicem, priusquam prælium tentaret reputantem, non mediocriter conturbauerat. Hoc etiam Ximenium considerasse aiunt, prudenter tamen tacuisse, donec res hæc mirabilis omnibus vulgata fuit. Animaduertisse hoc etiam nonnullos ex Mauris affirmant, qui rei nouitate perculsi, sacrum susceperint baptisma. Certẽ in eo prælio, quo temporibus nostris Carolus v. Romanorum imperator Ioannem Federicum Saxonem fudit, diẽm quoq̃; longiorem fuisse scribit, quã eo tempore cursu solari esse potuisset, quod & ipse Cæsar affirmabat. Huiusmodi autem miracula an ex opinione humana nascantur (res enim maximas & difficiles breui tempore absolui non credimus) an lux illa verè tardior fuerit, præpotentis Dei voluntate, non est consilium persequi. Igitur Ximenius captæ vrbs nuntio impendit lætus, noctem illam hilarem, in hymnis, & gratiarum actionibus somni immemor inter suos traduxit. Postridie eius diei irremissis Oranum petere placuit, vt salebrosi itineris difficultates vitaret. Fruebatur inter nauigandum pulcherrimo vrbs aspectu, menianis frequentibus, & candidissimis turribus collucentibus. Ad terram expositus, crucis vexillo præeunte, & victore milite stipatus, vrbe ingressus, latis omnium acclamationibus suscipitur, laudes Deo opt. max. victoriarum largitori incinẽtium, & Ximeniũ gentium barbararũ victorẽ proclamantium. Qua ille re mirificè oblectatus, Davidis versiculum sublimi voce protulit, ita vt ab omnibus exaudiri posset: Non nobis domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Ad Alcazauã (hoc est ad arcem maximã) è vestigio perrexit: neq̃; enim alteri præterquam Ximenio aditus ad eam se daturum præfectus affirmauerat. Postquã receptus fuit, claues sunt ei traditæ: & protinus trecenti ex Christianis captiui, qui dira seruitute à Mauris premebantur, ex arcis ergastulis in lucem sunt producti, atq̃; optata libertate donati. Oblata est illi vniuersã præda tanquam præcipuo imperatori, quæ publicè iussa fuerat asseruari. Ille quauis multa pretio & elegantia insignia videbatur, nihil ad rem suam priuatam trãstulit: sed quædam in publicos exercitus vsus, quemadmodum cum Nauarro conuenerat, quædã ad regem deportãda seposita fuerunt. Ducibus deinde, & tribunis militaribus vocatis, virtutem illorum publice collaudauit, & pro tam fortiter nauata operã benignissimè gratias egit: & torquibus, armillis, & Numidicis phaleris, aliisque item militaribus præmiis, prout quisque merebatur, donauit. Cadauera extra vrbe vt eiicerentur curauit est,

quorum fœtor urbem penè infecerat, & periculum erat ne aer, qui facilè alienas impressiones recipit, pestilentes afflatus conciperet, & corrumpetur. Negotium id fuit cum primis operosum & molestum: neque enim paruo tempore tam ingens fœtidorum cadauerum multitudo expelli poterat, neque facile erat homines inuenire qui vespillones agerent. Idcirco aut in scrobes profundos sunt immissa, & aggesta terra contecta: aut per vicos alia ignibus incensis combusta, alia vstulata. Sed vix efficere omni cura potuerunt, vt multis pòst diebus à Ximenii discessu, cadauera per Orani vias non iacerent permulta: adeò vbi lucrum non est, vulgus laborem etiam sibi necessarium fugit. Bellica instrumenta ærea, quæ mœniis diruendis ob ingentem magnitudinem sunt idonea, plusquam sexaginta instructissima sunt capta: Catapultarum, Scorpionum, Balistarum, & iaculorum immensus numerus. Quare miraculo proximum esse videri possit, atq; ideo Ximenii auspiciis, eiusque pietati ascribi solet, urbem Mauritaniæ celeberrimam, tot apparatus bellicis refertam, tam florenti iuuentute, ac tot præfidiis Numidarum (quos Arabes vocât) abundantem, quæ vel sex mensium obsidione vix expugnari posse credebatur, tanta celeritate & paruo temporis spatio, tam denique incruenta nostrorum victoria, captam esse. Erat in ore omnium, id quod Cæsar Pharnace deuicto ad Senatum scripsit, Veni, vidi, vici, ob festinationem celeritatemque qua hoc bellum Africanum confectum fuit. Quare Ximenii virtus & fortuna, omnium literis & memoria hominum est celebranda, qui Oranum nõdum visam, eo ipso quo appulerat die vicerit, subegerit, & occupauerit. Quamquam nõc verum esse, quod inter veteres parcmias circumfertur, suam quenque moribus & industria fortunam fingere, ostendemus. Nam portarum occlusio, qua Mauri & Numidæ exclusi sunt, non ideo facta est, ne si cum Mauris etiam Arabes reciperentur, horum tyrannidi seruiendum esset, vt vulgò iactabatur. Multò verisimilior causa est, quæ ob Oranensibus nonnullis adhuc superstitionibus refertur. Hi enim qui inter captiuos aut dedititios ducti, in vicis Guadalfajaræ proximis vitam agunt, proditione suorum ciuium urbem esse captam mihi retulerunt. Sed non ab re fuerit de ingenio & moribus Arabum (quos Alarabes passim vocamus) nõnihil præfari: vt sic intelligatur, quæ de occlusione portarum dicta est causa. Est gens in Africa, quæ deserta loca in tentoriis incolit, vnde primum Scenitæ sunt dicti, sine legibus, sine certis laribus, sine vilo mansuetioris vitæ cultu. Hi quòd potissimum eam Africæ partem occupauerint quæ Numidia dicitur, à Romanis Numidæ sunt vocati, nostri verò Alarabes (vt dixi) appellant, quo nomine à Mauris etiam dicuntur. Erant enim Arabiæ desertæ quondam indigenæ, qui per Ægyptum in Africam venerunt, & bonam eius partem armis subegere, rei pecuariæ in primis addicti, larociniis & cædibus intenti, nullamque vel fidei vel iustitiæ rationem habentes. Hi assiduis exercitationibus & vitæ rigore duratis corporibus, ad vsum militiæ peraccommodati semper fuerunt, atque cum Mauris, quoties à bellicis externis otium est, perpetuas pugnas exercent. At si quando ex alienis regionibus hostes adueniant, illico se cum Mauris coniungunt, & veluti religionis & communis patriæ prætextu, stipendio conducti, vindices se illorū profitentur. Non tamen urbibus suscipiuntur, quoniam alienis opibus insidiantur, nullaque legum pœna, aut dominorum querelis à solitis rapinis abstinet. Hi dum res Mauris prosperè succedunt, non ignaui aut segnes operas suas præstant: at si vinci Mauros contingat, tanta est Numidarum in eos sæuitia, tanta deprædandi superatos libido, vt præ illorum truculentia, quibus hostes mirissimi habeantur. Igitur Oranenses prælii exitum prospicientes, idcirco portas suis ad urbem confugientibus non aperuisse, ab omnibus ferme tunc creditum est, & à proditoris authoribus in vulgus Maurorum sparsum. Nam principio huiusmodi rumore vulgato, rem credibilem & faciliorem proditionem fecerunt: Alarabum scilicet equitarum à rege Trimesenio auxilio missum, urbem mœnibusque excludendum esse, iurifurandi etiam religione cunctos portarum custodes obstringendos, ne quem eorum ingredi sinerent: suos etiam aditu vrbis tantisper prohibendos, donec Numidis fuga dispersis, nihil damni ab eis timeretur. At reuera priusquam Ximenius proditio-

ditionem Africanam susciperet, de prodenda Orano cum Mauris egit. Est enim illi genti peculiare, se mutuis pactis fallere, & nec patriæ quidè fidem seruare. Diximus supra, Didacum Fernandum, Mersalcabiranæ arcis præfectum, dum anno tertio à capto oppido parum prosperè cum Oranensibus manum conferit, non sine clade suorum fufum: multi enim ex nostris sunt desiderati, multi item capti. Inter hos igitur duo præstantes duces in Maurorum manus venerunt, Alfonso Martos, & qui hunc dignitate superabat, Martinus Argotus Cordubensis, Didaci Fernandi propinquus, vt Oranensis ille, à quo ista accepi, mihi retulit. Hi vtpote viri fortes & præclari, Hameto Acanixo, homini inter suos primario, custodiendi traduntur: apud quem aliquot menses detenti donec redimerentur, indulgenter tractati sunt. Interea siue ob priuata erga ciues suos Acanixi odia, siue ob nostrorum industriam, de tradenda vrbe inter ipsos agitatum est, adeò secretis clandestinisque consiliis, vt per biennium nihil eius negotii ad alios dimanauerit, præterquam ad Cattoram Iudæum, Orani itidem vrbis incolam, quem ad proditionem faciendam, & sequestrum & adiutorem habuerunt. Huius rei argumenta permulta sanè sunt: nam & hi ex Numidarum moribus causis conquisitis, de portis militibus suis non referendis authores fuerunt: & in vrbis direptione, cæteris omnibus exhaustis & vastatis, Acanixi & Cattoræ domus, magna nostrorum ducum solitudine, ne quid æderentur curatum fuit. Deinde verò rebus iam pacatis, ad regem & Ximenium eosdem in Hispaniam venisse certum est, à quibus perpetuos redditus, vnde viuerent, susceperunt. Quin vt nihil ad fidem faciendam deesset, Martini Argoti filia, qui in custodia apud Acanixum fuerat, Acanixi filio nupsit, vt inter parentes conuenerat. Is Acanixi filius, qui ob Christianam religionem susceptam, nomen mutauit, & Ludouicus Fernandus est dictus, in familia Didaci Fernandi, cum Mersalquibiro præfesset, diu mansit: postea ab eodem Oraniticam præfecturam obtinente, vrbis decurio est factus. Deseruit aliquando nostros, vt est gens illa infida & mobilis, ad Trimeseniorum regem deficiens, sed rursus redire cupienti iidem honores delati sunt, & redditus & opes quæ regio fisco cesserant, sine vilius oboli iactura restituta. Aiunt Ximenio dubitanti, an exercitum maris æstu & iactatione fessum, hora diei (vt diximus) postmeridiana ad vrbis munitæ expugnationem mitteret, ab eisdem nuntium venisse, qui admoneret vt re paratâ minimè differret: nã si eo die cessaretur, protinus Trimeseniorum auxilium adfuturum, quod vniuersos Ximenii conatus erat proculdubio in multos dies retardaturum. Cedrinum etiam Alcazabæ in Orano custodem, Acanixo necessitudine sanguinis coniunctum, proditoris participem fuisse pro certo habetur: nam hic arcis clauis in ea turbatione anxie (vt apparebat) quærens, vt posticum aliasque arcis ianuas fugientibus adaperiret, nusquam inuenire potuit: famuli enim (vt aiebat) negligentia, in inuolucra quædam coniecta fuerant, quæ postea tempore minimè necessario sunt reperta. Hæc vt exposui gesta fuisse, ex homine Oranensi Guadalfajaræ didici, qui cognatione proditoribus propinquus, ea tempestate octodecim annos natus à nostris est captus, atque Didaco Mendozio Infantatus duci iure mancipii datus, à quo postea libertate & agello donatus, Malaguillæ oppido apud Guadalfajaram religiosè & innocenter vixit, superstitionis abnegatæ causa Deo optimo maximo ingentes gratias agens. Solebat enim quod de Themistocle fertur apophthegmate sibi gratulari: Perierāni perissem. Ergo Ximenius, altero postquam Oranum ingressus est die, obequitans per loca vrbis celeberrima, eius situm est contemplatus, & quid in singulis partibus reficiendum, aut noua molitione construendum attentè considerauit. Ad mesquitas deinde despectens, ritibus Mahometanis conspurcatis, vt emundarentur & expurgarentur curauit. Erat fortè Dominicus dies, qui cum in tertium decimum Calendas Iunias, diuo Bernardino dicatum incidisset, religionem mirè auxit. Curauit igitur vt mesquitæ more Christiano consecrarentur, quo omnes sacris interesse possent: & religioni satisfacientes, ad reliqua in terra hostili, magnos animos conciperent. Igitur mesquitam maximam, Mariæ victricis, & angelicæ ad eam annuntiationi dedicauit. In hoc autem templo, cenotaphio ad oram maximam

constituto, ut sibi anniuersario sacro xv. Cal. Iunias, quo die Oranum capta fuit, parentarent instituit, xxx. M. nummum ad hanc operam in perpetuum datis. Alteram, ubi multi ex Mauris occubuerant, diuo Iacobo Hispanicae virtutis conseruatori: in quibus statim sacerdotes nostri sacra fecerunt, & supplicationes sunt habitae. Sed quoniam diuo Bernardino, partim ob egregiam viri sanctitatem, partim ob communem monachatus religionem, Ximenius peculiari affectu deuotus erat, ne eum praeteriisse videretur, Xenodochium quod aegrotantibus militibus parabat, Bernardino tutelari consecrauit, memor scilicet pietatis, qua ille olim Senarum nobile xenodochium, in flore aetatis constitutus administrandum suscepit, caeteris ministris fugientibus ob pestem, quae quam dixi Hetruriae urbem, Bernardini patriam, & totam etiam Italiam occupauerat. Perpetuum in eo fundauit sacerdotium Ximenius, ut esset qui aegrotantibus sacra ministraret, impetratis a summo pontifice multis indulgentiis, & facultate absoluedi etiam a reati-
 10 bus pontifici Romano referuatis. At quonia religionis cura Ximenio ante omnia cordi erat, quam sciret mirum in modum fodalitatibus monachorum ali, & promoueri, aedes item binas dedicauit, alteras Franciscanis, alteras Dominicanis, in quarum singulis monachi alerentur seni. Iam vero quod multi inter captiuos Iudaei erant, quorum plerique ex illa esse migratione existimabantur, qua ex Hispania vndecimo ante anno, a catholicis regibus pulsifuerant, vehementer timuit, ut
 20 ex eius epistolis ad regem constat, ne in tam recenti eorum, qui in Hispania remanserant, ad Christi fidem conuersione, nonnulli pristinae superstitionis memores, & vigilantiam inquisitorum metuentes, clam ex Hispania Oranum fugerent. Quare officii sui autoritate fungens, Yiedram virum religiosum & eruditum, inquisitorem, ad ea omnia diligenter exploranda constituit. Mirum est & penes fidem omnem exuperare videtur, Ximenium hominem senem, tot negotiorum fluctibus penes obrutum, & ob suorum militum fidem parum stabilem, & rerum humanarum inconstantiam, atque adeo dubiam regii animi erga eum propensionem nimis anxium, tantum roboris & vigoris habuisse, ut non solum res militares, & quae ad tutelam urbis pertinebant, vigilatissime constituerit, sed res etiam sacras, quod
 30 in summo otio solet fieri, omni adhibita cura disposuerit, & cuncta quae ad episcopi munus spectant, admirabili consilio prouiderit. His tandem rebus factum est, ut quauis sapius a Mauris ea urbs impetita fuerit, nihilominus optimi praesulis auspiciis, sub regum nostrorum potestate daret. Dum haec Orani aguntur, Fernandus Didaci Verae filius, a Ximenio nuntius ad regem destinatus est, qui rei totius ut gesta fuit, & notitiam & seriem sigillatim in tabellis ferret. Trimesenium Orani captiuitate, direptione, & vastitate cognita, nam octoginta tantummodo Mauros ex vniuersis Orani ciuibus euasisse compertum fuit, caeteris omnibus aut interemptis, aut captis, Christianos qui mercaturae causa, aut alia quauis ratione illic degebant, ad vnum gladio peremerunt: atque eodem furore in Iudeorum gentem, quae freques Africae urbes incolit, quasi Christianis cognatione con-
 40 iunctam, seruiuerunt, tanta vulgi seditione & tumultu, ut rex intra arcem se continerit, nec foras exire sit ausus, quauis impedio doleret, fidei suae commissos trucidari. Tantus ergo timor Hispanici nominis vniuersam Mauritianiam occupauerat, ut Trimesenii, aliique populi vicini trepidantes, desertis oppidis ad regnum usque Fezanum secederent. Dubius animi Ximenius fuit, an fortunae successum sequeretur, & ad reliquam Africae oram exercitum suum & classem conuerteret, an potius aetati & salutis suae consulens, summa belli Nauarro tradita, ipse rursus in Hispaniam remearet. Sed quauis bellici labores animo obuersarentur, & militares mores parum eius instituto quadrarent, tamen ingenium, animusque ille maxima quaeque natura sua appetens, omnem vincebat difficultatem. Quare cum
 50 re rursus traiciendum consideraret, praesentem autem gloriam, & victoriam ex altera parte sibi proponeret, & Christianae religionis propagationem, quam alterius industria & opera fieri indignum sua fortuna iudicabat, ad reliqua pro virili persequenda iam animum inclinabat. Sed ut sunt res hominum mutabiles & fluxae, aliquot causae partim ex occulto, partim ex Nauarri aemulatione prodierunt, qui-

quibus in diuersum mutatus, Nauarro summo imperatore designato, ipse protinus in Hispaniam traiecit. Id praeter multorum opinionem accidit, qui eius constantia & magnanimitate alienum esse omnino existimabant, post tot molestias in congregando exercitu & in navigatione deuoratas, post victoriam tanta cum laude & felicitate obtentam, quae solet animos militum efferre ad res ampliores conficiendas, & in tanto Afrorum hominum metu, lampada in ipso cursus principio tam gloriosè micantem, alteri suae laudi inuidenti tradere. At si quis rem ipsam nudam attentius consideret, & in memoriam Deiotari regis ad M. Crassum responsum reducat, cum nimirum sexagenario maior, ad bellum Parthis inferendum per Galatiam
 10 iret, Ximenii laudem augebit potius quam vlla vel ignauiae, vel timoris nota deteret. Iusto enim ambitiosior haberi poterat, si suae aetatis, personae, & pontificatus immemor, cum hominibus illius modi vitam agere in castris maluisset, quam in patriae solo inter viros sapientes, religiosos, & sobrios. Deinde cum nihil sit belli successibus inconstans, Orano vrbe opulentissima multumque nostris littoribus infesta, quod sibi vnicum propositum fuerat, tam facile capta, non erat viri prudentis Martis aleam toties experiri velle, sed potius successorem sibi in prouincia tam laboriosa & incerta petere, aut sua autoritate, quod & fecit, constituere. Caeterum ad hanc communem causam, peculiare aliquot accessere, quae virum
 20 propositi tenacem, & constantis aetatis ab, incepto dimouissent. Principio Nauarrus, cui hominis cucullati, ut ipse iactabat, gloria inuidiosa erat, indignationis iam dudum dissimulae manifesta indicia, partim apud Ximenium, partim inter tribunos & milites dedit. Neque enim sibi homini rerum bellicarum experientissimo ferendum esse villo modo existimabat, ut Ximenius antistes togae muneribus semper dedicatus, in imperio militari praeretur. Accidit forte ut Nauarri miles Ximenii famulum inter rixandum occideret. De ea re cum Ximenius Nauarrum obiurgaret, & multa, ut fit, vtrinque dicerentur, Nauarrus
 30 bile & iracundia stimulantibus, tandem pectoris arcana reclusit. Grauibus enim verbis Ximenium alloquitur, eum esse in causa, quod sibi milites parum essent morigeri, & tot tumultus in exercitu exurgerent. Quod si illinc ipse discessisset, sibi que vni belli negotia relinquerentur, non dubitare breui temporis spatio, magnam se Africae partem subacturum: Nunc vero omnia quaecunque animo concepisset, eius praesentia impediti: nunquam enim duorum imperia bene coaluisse, & inde semper multo maiorem exercitibus cladem quam ab hostium telis contigisse. Quare bonis ausibus in Hispaniam proficisceretur, satis enim gloriae reportare vrbe Mauritaniae praecipua tam veloci victoria capta. Quod si adhuc in proposito persisteret, sciret se non alio quam priuati iure in exercitu esse diuersaturum. Nam reliqua omnia quae deinceps agerentur, non amplius eius auspiciis, sed catholici regis erant conficienda: ipsi enim ad Oranum capiendam a rege munus esse tantum delatum, quo expleto, imperium abrogatum esse, donec
 40 rex aliud decreuisset. Oranum vero, quam Toletanorum pontificum ditioni, nisi rex impensas pecunias reddidisset, addicere parabat, se tubis praecipientibus & signiferis vexilla pendentibus, ipso audiente, regium nomen acclamaturum. Desineret itaque per vanas cogitationes regiae potestati, aut incrementis, homo priuatus inuidere: capefferet antistitis munus, pila & gladios militibus concederet. Atque ab eo irreuerenter profliens, ad ea quae dixerat conficienda abiit. Aduersus tam confidentem militaris hominis orationem, nihil respondendum Ximenius esse dixit: nam & id tunc dissimulauit, & ad strepitum regem acclamantium, nulla suorum cum rege pactorum ratione habita, non modo nihil intercessit, aut prohibuit, sed nulla animi offensione ostensa, Nauarrum postmodum ad se vocatum, benignissime & comiter tractauit, & quid in singulis rebus faciendum esset, antequam nauigaret, edixit. Tamen post aduentum suum, literas ad regem Complutum dedit querelarum plenas, quibus & Nauarri iniurias, & rapacitatem exposuit. Illud etiam rumore percrebuit, obiecisse Nauarrum Ximenio tenacitatem, & minus liberalem animum in stipendiis numerandis, cum, ut diximus, vniuersam praedam, nulla eius parte ad usus suos seposita,

auferendam Ximenius benignè militibus concessisset: & quicquid ad victum & stipendia pertinebat, die quo Carthagine soluit, in trimestre tempus largissimè prouidisset. Quæ de re in epistola quæ altero postquam Carthaginem redierat die, ad Lupum data est, sic ait: Dum hæc scriberem literæ tuæ mihi redditæ sunt, in quibus vanos sermones & mædaciis refertos legi, qui à nostris emulis de exercitu parum benignè à me curato impudenter iactantur, eos tibi contemnendos esse duco: simus factorum conscientia contenti, siquidem nunquā exercitus, aut stipendiorum sub manu numeratione, aut commeatu militari, ut hic noster abundauit: ut nihil interim de disciplina castrensi dicam, quæ circa arrogantiam, vel cum antiqua comparari potest: quoniam hæc orania eadem frontis firmitate, quæ ab hominibus impudentibus dicuntur, à nobis itidem sunt prætereunda. Deum optimum maximum precemur ut quæ reliqua sunt Africani belli eodem cursu & tenore perficiantur. De quo quidem spem præclaram habeo, quandoquidem qui scrutatur corda Deus, omnes meos conatus in se vnum dirigi nouit. Sed tu regem admoneto ut suis triremibus, quibus Solerium præesse voluit, quamprimum prouidendum curet: carent enim omni commeatu. Nam ni ego optimi ducis, qui rei publicæ multis in rebus vsui esse potest, misertus essem, & panis nautici octoginta contulisset centipondia, milites inedia periissent. His igitur de rebus Ximenium commotum, ne toties sibi cum hominibus illis quos ad eum modum bella effeuerant, esset colluctandum, primo quoque tempore in Hispaniam traicere decreuit. Certè in suis ad regem & procuratores epistolis, hanc potissimā causam discendendi affert. Ad Franciscum Ruizium, qui ad regem internuntius venerat, in hunc modum scribit. Utinam quod me sæpe dicentem audiuisti, meæ dioceseos & Murgitanæ prouinciæ militibus contentus, expeditionem Africanam suscepissem, neque vnquam in mentem venisset, Italico bello assuetas legiones accersere: vel si id tandem necessarium erat, mihi cum illis bene, aut saltem non adeo malè conueniret: nam huic rei me deuouerem, & census & opes impenderem, ut vniuersam Africam superarem. Hisce verbis planè assentirem (sunt enim sine vilo fūco, ex animi sensu, ut apparet, deprompta) nisi constantior opinio fuisset, literarum fasciculum, quem rex ad Nauarrum dederat, in Ximenii manus primū deuenisse. Nam dum quicquid accidere potest prudenter timet, portus præfectis iusserat, ut quicquid literarum ex Hispania veniret, ad se primū diligenter curarent deferendum. Rex igitur Nauarro per literas mandabat, ut tantisper Ximenium à traiciendo auerteret, dum eius præsentia rebus agendis necessaria foret. Id homo senex & ob atram bilem suspiciosus, in suum damnum & perniciem tractari credidit, quasi laboribus imparem breui moriturum Ximenium rex diceret. Ergo se ætate ferme extrema esse vidēs, & anni tempus feruentissimum instare, in regione præsertim ad Austrum interiori, cōtinuè metuere febres cœpit, & Nauarrum, Villaroellum, Didacum Veram, cæterosque omnes tribunos ad se vocatos, benignè & perhumaniter alloquitur: discessusque sui, quem illis statim futurum significauit, speciosas causas permultas dat. Deinde Nauarrum, sese illi conciliās, supremum imperatorem vocat, cui tanquam duci præstantissimo, totius Africæ subigendæ triumphum decernendum speraret, honorificè dicit: seque tandem intellexisse, præsentiam suam, hoc est, hominis obsequium cunctantis & morosi, ad subitatas belli occasiones viuida ingenia & ætatem requirentis, minimè aptam esse. Præterea in rem totius exercitus futurum esse dicebat, si ipse in Hispaniam nauigeret: nam apud regem sua authoritate opus esse, ad negotium vrgendum: alioquin vbi sunt ministrorum regionum ingenia & mores, se non dubitare, quin & duces, & milites sint rerum inopia laboraturi. Quare patienter sustinerent eius discessum, non tam suæ ætati aut valetudini parentis, quam ipsorum commodis consulentis. Interim verò se vniuersum commeatum traditurum, quem in vsus proprios parauerat. Habere enim vini Græci apud se doliorum sex millia, totidemque triticæ farinæ modios, & panis nautici numerosam molem: lardi item, & salitarum carniū, aliarumque rerum non leuem copiam, vnde exercitus per aliquot menses non malignè alii posset. Addidit etiam, se pro certo comperisse, pluiquam centum & tredecim

decim scrobes, quos Siros vocamus, frumento plenos Orani esse. Post hæc, sermonem ad Nauarrum conuertit. Quod te (inquit) præsentem quidam Genuensis affirmavit, centum scilicet & quinquaginta millia modiorum tritici in hac vrbe recondita esse: quorum notitiam almoxarifus (sic enim publicum quæstorem Mauri vocant) qui in tuis vincis esset, & alter, de quo ego te priuatim admonui, habent. Quare non est cur id debeam in præsentia altius repetere, cum tu id optimè scias. Quòd si hæc cita habent, ut planè credo, erit vnde victus exercitui plus quam biennio suppetat. Sed timeo ne magistrorum nauticorum vitio, qui captiuorum ingentem numerum in nauigia & triremes ingesserunt, clam quæ ad manum sunt subripiantur: quod tu tamen sollicitè pro tua diligentia animaduertes: scio enim te nullam illis peccandi facultatem in hac parte per socordiam concessurum. Sed ante alia dandam esse operam arbitror, ut tantum quotidie farinæ subigatur, quantum exercitus inopiam leuet: quicquid inde pecuniæ obuenerit, ad te vnum extemplo deferatur: quod tu murorum ruinis reparandis, nouis ædificiis extruendis, cæterisque militiæ necessitatibus subleuandis, ut optimum imperatorem decet, es asseruaturus. De cadaueribus occisorum aut comburendis, aut humanis, ne pestilentia ex corruptione aeris orta, victorem perdat exercitum, non est cur moneam: nec de militibus quidem, per incurfiones in terram hostilem faciendas exercendis: cum tu optimè noueris, quanto pere sit curandum ne exercitus torpeat: à te enim aliquando audiui, expedire ut cohortibus aliquot in vrbe quæ illam tueri valeant retentis, cæteris legionibus stationes in castris per hortos suburbanos darentur: quod mihi admodum placuit. sic enim in continua futuri sunt vigilia ad vrbe, quæ tumultibus castrensibus libera beatius aget, & melius imperatori parebit. Iam verò de pabulatoribus deligendis, qui maturas fegetes in vrbe conuehant, antequam hostes qui illas demessuerant, & per agros passim iacere sinunt, aut auferant, aut igne comburant, ut vobis incommodent, tu ipse (ut audio) agere cœpisti, & mihi vehementer probatur. De littore Mauritanæ, triremibus & cæteris nauigiis, quæ facilè bis mille homines in armis circumferent, infestando, tu etiam sapius coram me proposuisti, ni memoria vacillat. Ad reficiendas verò naues, quæ solutæ sunt, tuis procuratoribus sexcentas auri libras appendi iubebo: quod post dimissam concionem factum fuisse, in epistolis suis scribit. Deinde Villaroello Alcazauæ custodiam commisit: qui permittente Ximenio, Alphonsum Castellam Complutensem ciuem vicarium designauit, trecentis militibus Castorlanis, & quinquaginta selectis equitibus ad præsidium datis. Ne quid tamen commeatus exercitui decederet, ex Castorlana præfectura, quæ propter Africæ vicinitatem, ex vniuersa ditione sua paratior ad eam rem est visa, farinæ triticæ, cæterarumque rerum ad victum opportunarum quicquid esset necessarium, donec rex arcis custodiæ prouideret, asportari iussit. Quod Villaroellum egregiè curasse ex Ximenii epistolis constat, in quibus ad regem scribitur, Alcazauæ præsidio in quintum vsque mensem per Castorlanum præfectum esse prouisum. Hac Ximenii erga exercitum suum benignitate & cura, ita sunt vniuersi commoti, ut multis verbis deprecarentur, ne ipsos in regione inimica deferret: eius enim auspiciis ex Hispania profectos rem eo vsque feliciter gessisse: nunc verò ad sui imperatoris absentiam, fortunæ quoque mutationem timere. Intet quos, primus Nauarrus præ se ferebat, ob non ita pridem irreuerenter habitos sermones, pudorem & poenitentiam quandam. Decimo Calendas Iunias Ximenius ex Oranico portu in Hispaniam vela fecit: eoque ipso quo soluerat die, mira temporis opportunitate, nullis præterquam suis familiaribus, & aliquot ministris comitatus, Carthaginē venit. Nam summa securitate littoribus nostris per ipsum parta, prætoriana cohorte in exercitu, & bona familiæ parte, ad vsus Castorlani præfecti relictis, ipse primus facti sui vtilitatem sensit, expedito & inermi apparatu traiciens. Septem diebus Ximenius Carthagine moratus est, in quibus dici non potest, quantam negotiorum molem confecerit, quam diuersis rebus studuerit, quantum commodorum exercitui comparauerit. Primū enim ad circumuicina Tarraconensis & Beticæ oppida literas simul & nuntios misit, iubens impe-

ratoria quam ad eam rem obtinebat auctoritate, ut quamprimum comestum & cetera necessaria Oranum importarent, pretium vel iusto maius suscepturi. Quicquid farinae ex finitimis locis potuit corradere, & quicquid apothecarum vasa Carthagini continebant, Oranum asportandum curauit. Quæstores item duos constituit, qui inter se mutuas operas dantes, alter cibarios panes undecimque posset, pro ut res poscere videbatur, exercitui & ciuibus stipe numerata distribueret, summam autem quotidie ad Nauarrum deferret, quemadmodum illi discedens promiserat. Villalupo regiae classis procuratori mille nummos aureos contulit, ut Malacæ iridem farinam coemeret. Dedit etiam celocem probè compactam, & instruatam, qua crebras hinc inde vecturas faceret: & quemadmodum mercatores solent, ex pretio primo distractæ farinae, aliam item coemeret. Tantum se in hoc negotio effecisse in epistolis ad regem testatur, ut cum omnes certatim quicquid panis aut farinae Carthagine erat Oranum detulissent, quo ipse die Complutum profectus est, ne offula, quantumlibet magno pretio oblato, Carthagini inueniri potuerit. Regem autem monet, ut ad eam oram maritimam certos homines mittat, qui eius exemplo rem vrgeant: consultius tamen esse, ut granum transferatur, quam aut farina, aut panis cibarius. Dum ista agebantur, literas à suis accepit, quos Orani reliquerat, quibus certior factus est, quemadmodum nauium magistri, quorum operam & nauigia in bimestre tempus conduxerat, & integram mercadem soluerat, multò antè quam pacta conuenta implerent, easdem naues cum nauiculariis, & cæteris instrumentis, mercatoribus & aliis vectoribus locassent, transfuehendis, præsertim mancipiis, & multa suppellectili ex Orani præda, stipulatione inter ipsos facta, ut dimidia pars omnis prædæ traiciendæ nauium magistris cederet pro vectura, dummodo captiuos alerent donec in terram exponerentur. Hæc autem cibaria, quæ tanto mancipiorum numero satis esse potuerunt, ex publica annona fuisse subtracta. His cognitis literas ad Nauarrum dat, quibus ut in ea omnia inquirat iubet, & magistris cogat per bimestre tempus, ex pacto vecturam facere, & postea propter læsam quæ dederat imperatori fidem, in tantum temporis spatium sine vlla mercede seruire cogat, quantum delicti grauitas ex poscere videretur. Quin & sarcinas eorum excutiat: nam & furtim deducta præda, quam quæstoribus regis non declarauissent, eisquæ insciis, ad traiectionem conuassent: & quæ vecturæ nomine acceperant, centum millibus nummum aureorum, quæ regio sisco deberentur, æstimari posse. Habere autem se panis nautici non mediocrem copiam, sed tantisper mittere distulisse, donec ea omnia ab eo confecta esse sciret: neque enim se velle quod ad militares usus parauerat, in cauponantium vtilitatem cedere. De excursionibus autem, multum se quoque doluisse ait, non ita frequentes fieri, ut inter ipsos cõuenerat. Nam post suum discessum, semel ad sextum lapidè extra urbem cum exercitu processisse cognouerat: qui cum inducentos Numidarum equites, & octingentos pedites incidisset, & omnes ad vnum potuisset trucidare, & suum exercitum præda augere, maluisset sine vlla dimicatione Oranum milites reducere. Id quæ de causa factum sit, ab eo homine minimè formidoloso, aut ignauro, præsertim cum militum fortitudine & numero superior esset, nondum assequi potuisse. Illud verò prudenti consilio, ut imperatorem solertè decebat, Nauarrum fecisse, viros militares qui Africæ situm, & illius gentis mores nouerant, cum de hoc rogarem, differentes audiui. Esse enim Numidis & Mauris solenne aiebant, paruam aliquam manum nitidè vestitam, & in equis herentem melioribus, velut incautè procedentem præmittere, cuius despoliandæ cupidine hostes accensi, à maioribus copiis, subito ex insidiis erumpentibus, circumueniantur. Est enim illa tellus propter depressas valles quibus abundat, occultatis militibus, peraccommoda. His omnibus multisquæ aliis, per Ximeniū procuratis & promissis, calorè Bæticæ regionis senili corpore, eoquæ laboribus confecto, sustinere non valens, tertio Calendas Iunias Complutum proficiscitur. Sed ne maturæ fruges obmessorum raritatem perirent, omnes agricolas, quos ex pontificia ditione in militiam secum duxerat, reducendos in proprios lares curauit. Homo enim circun-

eunspetus & innocens ne quid detrimenti suis subditis deferretur, summo opere curauit: ut ex hac agrorum reductione quiuis intelliget, sed multò apertius ex testamenti sui tabulis, in quibus Ioannem Martinum Cardenâ canonicum Toletanum, Didacum Gonfaluum Barcû, duumuiros designat, qui vniuersam diocesim perlustrèt, & quicquid damni Africani belli causa eius incolæ pertulisse inueniēt, pecunia sua extemplo numerata resarciant. Hoc verò diligenter fuisse procurari, ex secundis Ximenii tabulis, quas anno M.D.XIIII. condidit, satis constat. A deo hæc omnia viuens facere maluit, quam testamento ut fierent cauere. Cum iustis itineribus iam propè Complutum venisset, Petrus Campus Complutensis gymnasii rector, duos ex collegis obuiam ad eum salutandum misit, qui eum ferme vnius diei itinere anteuertent, quod Ximenio gratissimum fuit. Mensa eos eo die excepit, ut Ildephonsi collegas solebat: ut indulgens pater, qui diu liberorum præsentia caruit, ad eos sæpe vultum conuertens, de rebus literarii gymnasii interrogabat: quantum cepta ædificia assurgerent, qualè spem disciplinæ promitterent, quantum numerus scholasticorum conueniret, qualè vigorem adolescentum ingenia ostentarent. Denique qui modò tubarum strepitu classicum sonantium aures occupatas habuerat, ad musarum modulos conuersus, totus erat in re literaria. Mirabantur collegæ hominis prudentiam, nihil minus quam gloriosum affectum ob res gestas præ se ferentis. Existimauerat enim nihil apud eum eo tempore, nisi castra, & captiuos Mauros, & Africam audituros. Ille verò premebat omnia iam acta alto silentio, & de re præsentis verba faciebat: donec Balbasi, qui inter salutatores venerat, ex vultu pallore & macie occasione captans, bene cõsultum fuisse dixit, quod relicto transmarino & æstuoso cælo, Orano capta ad sui cupidos tempestiuè rediisset. Hic ille quasi exprobratam sibi ignauiam interpretaretur, reconditum animi sensum aperuit. Nō tu satis inquit animi mei robur Balbasi nostri: dedisses mihi fidelè exercitum, ego fortasse non Orani modò, sed totius Africæ superatæ victoriã, quantumuis sim corpore effecto, reportassem. Hoc idè & Friafo primum, deinde Lupo Aialæ dixisse certum est. Hinc Complutum est profectus, cui tam ciues, quam literarii ordines, obuiam perrexerunt, qui lætis salutationibus incolumem reditum & felicè victoriã gratulabantur. Præcedebant antistitè captiui Mauri, & cameli auro argentoquæ ex præda Africana onustæ. Volumina etiã Arabicis characteribus cõscripta, ad astrologiam & medicinam spectantia, ut suam bibliothecã exornaret. Alcazauæ, portarumquæ vrbis repagula, & clauæ, candelabra, & pelues mesquitarum, quibus Mauri ad suas lotiones vtuntur, & Arabici litui, quos annafilos vocamus. Multa ex his in tholo templi diuo Ildephonso dicati suspensa fuerunt, quæ adhuc Compluti magno studio visuntur. Nonnulla etiã Talabricam missa sunt, præsertim cuiusdam Oranensis portæ clauæ, quæ adhuc Talabricensis vocatur, quoniam à Bernardino Menesio Talabricensiu duce capta fuit, & in sacello Deiparæ virginis quod extra oppidum est, vexillo rubro iuxta pendente, quod lunam cæruleam (vt Mauri solent) in signe habet, asseruari aiunt. Res erat sanè applausu & specie triumpho par: quæ cum celebrare Complutenses vellent, mœniorum partem diruerunt, quæ Ximenius in oppidum reciperetur. Tamen modestiæ suæ memor, nullo pacto illac ingredi voluit, quanquæ Complutensibus nimis deprecantibus. Compluti aliquot menses valetudinis restituendæ causa, commoratus est: nam Toletum quod religionis ergò venire cupiebat, ire noluit, ne immodicis honoribus quos parari nouerat, oneraretur: & ut salutationes regulatorum cuitaret, qui ad eam urbem simulatque Ximenius aduentasset venturi credebantur. Hac etiam de causa Pintiam, vbi rex aderat, venire recusauit. Homo enim ad res serias & grauitatem factus, huiusmodi officiis, quæ ille inepta vocabat, nimis grauari se dicebat. Fecit interim ecclesiæ Toletanæ patres de aduentu suo certiores, & rogat ut dierum aliquot supplicationes pro incolumi reditu suo decernerent: nam se eorum puris ad Deum precibus, in bellicis periculis vehementer adiutum esse dicebat: quæ statim decretæ pro dignitate sunt. Diximus Fernandum Veram Didaci tormentorum præfecti filium, Orano capta ad regem cum Ximenii literis venisse nuntium, quod magni beneficii loco Didacus pater à Ximenio habuerat: solent enim

reges primos huiusmodi de rebus nuntios præmiis neququam contemnendis donare. At Fernandus ætatis vitio parum prudens, non admodum properabat, sed delicate iter faciens ad multum diem dormiebat, à prandio ludebat alea, literarum fasciculum negligenter iacere sinens. Eius ingenium quidam ex militibus cum abunde cognouisset, discedentem, per vestigia sensum & dissimulanter insequitur: & occasione oblata, primo aut secundo diuersorio literas subfurratus, ad regem properat, & præmia quæ Veram capere oportebat, intercepit. Ximenius verò iam bis ad eundem lapidem offendens, Granatenfis æthiopis memor, ob cuius desidiâ penè regiam beneuolentiam amiserat, quanquam ob præsentem successum nihil erat quod trepidaretur, tamen ne in parte aliqua officii cessasse videretur, Franciscum Ruizium, cuius etiam opera in Granatenfis æthiopis damno usum esse diximus, cum mandatis copiosioribus, pro vt res denuo natæ poscebant, mittit. Nam cum Zaratensem iuriconsultum, alterum ex militaribus duumuiris, causis Orani disceptandis, aciuridicando præfecisset, literas querelarum plenas ab eo acceperat, de iis quæ post eius discessum, ab exercitus principibus, sed à Nauarro potissimum, & Vianello gerebantur. Omnia scilicet per summam auaritiâ ab illis agi: quicquid frumenti aliunde deportabatur, ad eorum horrea transferri: nihil nisi per ipsos Orani venale esse: quicquid furfurum, & vitiosæ annonæ apud se haberent, miseræ plebi quo vellent pretio diuendere. Rursus Vianellum magistri castrorum auctoritate usum, edicto publico vetuisse, ne quid amplius comæatus ex locis vicinis inferretur. His denique artibus factum esse, vt post tam prouidam Ximenii de inuehendo comæatû curam, post tam largam panis nautici collatâ ab eo copiam, in maxima rerum penuria versarentur: seq; intercedentē, cum ea quæ fiebant indignissima esse existimaret, pessumè ab illis acceptum, & vltima si quid vltra contenderet, esse comminatos. Quapropter se præfecturæ munere abdicauisse, facultate postulata magistratu deposito in Hispaniam traiciendi. Id cū nequaquam ipsi cōcederetur, (verebatur enim ne tam certo & domestico testimonio, apud regē traduceretur) in summo se dolore & (qualore futurū interim, dum per regē ab illis ærumnis eriperetur. Nam quod de Nauarri ingenio aliàs à Ximenio audierat: hominē scilicet esse vastum, bellis & vitæ castrensi assuetum, & rebus ciuilibus tractandis perquam ineptum, id se planè experimēto didicisse. Quare daret operam, vt aliquis moribus incorruptis, & rerum gerendarum prudentia instructus, ad rem tanta fortunæ prosperitate partem conseruandam, quam primū mitteretur. Quod enim in tanta tumultuantium, & omnia per scelus agentium militarium hominum cōfusione, incolumis Orani resp. permaneret, Ximenii omnino in Deū adscribere pietati, qui diuino magis auxilio, quàm vlla humana ope urbem illam cepisset. His igitur literis à Zaratenfi præfecto susceptis, de his omnibus ad regem scribit: & vt Nauarro imperatoriam potestatem quâ ipse contulerat confirmet, postcit: sed rerū ciuiliū & reip. gubernandæ curam alii mandet. Deinde necessarium videri, vt ei qui Orani præfectus esset, Mersalcabiranus portus cederet: periculosum enim existimabat, eam præfecturam inter duos partiri: ne fortasse ex opinionum dissensione, in tam coniuncto negotio contra regiam maiestatem & publica commoda peccaretur. Idcirco secum consideraret, an Didacus Fernandus, qui Mersalcabiranâ custodiam tenebat, & cuius in re bellica virtus, & in rebus tractandis industria perspecta erat, ei negotio conueniret: & tantisper dum de Didaco Fernando consultabatur, iuberet Nauarrū ad incursiones faciendas Orano egredi, urbis cura Roderico Rogio viro forti & vigilanti tradita, qui propter Didaci Fernandi absentiam, vicariam operam in Mersalcabirana præfectura dabat. Porro ad urbis custodiam duo millia peditum necessaria esse existimabat, equites verò trecentos: quanquam horum numerus in dies augendus videbatur. Quæ verò cum ad religionis & Dei cultum, tum ad officia tã priuata, quàm publica, & ad agros, domos, & peculia diuidenda pertinerent, sic esse tractanda videbantur, vt primū sacerdotes templis iam dedicatis cooptarentur, quibus census & lares designarentur. Deinde colonos deducendos, qui regionis fertilitate, & cæli benignitate capti, urbem

bem saluam cuperent, & arua excolerent, & vt iam indigenæ pro aris & focis depugnarent. Alioqui si ea peregrinis, & statim vendituris, beneficii & muneris loco erat daturus, frustra se tot labores suscepisse, cum omnia breui essent ruitura. Porro colonos ea lege Oranum esse deducendos, vt per cōtinuum biennium pedem inde non moueant, nec abesse illis liceat vltra duos menses: si secus fecerint, ius coloniarum amissuros. Iam verò qui designati fuerint, intra duos menses Oranum ire teneantur. Publicus census, aut communia pascua nemini vnquam priuato donetur, sed aut publicis vsibus relinquuntur, aut ad Dei cultū & delubrorum. Quod si commendatarii, vt sæpius cum rege tractauerat, Oranum tandem mitterentur, qui hostibus nostris oppositi oram maritimam tuerentur, vniuersæ proculdubio Africæ terrorem incuterent. Se quidem permultum reipublicæ interesse censere, vt quemadmodū ad Portugalliæ fines Alcantarenses, & in confinio Granatensium Oretani, quondam à maioribus nostris, quando Castella partim Maurorum vicinitate, partim Portugallensibus discordiis laborarent, constituti essent: & Rhodi Hierosolymitani, qui Turcarum regionibus proximi, eorum insultus & conatus retardarent: ita nunc quando diuino beneficio, atq; ipsius felicissimo regno, intestinis tumultibus Hispania liberata est, & eius fines vltra mare prolata, saltem commendatarii sancti Iacobi, qui in Vclesano cœnobio sunt, & qui illuc solenni ritu initiandi conueniunt, Oranum in nouum cœnobium transmigrarent, in castris omnino futuri, donec post confecta vicefima stipendia, iam emeriti militia soluerentur. Hoc sanè si tunc regi placuisset, non modò Oranum tutâ haberemus, quæ ob Turcarum cum Mauris coniunctionem tam ancipiti custodia retinetur, sed de totius Africæ possessione decertaremus. At rex sibi facultatem donandi commendas, ea ratione adimi videns, causis quæsitis, negotium vtile, & vt multis videtur necessarium, quoad vixit distulit. De quo postea Ximenius rerum summæ præfectus, quanuis crebros sermones habuerit, nihil tamē tentandum duxit, donec coram cum Carolo de re ardua & impedita ageret. Nam Carolus, qui militaris disciplinæ studio cum primis tenebatur, facile Ximenio assensurus videbatur: sed morte ante regem conspectum præuentus, hæc & alia multa, cum maximo reipub. incommodo, imperfecta & informia reliquit. Iuxta præscriptam à Ximenio formam, omnia propemodum à rege sunt curata. Nam de colonis deducendis, de agris diuidendis, de vtraq; præfectura Didaco Fernando tradenda, è vestigio sunt confecta. Quæ verò ad religionem, ad publicos mores, ad reipublicæ officia spectabât, ferme intra triennium constituta sunt. Nam regiarum tabularum exempla, tertio ab hoc anno qui duodecimus eius seculi erat, data, & deinde per tabelliones Onofrium Garfiam, Melchiorem Nonnium, partim anno quatuordecimo, partim decimo, sub Alphonso Fonseca Archiepiscopo signata, apud me habui, nunc verò ea Compl. Academia tenet, in quibus ex Hispania coloni Oranū deduci, agros ipsi & Maurorum prædia diuidi, sex sacerdotes in templo maximo sacris more Christiano faciendis cooptari, quibus itidem sex domos dari iubentur, prope templum ipsum quoad fieri posset, ad accommodam habitationem hominum religiosorum. Alcazar & Castello, quod ab altera parte urbis Trimesenium versus Didacus Vera prudenti consilio, statim sub discessum Ximenii ædificauit (Razalcazar, quasi minorem arcem, Oranienfes appellant) singuli sacerdotes deputari mandantur. Pace igitur & ingenti tranquillitate littoribus nostris ex Orani captiuitate constituta, dum Ximenius Compluti ædem musarum, quam felicibus auspiciis exorsus fuerat, perficere animum intendit, non cessabat regem adhortari, ne exercitui Africano deesset, & recenti victoria exultantibus militibus fauore suo vires adaugeret: nam debilitatis Maurorum animis, victorem exercitum facile reliquam maris Africani oram in potestate suam redacturum. Quod & anno insequenti factum est: nam eo ineunte, sub nonas Ianuarii, die ob Magorum adorationem religiosissimo, Bugia vrbs celeberrima à Nauarro in Africa capitur, quam nonnulli Iuliam Cæsaream, Iubæ quondam regiam, esse putant. Ea nō minus Hispanis quàm Oranum infesta erat, muris altissimis antiquitatis venerandæ cingebatur: nam Romanam esse structuram lapides ipsi te-

stantur. Copiosior illam & ditior populus quã Oranum incolebat, sed minus bello exercitatus, magisq; deliciis & voluptatib. deditus. Nonnulli inter quos est Io. Leo Africanus scriptor, minimo negotio rege continuo cū omnibus ciuibus in fugam conuerso, captam fuisse dicunt. At ex nostris Petrus Martyr author est, aduentu Nauarri cognito, foeminas, senes, pueros, & omnē bello inutilem multitudinē vrbe à Bugianis pulsam, ceteros qui cū rege remanserāt, ducentis tormētōrū machinis super mœnia vrbis collocatis, vnde lapides ferreiq; globi in nostros cōtorquebantur, primò fortiter restitisse, regēq; ipsum non contemnendo cū pediatu, tū equitatu, montē vrbi adiacentē occupasse, vt maiore vi ex superiori loco in Nauarri exercitum irrueret, sed omnes machinarum quæ in mœnibus collocatæ erant iaculationes, magistrorum tormentariorum imperia irritas fuisse: qua occasione nostris locū è nauibus egrediendi esse datum: qui bene stipati, & crebro sclopetarū & scorpionū iactu, in cliuum quē rex tenebat procefferunt. Cū ergo nō mediocriter plumbeis globulis & sagittis exercitus Maurorum perturbaretur, vbi cominus ventum est, & hastis atq; ensibus agi cœptum, vim nostrorum Mauri nō tulerunt, sed ad vrbe vniuersi se recipere laborabant. Hispani perniter hostes insecuti, illis commisti vrbe vnā ingrediuntur, eamq; tandem victores capiunt. Petrus Arias cognomento lustator, quē inter coronellos recensuimus, suis præclaro exemplo fuit: nam inter primos murū conscendit, & Maurorū signifero deturbato, illius vexillo arrepto suum substituit: & præsidium quod prope aderat, 20 admirabili præstantia occupat. Res accidisset nostris felicissima, nisi Rodericum Moschosum Altamiræ Comitē, acerbo mortis genere eo prelio desiderari cōtigisset. Hic non hostili vulnere occidit, sed Hispani militis medicata sagitta, quam in scorpīi umbilico aptauerat, & oculos in hostes, occasionem ferendi captans, coniciens, minus qui at ergo cōfertim premebāt cauens, sagitta emissa est ipso nolēte, & Moschosum inter primos fortiter pugnantē lethali vulnere percussit. Ille oculis in cælum sublatis, gratias Deo immortalī egisse dicitur, quod pro Christi religione aduersus Mauros dimicans occumberet. Vnū præmaturæ & asperæ mortis solatiū suscipere se dixit, quod non illico cadendum illi fuerit: nam interea dum spiritus superaret, tale suæ specimen virtutis erat daturus, vt merito esset à suis complorā- 30 dus. Ergo ceteros exhortans in hostes processit, tantumq; manu dum potuit peregit, vt magna pars victoriæ, quā nostri eo die sunt consecuti, Moscho è Nauarri testimonio debeatur. Communi totius exercitus luctu, eius corpus sepulturæ datum est, & fortissimus iuuenis præstantis imperatoris voce in totius exercitus conspectu funebri oratione est laudatus. Eius mortē postquam rescitit Ximenius, moleste tulit: nã in Oranica expeditione, cum viuudum in iuene animū animaduertisset, ei primas partes post Nauarrū in exercitu detulerat. Erat iã cunctis Africæ nationib. Nauarri nomen cum primis formidabile: qui his successibus elatus, regē Bugianum quinto post mense vrbe suam recuperare molientem, castris spoliatum adeò potēter fregit, vt nihil postea hostile tentauerit: sed regno & fortunis 40 exutus, priuatam vitam inglorius egerit. Ibi rursus Petri Arias virtus emicuit: nam præsidio quod occupauerat per Nauarrum præfectus est, & barbaris per octo horas pertinaci cōtentione oppugnantibus, hostium impetū sustinuit, egregieq; locum cōmissum est tutatus, quinq; duntaxat militib. adiuuantibus: nam ceteri ægrotabāt. Idcirco auitus suæ familiæ insignibus castellū addidit, septem hostiū scalis admotis, quas ipse ferramentis sustulit. Hic est ille Arias, qui aduersus noui orbis anthropophagos, quos Charibes vocāt, classe à Ferdinādo catholico rege suscepta missus est. Huius factū sub mortis tempus percelebre & inauditū aliàs ferrur. Diutina & insanabili ægitudine correptus, crebrò ad sacra audienda in templum itabat, vbi eius sepultura effossa & aperta erat, in quā quotidie peractis sacris descen- 50 debat, iacebatq; quantus erat: deinde lustrali aqua aspersus, & funebribus precationibus expiatus domum redibat. Hoc se facere vxori & amicis dicebat, vt sic paulatim assuesceret illiusmodi habitationi, quæ sibi tam diuturna futura erat. Fuit quidem magnum intrepidi animi argumentum, toties terrā subiisse, & prærationes audiisse. Quãquam si quis rem penitus rimetur, potius huiusmodi facta

atræ bili adscribet, quã vlli animi virtuti. Paricū Bugiano successu, tertio post mēse, vt. Cal. Augusti, Tripolis per Nauarrum capitur: eiusq; vrbs præfectus vnā cum familia, captiui Mesanam in Siciliam mittuntur, vbi aliquot annos in custodia habiti, tandem à Carolo v. Imperatore (vt erat admirabili humanitate) Tripolim libertati pristinæ restituti redierunt. Ob huius vrbs captiuitatem non modò Hispaniæ rex, & Ximenius victoriæ particeps, ingentem lætitiā susceperunt: sed cū Pontif. Max. ad vrbe hęc ipsa nuntiata fuissent, adeò ei & senatui Cardinalium grata acciderunt, vt aliquot dierum supplicationibus decretis, ad diuorum puluinaria publica omnium lætitiā sit processum, regis catholici magnanimitatem, Hispanam virtutem, & Ximenii præstantiam collaudantibus, quem harum rerum suaforem, & perpetuum apud regem instigatorem esse cognouissent. Antè tamen mensibus aliquot, dum eam orā orientem versus Nauarrus circumnavigat, ad Cercinam insulā Lotophagitis proximā, Vianellus vir præstanti animo & robore præditus, & rerū bellicarū notitia clarus, parū cauto & prudenti ausu, morte miserima trucidatus est. Nam cū x. Cal. Martias ad eam insulam Hispanorum classis deuenisset, oppidis quidem vacuam repererunt, vt nostra etiam tempestate est: tantū enim sunt frequentia pastorum mapalia, aliquotq; itē ex Mauris agricolæ, qui partim gregibus alendis, partim terrā excolendo vitā inermem agūt. Huc Nauarrus appulit, vt classem aqua indigentem subleuaret. Ergo Vianellus a- 20 quationem facturum egreditur, & loci situ circumlustrato tres dulcis aquæ puteos reperit: ad eos explorandos Nauarrus accessit: erant autē cœno oppleti. nam postquã Mauri alios puteos interiori effoderant, hi neglecti erant. Postero die, qui iam tertius ab accessu in insulam erat, Vianellus excitatus à Nauarro obnixè contendit, vt sibi aliquot militibus datis, curam puteos expurgandi, & aquam ad naues inuehendi demandet. Annuit Nauarrus. Ille verò quadringentis militibus assumptis, ita nauiter in eo se gessit, vt circiter meridiem opus susceptū absolutum dederit. Ergo fossis puteos circumdat, & in orbē hastas defigit, interpositis alternatim sclopetis. Vbi Nauarrus eò aduenit, spectaculo delectatus, Vianellū id impensè efflagitantē ad puteorū custodiam reliquit. Animo id parum lubetū Nauarrum 30 fecisse testimonio satis magno est, quòd inde discedens dixisse fertur: rem quam forti animo Vianellus confecit, temerario & iuuenili consilio tueri studet: facile enim è nauibus in terra hostili, velut canes in Nilo, aquam fumeremus. Vianellus dum puteos expurgat, signiferum non nihil in re demandata cessantem, nō modò verbis duris homo superbus & iracundus obiurgauerat, sed pugnis insuper & vulneribus additis, barbæ bilos per contumeliā vulserat: is indignis modis sic leui de causa à Vianello tractatus, quauis eo tempore iram conceptā dissimulauit, impia proditione iniuriam illatam vlcisci decreuit. Igitur sub primis tenebris ad agricolas Mauros qui Cercinam incolebāt profectus, se Hispanorum ad puteos custodiam, sine vllō negotio in manus traditurum pollicitus est. Nocte intempesta 40 signifero ducente, Mauri exploratoribus sine vllō strepitu præmissis, cū Hispanos nihil minus quã irruptionem inimicā cogitantes, somno oppressos esse cognouissent, in eos irruentes, tribus duntaxat exceptis, vniuersos obruncant. Ex his alterū ad regem Tunctis, alterū ad Xecum Lotophagorū regem, veluti de nostris triumphantes mittūt: tertius ex vulnerib. susceptis penè exanimis, inter obruncatos relictus est. Reuertebantur interea viginti milites, qui ad naues cōmeatus deuehendi causa, eo ipso die sub solē occidentē à Vianello ire iussi fuerant. Qui barbaras voces Maurorū audientes, & quid accidisset statim cōiectantes (quod in tenebris facile fuit) quã cōmodè licuit, sese occultauerūt. Mauri dilaniatione nostrorum præter spem tam ex voto facta, sulphure sclopetarū incenso, ingentē sonitum 50 exultantes excitarunt. Nauarrus, qui Vianelli & militum in Insula degentium sollicitus, somno interrupto noctem anxiam illam trāsegerat, vbi parum apta temporis hora (erat enim matutinum crepusculum) sclopetarū sonitum audiuit, extemplo percussus, sagatus, vt in castris dormire consueuerat, è lecto profiliuit, & classicum incinens vniuersum exercitum ad terram eduxit. Mauri tamen, qui ob victoriam adeptam elati, rectā in littus ad naues properabant, vt si nostros negli-

gentes offenderent, pari successu opprimerent, simulatque Nauarrum acies suas instruentem conspexerunt, terga dantes, ad interiora insulæ, in latebras & antra se recipiunt. Ille autem noster, qui inter cadauera semimortuus remanserat, vt Mauros fugientes vidit, necessitate vires sufficiente, ad nostros reptans vix tandem peruenit. Is deficienti & collapsa voce, tribunum quendam militarem, & Franciscanum monachum alloquitur: quibus Vianelli contumaciam, signiferi proditionem, Maurorum aduentum ordine exponit. Sed ante omnia Vianellu culpam, qui læsi militis & iniuriæ illatæ immemor, vigilias procul à castris posuerit, quas hostes inopinantes oppræsserunt: oportuerat enim milites etiam intra castra constituere, qui per solidam noctem excubarent. Ad ea cognoscenda Didacus Paccieus tribunus militaris, cum exploratoribus à Nauarro mittitur, à quo postquam de omnibus abunde certior factus fuit, dissimulato dolore, vt exercitus naues protinus cõscendat iubet, & anchoras euestigio soluit. Nihil infractor eo casu Nauarrus, Tripolim, & postea Lotophagorum insulam, quæ Meninx dicitur, Siciliæ littoribus infestam, vastare instituit. quo metu Neapolitanæ triremes liberatæ, quas ei oræ rex Ferdinandus, paulò antè in Italiam veniens, præposuerat, facilius mare Tyrrenum nauigaturæ erant. Minimo negotio eam insulam in potestatem suam redacturus Nauarrus fuerat, nisi Garfias à Toletò, Albani reguli maior natu filius, fortis animi & magnæ spei iuuenis, sub prociuctum ipsum adueniens infausta & immatura morte Nauarri consilia prorsus interuertisset. Nauarrus enim solis declinationem expectandam omnino cõsebat: erat enim sub extremum Augustum dies diuo Augustino sacer, nostris tamen ater & nefastus. Lotophagi quid hora diei feruentissima futurum esset præuidentes, sirulas, ahenos vrceos, & alia id genus vasa hauriendæ aquæ accommoda, funibus appensa sitibundis iuxta puteos apposuerunt, vt aquam morte emerent. Si quidem dum æstuantium præcordiorum rabiem aquæ hauustu extinguere certatim laborant, quanuis ex insidiis prodeuntes Mauri equites in corpora eorum vndique sæuierent, nullis vulneribus inflictis ab aquis depelli poterant, nec vllum mortis genus recusabant: miserandum sanè spectaculum, ipsisq; etiam trucidatoribus horrendum. Circiter quatuor millia egregiorum militum, cum suis tribunis & ducibus, pauci ferro, siti complures & arenosæ terræ voraginosi specubus (vt Martyr scribit) submersi perierunt. Si qui tamen ad naues se receperunt, eadem semper fortuna persequente, cum nihil humoris quod haurirent inuenissent, ferme omnes siti sunt eneati. Nam dum fœminæ quæ in nauibus erant, Insulæ vastatione proculdubio futuram credunt, lauandis vestibus & vasculis, omnè ferè classis aquam effuderant. Discedit inde Nauarrus mœrens: Meningem insulam, cui arbor lotos in eâ multa iam Homericis temporibus nomen dederat, olim Cæsarium creatione nobilem, nunc verò clade Hispanorum infamem, diris, vt nefastam, execratur. Erat in Lotophagite Gerapolis vrbs, hinc fortasse tota insula Girba appellata est: sic enim illam Eutropius rerum Romanarum scriptor vocat. Hinc Nauarro prima mali labes: nam cum eius fraude id accidisse vulgò iactaretur, rex Ferdinandus vt Albano regulo gratificaretur, tertio deinde anno Nauarrum cruento illo prælio ad Rauennam habito captum, neglexit. Sic ob priuatam & commentitiam, vt nonnulli arbitrantur, causam, fortis miles & præstans imperator, qui reip. multis in rebus opera egregiè nauata profuerat, adhuc firma ætate, in squalore relictus est: donec postea Gallorū partes secutus, rursus à nostris est captus, & Neapoli in custodia vbi asseruabatur, tædio vitæ mortem sibi consciuisse creditum est. Cuius cadauer, quod inglorium in templo sanctæ Mariæ nouæ priuato in loco iacebat, Dux Sueffanus in sacellum magni Gonsali, quod in eodem templo est, transfudit, constructo etiam magnifico sepulchro, & epigrammate insculpto, quod sic habet: Ossibus & memoriæ Petri Nauarri Cantabri, solerti in expugnandis vrbibus arte clarissimi, Gonsaluu Ferdinandus Ludouici filius, Magni Gonsalui nepos, Sueffæ princeps, Ducem Gallorum partes secutu pio sepulchri munere honestauit: cū hoc in se habeat præclara virtus, vt vel in hoste sit admirabilis. Hunc ergo vitæ exitum Nauarrus & Vianellus habuere, qui Ximenii gloria & virtuti inui-

inuidentes, maiam illi gratiam acceptorum beneficiorum retulerunt, ingrati animi, ne dicam impii, ab unde testimonium dantes. Est epistola Zarati iuriconsulti, qui Orano præfectus fuit, ad Ximenium, cuius extremi versus ad hanc rem facientes, sic habent: Cum tot beneficiorum generibus à te Nauarrus, atque eius intimi, quos satis nosti, decorati & subleuati sint: nã ni tu prouidè & perhumanè annonæ castrensi subuenisses, ipsi cum exercitu omnino fuerant perituri: tamen sic verbis amaris in te debacchantur, ac si vxores eorum rapuisses, aut maiorum monumenta violasses, aliquidve in eos atrocius gessisses: hæc vna causa me in primis cogit, vt missionem ab hoc loco vel importunè flagitem. A Vianello magistro castrorū cauendum tibi esse censeo: nihil enim syncero, nihil amico, nihil candido in te animo facit, aut loquitur. Hic ergo tunc erat rerū nostrarū in Africa status. Ximenius postquam Orani victoriam non ita recentem in hominum memoria esse credit, & se minus seris gratulationibus obtundendum, Compluto Tolertum patrum desiderio satisfacturus venit: sed in primis, vt vota quæ in periculis transmarinis constitutus vouerat, in virginis Deiparæ templo maximo, vbi illa coli gaudet, supplex redderet. Durant ad nostram ætatem sacri dies, in monumentum Africanæ victoriæ instituti, quibus postridie dominicæ Ascensionis, atq; altero insequenti, templi maximi sacerdotes sacra in crucis dominicæ honorè, & Ximenii suorumque propinquorum parentationem, faciunt, amplis redditibus in hoc contributis. Ad sacram verò templi Toletani supellestem renouandam, tria nummorum aureorum millia anno eius seculi XIII. per duumuiros testamentarios donari iussit, pecunia à Didaco Samartinio, quæstore pontificio, statim numerata.

LIBER QVINTVS.

HÆc vbi ritè peracta sunt, de Basterana ecclesia, quam nunc Bazam vocant, ab Episcopo Acitano extorquenda, quæ fauore reginæ Isabellæ, sub Gonsaluo Mendozio, Archiepiscopo Toletano, fuerat occupata, Ximenius apud patres capituli egit: cuncta templi (scrinia, ad antiquas tabulas proferendas, in quibus Basteranæ ecclesiæ mētio esset, vt excuterentur curauit: atque de ipsa repetenda patrū sententis decretum est factum. Deinde Illeis ad eam sacrarum sceminarum Deiparæ virgini dedicandam curauit, annuis prouentibus perpulchrè instructam. Post aliquot verò dies Complutum rediit, de absoluenda Academia sollicitus. Interea duo negotia, vt sunt res mortales in vtrunque partem alterna, permolesta illi acciderunt: alterum cum Episcopo Oranensi, de ecclesiæ Oranicæ possessione: alterum cum rege nostro eam vrbem regis ditioni vindicare cupienti. Duræ partes Ximenii in hoc erant: nam propter regis ad hanc rem studium, impar Ximenius negotio habebatur. Rursus proceres, qui fasciculum literarum à rege ad Nauarrum missum in Ximenii manus venisse suspicabantur, regem Ximenio infensum futurum facile credebant: quod vt eueniret, omni studio conabantur. Nondum illorum procerum animi, quos Ximenius in gratiam regis prudentissimè compresserat, pacati erant: idcirco per opportunam vtrunque committendi occasionem quam diu optauerant, nacti esse videbantur. Ergo causis vndecunq; conquisitis, hominem de rege, deq; repub. ipsa benemeritum variè exagitare non cessabant. Rem etiam aliam occultis cuniculis agebant, vt subuerso scilicet Ximenio, facilius regem postea deturbarent. Quare Ferdinandum, sponte sua Ximenio iniquum, ita grauiter nouis calumniis perpulerunt, vt impensæ quæ ad Africanum bellum, per Ximenium (vt diximus) sunt factæ, & ex pactis conuentis statim illi soluendæ erant, tunc ea de causa denegarentur. Opponebant regis procuratores Oranicam prædam ad eò fuisse opulentam, vt Ximenii sumptibus par esse posset: remq; periniquam futuram, si postquã gloria & diuitiis onustus Orano venisset, à rege alteram mercedem impensarum postularet. Ille contra nil se ex præda abstulisse affererat, præterquam Arabica quædam volumina, nonnullaq; alia magis speciosa

quàm vtilia, quæ ad victoriæ monumentum Compl. afferuabantur. Quòd si impensarum regem peniteret, cederet Orani possessione Pontif. Toletano, & se omnem sumptum remissurum. Videbatur nonnullis hæc conditio neuiquam regi reicienda, Ximeniumque nouæ victoriæ causa hallucinantem, haud satis considerare, quantum negotii & sumptus Pontif. Toletanis incuteret, ea vrbe tradita, quæ per exigua emolumenta esset allatura: imò verò quæ in regione hostili trans mare constituta, assiduis incurfibus impetenda foret, & nouis subinde sumptibus defendenda. Non displicebat regii census procuratoribus ea sententia, qui regis patrimonium liberare ab impensis cupiebāt. Nam Toletanam ecclesiam imparē futuram videbant ad Oranum diutius tutandam, & necessariò regis opem imploratam, aut oppidum minimo addicturam. Alii verò, quibus instituta maiorū magis nota, & quibus sanior mens & consilium erat, neuiquam sumptus aut impensarum causa, aliquid regi esse committendum aiebant, ob quod aliquando dolere posset. Meminisset enim illam miseram Hispaniæ vastationem, nō aliam ob rem magis accidisse, quā quòd scelestus Iulianus Spartariæ Comes, & Tingitaniæ prouinciæ præfectus, illac aditum in Hispaniam Mauris dederit. Videret ergo ne Orano tradita, præsertim si portus custodia Orani præfecto, vt Ximenius petierat, committeretur, in talem aliquando fortunam rex incideret, qualem infelix Rodericus passus fuit. Quòd si præfules, aut homines alioqui sacros, fideiores esse existimabat, meminisset etiam Oppam Toletanum Antistitem, Iuliani conatibus eo tempore in primis inseruisse. Præsertim cū iam diu Hispaniæ regibus vstratum ac penè solenne, legibusque cautum fuisset, ne limitanea præsidia, aut oppida, vllis vnquam priuatis darentur. Idcirco vt de cæteris sileretur, Agredam oppidum in Aragoniæ confinio positum, à Montacutanis comitibus ablatum fuisse, & eius loco Almazanum suffectum. Bastetanam item vrbe mari proximam, & Africae oppositam, ab Archiepiscopo Toletano detractam, Vzetano oppido pro ea substituto. quæ res necessaria semper est habita, vt cūm Garfias Iuannius Pantulfa, Toletanæ vrbeis cuius & præfectus, in Murgitana prouincia præsidia mari vicina possideret, Niuellam scilicet, & Neopotum, Alphonfus rex cognomento sapiens, illis sibi vindicatis, Maganum, & Mozejonium, vicis Toletano proximis, Iuanio dederit: vt ex tabulis regii, quas rotatas vocant, apud Iuanii successores, qui Pantulfarum nunc appellationem in vrbe nostra tenent, videre licet. Addebant huius sententiæ fauores, quòd si aliqua fortè obiicerentur, quæ in talibus locis sitæ priuatorum hominum possessiones essent, vetustiores causas ad ea prætendi, quàm vt in præsentia conuelli deberent. Vicit hæc tandem apud regem sententia, & illico de impensis reddendis actum fuit: quas quanuis malignè & vix extorserit, redditæ tamen Ximenio fuerunt. Mittitur interea Complutum executor regius, qui primùm cunctam Ximenii supellestem excutiat, deinde priuatorum hominum, qui prædæ participes fuisse credebantur. Id autem impotenter ab eo, & contumeliosè, per Antistitis Toletani oppida, vbi militum delectus habiti fuerant, factum esse à maioribus accepi. Nam mancipia, quæ sub corona venierant, Maurica stragula, Numidicæ vittæ, & quicquid deniq; aut pretiosum aut vile prædæ cesserat, rursus fuit in aceruum redactum, vt inde regi quinta pars tribueretur. Res fuit Ximenio grauis & molesta, præsertim cū iniqua & indigna contingeret: siquidem maior pars exercitus cum imperatore Nauarro & tribunis militaribus in Africa manserat, quibus præda opulentior & nitidior cesserat. Nunc verò tenues homines & agricolæ vexabantur, qui dum à peculio & opificiis suis absunt, plus ex re familiari amiserant, quàm ex præda in bello comparauerant. Exigebantur etiam à Ximenii quæstoribus rationum libelli, in quibus subducendis multò parcius & renuius agebatur, quàm in cumino secando, iuxta veterem parcemiam, sordidi homines & auari solent. Hæc ille ita forti animo & generoso tulit, vt nullam offensæ patientiæ significationem, nullam vocem, aut arrogantem, aut superbam ediderit. Reuocabat enim in memoriã, prisca Themistoclis & Scipionis exempla: & quod magis eum cōsolari poterat, æqualis sui Gonfali ducis cognomento Magni, qui nuper Neapolitani regni præfectura relicta, ad similes scopulos cum regii census

census procuratoribus in reddendis rationibus impegerat: etiam si, qua erat hic ingenii dexteritate & elegantia, faceret disteriis contumelias circa eam rem illatas vrbanè eluserat, Ximenii tamen virile pectus paria cum Gonfali dexteritate faciebat. A regis ergo rationibus explicatus, gratias pro redditis impensis egit: & ad omne deinceps obsequium se paratum & promptum est pollicitus. Quod vt erat magnanimi & excelsi spiritus, multiplici officio in reb. quæ postea emerferunt, iniuriarū oblitus præstitit. Alterū verò negotium quod Episcopus Oranensis facebat, ab hoc principio occasionem, non omnino temerè ab aduersario animaduersam habuit. Aliquot retro annis priu squa de Orano capienda ageretur, Loduuicus Guilielmus ordinis Franciscani socialis, Episcopus per Pontif. Max. creatus est titulo Aurenfis diocesis: solent enim huiusmodi Episcopatus tribui titulo tenuis, donec vrbes illæ ad Christianos iure postliminii redeant. Cū igitur Guilielmus passim Auriensem Episcopū se vocitaret, isq; Oranensis tum ab ipso, tum à vulgo omnibus esse crederetur, simulatque Oranum nostrorum virtute in potestatem Christianorum venit, veluti nihil iniquum aut alienum petens, sed potius iure sibi acquisito vtens, litem Ximenio intendit: nam nihil precibus aut fauore effecerat, de Orani ecclesia, quam suam esse credebat, re petenda, ad quod Pont. Max. diploma ostendebat, quibus illico vt Oranum capta est, ei se ritè suffici curauerat. Ximenius verò, qui rem quam arcu suo (vt sacrae literæ loquuntur) atq; adeò militum suæ ditionis sanguine & sudore pepererat, ex conditionibus cum rege Ferdinãdo pactis, diocesi Toletanæ applicare, & coniugare in primis operam dabat: vt velius possessionis memoria, succedentes Antistites ad res consimiles efficiendas incitarentur. Anxius tamen & sollicitus, ne quid propterea damni Guilielmus sustineret, propriæ ecclesiæ possessione deturbatus, viros antiquitatum, & memoriarum priscaurum peritos ad se vocat, & de Orani vetustate inquirat. Illi verò, consultis prouincialibus de Episcopatu diuisionibus libris, & Africanis conciliis, vbi nomina Episcoporum & diocesium subsignantur, situ item locorum explorato, ac vetustis vrbeb. cum recentibus comparatis, ad hunc modum Ximenio responderunt: Oranum nouam ædificationem esse, quod partim ex antiquorum cosmographorum libris eliciebatur, qui ad portum magnum, qui Mersalca bir dicitur, nullam celebrem habitationem, qualis Oranica nunc vilitur, constituent: partim ex Maurorum ipsorum monumentis, vbi Oranum Trimesenio rum colonia esse proditur, & non ita longè à patrum memoria per Numidæ strueta. Quod si ita, vt credebant, esset, nullam antiquam appellationem huic vrbi in præsentia dandam censebant. Quòd si ideo Guilielmus Auriensem appellabat, quod cum Guaharam nomine à colonis indito cōueniebat, videret sanè vir parum istarum rerum peritus, ne ita causam suam omnino euerteret: cū nimirum diocesium Africanarū nomina iã olim ex monumentis prouincialibus sint cognita, quæ multò antè ipsis imposita fuerūt, quàm à barbaris occupata regio esset. Quòd si ex barbaro nomine argumentum capiebat, confiteretur necesse erat, post barbaricam irruptionem Episcopatum in ea vrbe constitutum fuisse: quod quàm absurdum & ridiculum foret, ipse paululum attendens intueri poterat. Rursus cū ex libris prouincialibus, tum ex synodis in Africa habitis, vbi de Metropolitanis eius prouinciæ ecclesiis mentio est, Carthaginensis & Tingitana recensentur: ex quibus Tingitanæ, Setinensem siue Elissenam, Bugianam, & Hipponensem subiiciunt, nulla Auriensis mentione facta. Quòd si tunc ea ecclesia fuisset, cū multò propior & vicinior, quàm vlla prædictarum Tingi metropoli esset, dubium non est, quin diuifores illam inter primas fuerint numeraturi: Carthaginensi verò Tripolitanam, Icosiensem, Horocellorum, pluresque alias, quæ ad orientem è freto Herculeo vergunt, inter quas Auriensis numeratur, quæ ab eo loco in quo Oranum est, plusquam passuum octoginta millia distat, si bene situs regionis consideretur, & librorum computatio subducatur. Accedit quòd Orano Trimesenio proxima, tantoque illa & magnitudine, & dignitate inferior, neuiquam erat tam insignis nota Trimesenio inurenda, vt hac præterita, Oranum pontificiam ecclesiam haberet. His rationibus Ximenius persuasus, Guilielmo ecclesiam

suam alibi quærat terrarum iubet: neque enim se viuo vnquam permissurum eam fraudem Toletanæ diœcesis fieri, vt contra regia pacta & iustas sponfiones, Oranicæ ecclesiæ possessione priuaretur. Nam, vt ex Didaci Lupi instructionibus apparet, quas eo tempore à Ximenio apud reges procurandas accepit, antequam in Africam traiceret, inter cæteras stipulationes, quæ solennibus tabulis hinc inde sunt habitæ, vnum illud præcipuum fuit, quod Oranica ecclesia collegiatæ titulo Toletanæ adiungeretur, abbatie, dignitatibus & sacerdotibus per Pont. Max. institutis, quorum abbas in Toletana ecclesia locum dignitatis in templo maximo, & sedem haberet: quorum nominatio iure patronatus regi nostro in perpetuum concessa esset, & protinus ab Archiepiscopo Toletano confirmaretur. Id Guilielmus ægrè tulit, & vndecunque conuocatis auxiliis, regium tribunal, atque ad eodè regis ipsius aures querimonias aduersus Ximenium onerat: se possessione propria per omne nefas deturbari: Pontif. Max. diplomata parui pendii: & demum ab aduersario potentissimo, non tam ex æquo vinci, quàm per vim & iniuriam obrui. Hæc cum assidue ab illo iactarentur, tandem biennio post literas ad Ximenium à rege impetrat, quarum autographum exemplum apud me est, quibus omni studio modo nõ orat, vt huic liti finem imponat: & si quas habet Pontificis Maximi tabulas, quod sæpe affirmauerat, de collegiata ecclesiæ Toletanæ subiecta Orani erigenda, quamprimum ad supremum regis tribunal proferat: vt tam Guilielmi, quàm ipsius diplomatibus exactè perspectis, quid sit tandem credendum innotescat: alioqui si post tam benignam obtestationem in proferendis tabulis cesset, se nullius rei priuatæ ratione habita, solû quod iuris esset facturû. Harum literarum causa Ximenius cum Guilielmo non aspernandis cõditionibus litem componere & sopire parat. Nam eum abbatem Orani creandum pollicetur: abbatiamque ipsam Toleti in templo maximo, dignitatis titulo (vt dictum est) cohonestandam, sacerdotio insuper, quod portionem vocant, ad dignitatem tuendam addito. Sed dum Guilielmus adhuc se plura à Ximenio extorsurum sperat, conditiones oblatas respuit: rabulas Pontif. Max. vt proferat instat: & quicquid causæ suæ profuturum existimabat, apud regios iudices declaret. Tunc Ximenius seueritatis innatæ memor, diplomata quidem Pont. nulla (vt opinor) protulit, cæterum regem de conditionibus Guilielmo propositis, per procuratores suos admonuit: qui apud eum prouincialium commentariorum testimonia, quibus Oranum recens esse colonia ostendebatur, cæterasque omnes Antistitis sui rationes referentes, simulque pacta in memoriam reuocantes, quæ cum Ximenio ante Africanam expeditionem inierat, de erigenda collegiata ecclesia, quæ Toletanæ diœcesis adiungeretur, regis animum à Guilielmo alienarunt: & partim negotiorum maiorum causa, quæ sunt illico in Italia oborta, partim regis ægritudine & tædio, nunquam Guilielmus amplius aditum ad eum habuit. Cùm verò à morte regis Ximenius imperii gubernacula suscepit, sensit tandem auarus senex, quanto sibi commodius fuisset, vel cû iuris sui dispendio, nedum in re tam ancipiti & dubia, benignas Ximenii conditiones accepisse: nec rerum maiorum captandarum spe, paratam fortunam stolidè abieciisse. Vixit itaque pœnitentiæ fera cruciatus, prorsusque à Ximenio neglectus: raro enim homo priscæ seueritatis in gratiam cum illis redibat, qui iustam eius indignationem meruissent. In actis tamen Alphonsi Fonsæ Archiepiscopi Toletani inueni, Guilielmum post Ximenii mortem rursus ad litem suam rediisse, & Alphonsum Fonsæ (vt erat vir singulari humanitate) easdem cum Ximenio conditiones obtulisse: quas ille litigationis molestias ferre nolês, & simul occasionis præteritæ exemplo prudentior factus, libenter quidem amplexus est: atque ita anno eius seculi xxxvi. ferme ineunte (nam sub mensem Ianuarium hæc ipsa gerebantur) Fonsæ Archiepiscopo apud regem curante, literæ ab eo ad Clementem vii. Pont. Max. & ad ducem Sueflanum, Cæsareum apud Pontificem internum (nam iam Carolus v. rebus potiebatur) super ea re datur. Porro in Sueflani mandatis, ea quæ à me narrata sunt de pactis regis catholici cum Ximenio in actis, de ecclesia collegiata Orani erigenda, de ea vrbe per Ximenium expugnata, de ecclesiæ institutione propter regis Ferdinandi imbecilem senectam dilata, de ea primo

primo quoque tempore instituenda copiosissimè agebatur. Quid tamen post illud apud Pont. Max. effectum fuerit, sanè mihi compertum non est. At quantum ex ecclesiæ Toletanæ actis coniectare licet, res adhuc anceps relicta fuit. Nam certè Pont. Max. nil concessisse id magno argumento est, quod cùm Romæ differri negotiû Guilielmus cõquereretur, seque titulo Auriensis ecclesiæ eius fide fretû abdicauisse, quinquaginta millia nûmûm Guilielmo quotannis percipienda, donec diplomata Romana adducerentur, liberaliter consignasse: ex quibus partem aliquam suscepisse, chirographo suo Guilielmus testatur. Sed cùm Romæ nihil ageretur, tandè Guilielmus Oranum concessit, vicarii à Fonsæ instituti nomine ecclesiæ Oranicæ fructus percepturus: quos cùm exiguos & tenues, vt in regione hostiliprehendisset, rursus in Hispaniam rediit. Cuius aduentus parum gratus Fonsæ fuit: ob quod alteras à regeliteras ad Fonsæ impetrare coactus est, quibus illi Carolus obtestatur, vt saltem summam illam quinquaginta millium nûmûm, misero seni, atque in extrema inopia constituto, nequaquã denegaret. Cùm ergo ad eum statum res producta esset, ecclesiæ Toletanæ patres, vt ex actis eorum apparet, voluntati Fonsæ conenserunt, ad dignitatem Oranicæ abbatie in templo suo constituendam: licet se angustissimè sedere, ob sacerdotiorum multitudinem dicerent. Cùm ergo hucusque processisset, mirandum est, quæ causa retardare poruenit, vt res hæc hactenus infecta remanserit. Nisi fortè aut Pontif. max. religio fuit, rem vetustam circa Auriensem titulum, aliter quàm vulgo acciperetur, declarare: aut præfulem Toletanum piguit, impensas non mediocres ad collegiatam ecclesiam Orani, loco parum ab hostili iniuria tuto, erigendam facere. Hanc remissionem Guilielmi mors superueniens adauxit: cuius potissimum importunis petitionibus, res parum antistiti Toletano grata intermissa fuit. Igitur mansit Oranum Toletanæ diœcesis in Africa portio: qua de causa cùm hostium incurfibus perpetuò ab eo tempore vexetur, & militarium hominum qui ad eius custodiam illic viuunt licentia, religionis studium pertenuè habeatur, sacerdotes à rege Ferdinando per Ximenium instituti, armis magis quàm libris, & prædæ potius quàm pietati assueti, minoris fiunt quàm vt canonicorum nomen obtineant: abbasque ille qui præponendus curabatur, vicarii nomine in præsentia contentus, solo Pont. Toletani nutu, nulla regis necessaria nominatione, vt videmus, eligitur. Nam Bartholomæus Miranda, inter initia sui pontif. vicarium Oranensem in demortui locum sufficit, isque adhuc ecclesiæ illius præfectura potitur. Ingens contentio nobis cum reipublicæ hostibus, ab eo tempore pro Orano & portu magno mansit, nostris fortiter defendentibus, illis acriter incurfantibus. Nam sub extremum Ximenii vitæ annum, semel à Turcis impetita fuit, Horuscio Ænobarbo duce: rursus ætate nostra Turcarum auxilio semel, Martino Alcaudeto præfecturam Orani tenente, anno M. D. LVI. & iterum Alphonso Corduba anno M. D. LXXII. vbi Martini Cordubæ, Alcaudeti filii, ingens virtus emicuit, in Masalquibirano præsidio defendendo contra innumeram hostium multitudinem. Post hostium fugam, Deo immortalis à Philippo Rege, & vniuersa Hispania gratiæ actæ sunt: persuasumque fuit Ximenii meritis, qui sacris armis & religiosis auxiliis, diuino potius quàm humano præsidio, ea præsidia ad eodè reipublicæ necessaria expugnauisset, hoc nostro tempore obsidione fuisse liberata. Hactenus de Africana Ximenii expeditione, quam ille nullis sumptibus aut labori parcens, reip. causa, Deo virum magnanimum, & ad publica commoda procuranda natum, proculdubio instigante suscepit. Igitur postquam Oranica negotia ad eum modum composita sunt, otium Ximenius à rebus publicis, per id tempus nactus, Cõpluti de rebus, quas iam dudum meditatus fuerat, quamprimum perficiendis curabat. Atque ita sub annum eius seculi decimum, ædem Ilescis in honorem Dei paræ dedicatam, Araozo penoris præfecto absoluendam mandat. Turrilacunæ, quod illi solum natale fuit, aream peraccommodam & spatiosam signat, ad ædem alteram Dei paræ erigendam: eius enim cultui deditum fuisse, tot præclara monumenta virgini matri dicata manifestis argumentis demonstrant, in qua Franciscani sodales sanctissimæ Virginis numen religiosis precibus, & obsequiis demer-

rentur. Inde ad sancti Auditis delubrum venit, quod non longè à Turrillacuna, inter rupes Buitragiorum est. Locus certè nemorum solitudine, & aquarum scaturientium abundantia peramoenus. Eius Priore (sic enim ædis præfectum appellant) ad se vocato, postquam in mores eius ex officio pastoralis inquisiuit, quos corruptissimos habere nouerat, de auferenda ab eo præfectura, & aliis prouentibus ei magis profuturis cõpensanda, agere cœpit. Inde Compluti ad Academiã reuertitur, quã supra omnes alias operum institutorum curas, tãquam dilectam filiolarum, singulari studio adaugendam & exornandam curabat. Erat inter Ioannis Ximenii fratris liberos, Ioanna Cisneria, ob honestos & ingenuos mores peculiari affectu Ximeno grata: qua de causa de eius in matrimonio locatione sollicitus, virum aliquem nobilè ingenio facili & mansueto, maritũ ei iamdiu quærebat. Proponebantur sanè ab amicis aliquot regulorũ filii, ad quos primigeni iure hæreditas paterna pertinebat: sed his tanquã impendiõ sumptuosus semper reiectis, semper ad natiuiores inclinabat, quod eis mediocri dote satisfacturũ se esse arbitraretur. Oblatus tandè quærẽti est Petrus Gõsaluius, Didaci Ducis Infantatus ex fratre Aluaro nepos, qui nondũ ex ephebis egressus, indolè maioribus dignã præ se ferebat. Hic aliquot post annis, multa suã virtutis exempla in Italia protulit, Vallis Siculæ Marchionatum in dotem vxoris accepit. Is tunc Ximeno satis dignus fuit habitus, cui Ioãna nupti daretur: tabulis publicis, vt solet, nuptiarũ stipulatio, Didaco ducetore collaudate, facta est: & extemplo Gõsaluius in antistitis familiã sponsum nupti, quod faustum felixq; esset, magna omnium lætitia fuit ascitus. Sed aliter visum est superis, neq; enim ratæ eã nuptiæ fuerunt. Dum hæc à Ximeno Compluti aguntur, Villaroellus Castorlanus præfectus in præfecturam suam Orano venerat: vbi dum ab antea actis laboribus se quieturũ sperat, vt sunt hominum spes fallaces, cum ciue suo ingenuæ conditionis homine similitate suscepta, eò tandem furoris res processit, vt eũ ferro perimi curauerit, & paternos quos incolere penates, solo per noctem intempestã quauerit. Vxor & cognati tam atroci facinore permoti, squalenti & luctuoso habitu, ad regem vindictã petitiu veniunt. Ad inquirendum de eare quatuoruir Cornelius Castorlanus mittitur. Id simulatq; Ximenius cognouit, dedit operã, vt ante eius aduentũ Villaroellus rei personam gerens, ante regium tribunal continuo sisteretur, & largissimè pecunia vxori & propinquis occisi erogata, & ad sui defensionem purgatione adhibita, mortui manibus expiatis, ea se tandem noxa liberaret. Vulnus nondum obductum, quod Ximenius in animo ex Oranica Villaroelli, ad Trimesenii portam, negligentia susceperat, rursus recruduit: & ignauia, vt ipse sibi persuaserat, aduersus hostes, ferociam in subditos adiungi videns, dici nõ potest quã grauiter id tulerit: & quantũ dum vixit, Villaroello semper infensus fuerit. Interea rex eũ sub veris initium ad Aragonis cõuentus proficisci vellet, Madritum ad se Ximenum accersit: qui Ferdinandi nepotis custodia suscepta regni tantisper gubernaculo insistat, donec Aragonii cõuentus peragerentur: quod sub primũ Septembrem factum fuit. Quare cum rex in Castellam rediisset, extemplo Ximenius Complutum concessit. Illuc cum venisset, Ioannẽ Castellam Salmanticensem Episcopum, diem suũ obiisse cognouit: cumq; apud ipsum de episcopo illi ecclesiã sufficiens inter familiares ageretur, non defuerunt, qui de Francisco Ruizio eius sodale, quanuis subimide, & parum aperte, Ximenii seueritatis & ingenii conscii, explorabundi tamen mentionem fecerint. Nam ex frequentibus Ximenii mandatis, quæ eius nomine ad regem ferebat, & præsertim ex narratione belli Africani, quam Orano profectus coram rege prudenti & iucundo sermone exposuit, nõ solum erat regi Ferdinando notus, sed carus etiam: vnde amplam spem secum reportauerat, tali aliqua qualis præfens erat occasione oblata, non se frustra ad regem ventitasse. Grauius id accepisse Ximenum Ioannes Vergara referebat, qui quanuis eo tempore in antistitis familia non esset, ab antiquioribus tamen ministris audierat, neminem ex Ximenii familiaribus, neque adeo Ruizium ipsum, eius opera aut commendatione, ad dignitates quas habuerunt, gradus fecisse: sed sua potius ipsorum industria, Ximenii fauore obliquis consiliis ad ambitionem suam abutentium. Nam id vnum vis

religiosus, & rerum earum experiens apud se statuerat, vt nemo ex his quibus carere, aut alias quoquomodo curæ essent, ad hos honores, quos partim animi tranquillitate ledere, partim periculo plenos esse cognoscebat, se curante vnquam prosequeretur. Veruntamen quanuis hoc ita esse non inficiabor, alii qui adhuc viuunt, in Ximenii domo per id tempus diuersantes, longè aliter mihi retulerunt. Nam cum Franciscũ Ruiziũ semper plurimi Ximenius fecerit, eumq; cuius rei gerendæ parem esse abunde existimauerit, ad episcopale dignitatem promouendũ iudicauerat. Atq; ita Arteagam vnum è cubiculariis ministris Madritum ad regem misisse certũ est: qui Salmanticensem ecclesiam Ruizio peteret. Libenter se id facturum fuisse rex Arteagæ respondit, nisi pridie eius diei Francisco Bouadillo Marchionis Moiani filio, in gratiam matris contulisset: cuius in aulam scemineam, dum reginis sedulo inseruit, permulta quidem merita extiterant. Quod si Rodericopolitanam, quam ciuitatẽ vocant, à Bouadillo relictam tantisper suscipere vellet, donec amplior se offerret, in qua Ruizius suam virtutem pro dignitate ostenderet, se extemplo id effecturum. Quod & præstitit: nam ferme quadriennio post, cum æger rex per saltus se oblectaret, & animi causa in Segobia syluis venationi operam daret, cum fortè Abulenensis episcopatus pontifice defecisset, Didacus Lupus Aiala Ximenii procurator, atque Ruizio amicitia coniunctissimus, ad regem venit, & quod Madriti promississet in memoriam reuocauit. Cui verbis beneuolentia & fauore plenis ad hunc modum respondisse ferunt: Memineris tu potius Lupe de diplomatis Roma asportandis, nam ego me iam antequam tu venires promissis Ruizio, siue potius Ximeno, exolueram: quæ ego vnũ, propter eius in me præclara beneficia, nulla vnquã occasione fallere vellẽ. Huius secundæ Lupi petitionis Ximenum ignarũ fuisse, proculdubio ex Vergaræ testimonio affirmare auisim. Satis enim segetis ad pietatem exercendam in Rodericopolitana ecclesia Ruizio datum esse arbitrabatur: idq; sæpius significauerat. Etenim crebris apud eũ sermonibus vsurpabat. Si me audis, nihil vltra ambies: nam quãtum sollicitudinis & molestiarum, summi honoris & dignitatum gradus, sub fulgore qui præfertur, occultent, à meis rebus plenè discere potuisti. Idcirco non tam regi gratias tunc egisse, quàm offensi animi indicia commonstrasse, quod id per Didacũ Lupum factum esset. Nil memorabilius à Ximeno factum, hoc anno comperi, Bastetanæ ecclesiæ ad Toletanam dicecesim reductione. Nam cum decretum à patribus Toletani capituli, Ximeno præfente de ea ecclesia repetenda, factum fuisset: simulatq; otium nactus fuit, ad id conandum vires suas & animum conuertit. Est sanè difficile & arduum, rem quam semel quispiam iure, vel iniuria occupauerit, rursus extorquere, & in tuam possessionem vindicare, sed multò laboriosius quæ ab ecclesiis tenentur. Cum igitur reges catholici, Ferdinandus & Isabella, conatu felicissimo ac religiosissimo, Granatensẽ regnũ expugnare aggressi sunt, quanuis in id sedulo & potenter intendere decreuerant, intellexere tamen Granatam, regiam & munitissimam urbem, nulla vi, aut dolo debellari posse, ni vicina oppida prius caperentur: vt lignatores si quando magnam arborem euertere cõtendunt, ablaqueare solent, & paulatim radices quibus nititur, rescindere. Ergo inter alias vrbs Bastetana fuit, quæ vt in commentariis Ferdinandi Pulgarii habetur, obsidione sex mensium vexata, tandem anno M. cccc. lxxxix. ante diem tertium Non. Decembris in potestatem Hispanorum venit, plusquam quingentis ex nostris qui in ergastulis captiui continebantur, deditioe caliberatis. Curarunt illico religiosi principes, de ciuitate per sacerdotes nostros lustranda, de quæ præfili proprio committenda: vt à Dei optimi maximi cultu principium facientes, felici reliqua successu prouenirent. Annales rerum nostrarum tunc consulti sunt, & acta sacrorum librorum inspecta: atq; tandem intellectum est Bastetanam urbem ad Toletanam dicecesim pertinere. Nam anno Domini M. cc. xxii. tertio decimo Calendas Februarii, qui dies Fabiano & Sebastiano Martyribus sacer est, Talamanca dicecesis Toletanæ oppido, Ferdinando III. & Berengaria matre præsentibus, Alfonso Tellius Meneses, qui quondã montosis ad Toletum locis, quæ se illa regio Lusitanicæ antiquæ coniungit, oppida quædam limitanea condiderat, puta Cedenillam,

Malamonetam, & quod à duabus fororibus nomen tenet, quæ religionis ergo ecclesie Toletanæ, atq; eius Pontificibus dono dedit. Id cū Toleti diuulgatū esset, magna cōtentione apud regem actum est, vt Rodericus Toletanus antistes, senatui populq; Toletano oppidis iis cederet, quæ illorū vrbibus peropportuna erant. Sed anno M. CC. XLV. solenni stipulatione confectum fuit, vt intra quadriennium, si Bastetana vrbs è potestate Maurorū erepta esset, ecclesie & archiepiscopo Toletano addiceretur: & statim præsidia, quæ circumcirca eā rex cceperat, traderentur. Non facillè tamen in præsentia affirmauerim, an ad Bastetanam à rege petendā aliquo iure Rodericus egerit: res enim sunt peruetustæ, & parū cognitæ, in quibus quod certi tradatur nihil est. Bastetanā verò nunquam à rege fuisse captā, paulò attentius quæ gesta sunt cōsideranti satis cōstare potest. Nam de Vzedæ, Ezna-
10 tophari, & aliorum oppidorum pro Bastetana à rege facta commutatione agitur, & rex literis ad Sanctium filium Archiepiscopum datis, Roderico iam defuncto, de Bastetana vrbe primo quoq; tempore obsidenda scribit. Illud certè satis cōstat, ad Ferdinandum v. sub Maurorum imperio eam urbem fuisse, archiepiscopis Toletanis suum ius retinentibus, si quando in Christianorum potestate veniret. Ergo postquā ea vrbs capta est, Cardinalis Gonsaluius Mendozius archiepiscopus Toletanus vicarium suum in ea constituit, sacris prius procuratis. Acis vrbs pari à nostris fortuna eodē mense capitur, quæ nunc Arabico nomine Guadix appellatur. Hæc quoniā olim episcopatu decorata inueniebatur, & tunc hostium causa dice-
20 ceseos angustiis laborabat, visum est regibus, vt auctoritate summi Pont. Bastetana vrbs propinqua ad Acitanū episcopū pertineret: & vt Toletana, ditione territoriq; suo amplissimo contenta esset. Ab eo tēpore, in Acitanæ ecclesie potestate Bastetana fuit. Nam cū Garfias Quixada, Frācisani ordinis sodalis, Acitanus episcopus fuit creatus, vt erat apud aulicos ferme omnes graciosus, facillè à regina obtinuit, vt Bastetana vrbs Gosaluio cardinale dissimulante, dicepsi Guadixianæ cederet. Ergo Ximenius rem indignā esse arbitrabatur, pontificatus Toletani amplitudinē diminutā & accisam esse, in gratiam præsulis Guadixiani. Et quāuis pro tempore dissimulandū esse duceret, altè tamē animo ea iniuria impressa erat, & decreuerat simulatq; occasio data esset, Bastetanā ablatā ecclesie Toletanæ postli-
30 minio restituere. Igitur cū à publicis rebus eo tempore vacaret, atq; ob bellū Africanū assidue per eos dies in locis maritimis cōmoraretur, de Bastetana repetēda, cū Acitano episcopo ex iure agere ccepit. Nā cū ad cōmeatus, reliquaq; omnia belli instrumenta deportāda crebrò Singilienses, Bastetani, & Acitani, aliq; item maritimæ illius regionis incolæ conuenirent, querele ad Ximenium (vt sunt vulgi mores, ad calumniam magistratibus faciendam propensū) deferebantur, de sacris malè per Episcopos Acitanos procuratis, deq; disciplinæ Christianæ corruptela ob Mahumetanæ gentis vicinartē. Sed Bastetani antè alios instabāt, vt memor esset antiquorum clientum, neq; tam bonus patronus, sub alieno dominio illos dege-
40 re permitteret. His assiduis Bastetanorum vocibus Ximenius cōmotus, sub mensē Februariū, apud iudicē à Pont. Max. delegatū, litem episcopo Acitano intēdit. Capita rerū ab eo proposita, quantū ex publicis notariorū tabulis colligere licuit, hæc ferme sunt. Primum, In ecclesie Toletanæ tabulariis inter cætera venerandæ antiquitatis monumenta, membranas sigillis regis & Pontif. consignatas esse, in quibus, ex regis Ferdinandi tertii & Sanctii archiepiscopi Toletani pactis conuentis, ius Bastetanæ vrbs possessioni regie conceditur, Vzeta & Eznatoroso oppidis pro ea datis, aliquotq; item nummorum millibus perpetuò percipiendis. Nam vt ex serie literarum apparet, Roderico Ximenio Toletano antistiti, in cuius demortui locum Sanctius successerat, Ferdinandus rex Bastetanam ditionem sub ea conditione dederat, si Mitaculo cederet. Id erat oppidum in Bæticæ confiniis, ad publicam viam qua Toletum itur positum: in quod Rodericus, dū Oreti Maurorum viribus resistit, nouam coloniam curauit deducere, loco scilicet ad imperus hostium infringendos peraccommodo: quauis vt ipse in historiis Gotthorū scribit, ab operis continuatione, ob crebras pluias, & inundationes, sub ipsis initis retardatus sit. Postea verò quoniam rex Bastetanam urbem tanquam vrbibus suis
ne-

necessariam repetebat, Sanctius Archiepiscopus regis parentis voluntati obtemperans, annuentibus etiam capituli patribus, & publicis tabulis interuenientibus, Bastetanæ vrbs ius in regem ac suos successores transfudit. Et nō solum diplomata in quibus donatio facta continebatur, regi sunt tradita, sed & literæ etiā ad Rodericum Toletanū datæ, quibus intra quadriennium se ecclesie Toletanæ vniuersam Bastetanam possessionē, prout conuenerat, traditurum pollicebatur: itemque aliæ ad Sanctium filium missæ, quæ sub mensē Maiū instantis anni se id effecturum continebāt. De iure verò pontificio in Bastetana vrbe exercendo per Archiepiscopos Toletanos, Cælestini II. & Urbani III. concessionem, sub Gonsaluo & Martino antistitibus Toletanis datæ, in publicis nostræ ecclesie tabulariis repositæ aptissimè loquuntur. Fuit hic Rodericus vir præclarus, pietate in primis, sed bello etiam atque eruditione memorabilis, vt eius scripta & egregia in remp. monumenta testantur. Nam eius armis (vt supra dictum est) Castoriana præfectura, aliæque oppida à Mauris sunt recepta. Id igitur cū Archiepisc. Toletani, ex actis suis ita esse cognouissent, iuris sui seruandi causa, quoties decumarum sacrarum publicæ redemptiones in dicepsi Toletana agebantur, semper tam Toleti quàm Castorlæ, inter cæteros annuos fructus, Bastetana etiam annona, de more taxanda proponebatur. Constat ex Alphonfi Carrilli Archiepiscopi Toletani tabulis, Bastetanum archidiaconatum cuidam sacerdoti etiam si nihil percepturo ab eo tributum: ne huiusmodi actiones neglectæ, Toletanæ ecclesie fraudi essent. Quin & anno Domini M. CCC. XXX. Ægidius Albornozius Archiepiscopus Toletanus, cuius egregiam & admirabilem virtutem, sedes Apostolica seruata, atque adeò Italia vniuersa sensit: cū rex Alfonsus XI. Abenzaidi præsidium (quod Alcala Mauri vocant) obsideret, iuris Bastetani Archiepiscopis Toletanis debiti memor, Bastetanam urbem obsidendam, duxit: quam cū graui oppugnatione premeret, Farachius Granatæ rex, qui eius loci possessione priuari rationibus suis incommodissimum esse iudicabat, cum Alphonso rege per legatos egit, se Auenzaidanum præsidium sponte traditurum, si Ægidius Archiepiscopus à Bastetana expugnatione cessaret. Ægidius tamen iuri suo cauēs, grauatè id ferebat. Sed rex
50 optimus & æqui obseruantissimus, ne id vnquam ecclesie Toletanæ fraudi esset, fide regia interposita cauit: & collegiatam ecclesiam Virgini matri dicatā Auenzaidi condidit, in quam Metropolitanus ius Archiepiscopus Toletanus haberet, & oppidum Alcala regiam vocauit, obliterata Auenzaidi appellatione. Quæ omnia in gratiam Ægidii archiepiscopi facta magnam vim habere constat, in rebus huiusmodi tam antiquis, vt Ximenius ius suum recuperare potuerit. Porro inter cæteros PP. RR. qui ecclesiam Toletanam multis prærogatiuis auxerunt, Calixtus & Urbanus, ius Metropolitanus archiepiscopis tribuerunt in eos episcopos, qui proprium metropolitanum Saracenorum incurfione amisissent. Quas ob res Gonsaluius Mendozius archiepiscopus Toletanus, statim vt à regibus catholicis
40 Bastetana & Escua reparatæ sunt, earum curam suscepit, & mesquitas ritu Christiano lustrauit, ecclesias & sacerdotes instituit, templa dedicauit, atq; omnia alia pontificia munera cū suis vicariis exercuit: quæ ius etiam archiepiscopi Toletani non vulgariter stabilire potuerunt, si quæ recensuimus non fuissent satis. Igitur causa coram summi pontificis iudice, hisce omnibus allegationibus per Ximenium acta est, secundum quem lis est data. Prouocatum est ab Acitano, & secundus iudex à P. M. quem Ximenius frustra reuicere laborauit, quauis sibi & suis rebus illum inimicum esse clamitaret. Hic ergo latam sententiam rescidit, & secundum Acitanum pronunciauit. Sed Ximenius ad tres viros appellauit à P. M. in Hispania nominatos, qui priorem sententiam confirmandam esse censuerunt. Acitanus qui his actis sese de more opposuerat, duras agere partes intelligēs, litem deseruit, & tranquillitati suæ consuluit: neq; amplius negotium Ximenio exhibuit. Ab eo tempore in nostram vsq; ætatem, Archiepiscopus Toletanus ius pontificium in vrbe Bastetana exercuit: & ecclesia nostra, ob Ximenii diligentiam, ea dicepsis suæ parte priuata non fuit: cui si fors successores similes dedisset, longè aliam faciē maiestas ecclesie Toletanæ ostentaret. Ergo Acitanus, quauis
N iij

tunc quieuit, & trium Archiepiscoporum, qui post Ximenium continuò successerunt tempore, nihil efficere potuerit: tamen sub Ioanne Martino Siliceo, in cuius pontificatu multi motus in dicecesi Toletana fuerunt, rursus his Baſteta vires ſumpſit, & antiſtiti Acitano ceſſit, iure Metropolitanæ apud Toletanum duntaxat ſeruato. Quanquam in actis eccleſiæ Toletanæ inuenio, Ioannem Taueran principium litis componendæ dediffe, Bernardino Alcarazio ſcholafico Toletano, ad eam rem gerendam ſubſtituto. Nec eſt regum catholicorum diſſimulanda pietas, in quorum poteſtatem ſimulatque vrbs Baſteta venit, priſcorum ſacrorum quæ in ea fuerant memores, atque Baſteta niſcopi olim percelebris, eccleſiam primariam Annuntiationi Deiparæ virginis dedicauerunt: & Abbatæ, canonicisque ſacerdotibus exornatam perpetuis redditibus magna liberalitate donarunt, vt ex tabulis quæ de erectione Baſteta niſcopie extant, licet cognoſcere. Inſequeſ annus Ximenium itineribus exercuit, neque vt deſtinauerat cœpta ædificia perficere, aut optati otii fructus quos meditabatur percipere potuit. Nam cum regis animum Girbiana clades, quam noſtra claſſis ſub Garſia Ducis Albæ filio ſuſtinuerat, nimis commouiffet, decreuit Gadibus numeroſam validiſſimamque claſſem apparare, vt in Africam exercitum potentiſſimum ipſemet traiceret: & illatam Garſiæ necem, magna hoſtium vaſtatione, vindicaret. Idcirco ſub vndecimi anni initium Madrito Hiſpalim proficiſcitur. Sed ſiue in Africam properabat, ſiue potius Galli regis conatus cupiebat infringere, qui Iulium Pont. Max. priuatis de cauſis opprimere conabatur, nihil tentare voluit ſine Ximenii authoritate & conſilio: quare vt ſe Hiſpalim ſequatur iubet. Igitur menſe Ianuario, pluuio cælo, & inundantibus fluminibus, neceſſe habuit Compluto diſcedere. Vbi regis expeditiō per Hiſpaniam vulgata eſt, ingens concurſus omnium ordinum Hiſpalim fit: neque enim reguli ſolum, ſed antiſtites & plerique ſacerdotes primarii illuc conuenerunt, promptis animis, & ardentibus votis, regem ad bellum tam iuſtum comitaturi. Erat Ximenio Turriſis prætereundum: quod cum Tharafia Anriqueſia eius oppidi princeps reſciuit, quæ (vt diximus) pietate inſigni fœmina, iam olim Ximenii adhuc monachi ſtudioſa fuerat, & cupiebat pro dignitate tantum hoſpitem accipere, atque eius conſpectu & colloquiis frui: ſed verebatur, ne homo durior, & harum lautitiarum auerſator, aliò diuerteret, & inſalutatam linqueret. Quare rumorem in vulgus ſparſerat, ſe per id tempus Turriſis abeſſe. Crediderat Ximenius ſic eſſe, & Turriſis ingreſſus rectâ in ædes principales proceſſit. Qui vbi Tharafiam illic adeſſe nouit, & in eius occurſum properare, ab ædium limine indignabundus in Franciſcanorum cœnobium diuertit, nihil publicas elegantiorum hominum leges moratus, qui inciuile & indignum homine bene educato eſſe cenſent, primarias fœminas, obſequiis præfertim & humanitatis officiis certantes, ſaſtidioſè aut ruſticè negligere. Ergo Tharafia inſalutata bene mane iter ſuſceptum die altera proſequitur, & Guadalupum religionis cauſa venit. Id eſt Hieronymianorum cœnobium, templumque ampliffimum virgini matri dicatum, quod religionis ergo ab vniuerſa Hiſpania frequentatur, regum & priuatorum hominum donis opulentum, in cuius ſarta teſta, & hoſpitalitatis ſumptum, per Hiſpaniam quam latè patet, ſtipes cogitur. Aliquot ibi dies commoratus, ſolita in diuos pietate, munerâ illi ſano obtulit, & iter inſtitutum eſt proſecutus. Erat igitur (vt diximus) ſumma hyems, & incommoda ad iter faciendum tempeſtas, ob frequentes & maximos imbres, quibus non ſolum amnes, ſed riui quoque torrentes adeò ſunt auerti, vt vado tranſiri non poſſent. Occurrebant paludes cœnoſæ, hominibus & iumentis inuiç, quæ tunc aqua pluuia collecta vias rumpebât. Qua de cauſa à principio Ianuarii Compluto proſectus, vix paulò ante Calendas Martias Hiſpalim venire potuit, vt ex epiftolis eius conſtat. Cum Furnillos oppidum ignobile peruenit, hilariter & amplè acceptus fuit, ob antiqua Ximenii beneficia, quæ incolis contulerat. Eſt in proximo flumen Matacellum, cuius ripæ rhododendro veſtiuntur, quæ arbor lauro eſt foliis ſimilis, & floribus nihil à roſis differt, vnde Rododaphne etiam vocatur. Hæc quadrupedibus venenum eſt, cuius vim nonnulla

nulla tunc iumenta experta ſunt, quæ paſſim vagantia folia deuorauerunt, eſt enim ſempiterna fronde. In huius fluminis traiectione Ximenius non præter ſolitam humanitatem, curauit vt omnes per commodè tranſirent: & quibus mulæ ob rhododaphnem depaſtam perierant, ex ſuis vt reſtituerentur iuſſit, aut nummos vnde emerent dari. Ab eo loco Cordubam proſectus eſt, ſed propter diluuiem neceſſe fuit, vt in quadam villa ruſtica, quales in Bætica frequentes ſunt, maneret. Locus erat tam numeroſæ familiæ anguſtus: ſed quiſque vt potuit ad noctem tranſigendam ſibi conſuluit, paſſim ignibus per villam incenſis. Guadalquanam poſtridie Idus Februarias peruenit, vbi Cornarus Aurifex Hiſpali proſectus, cum literis Didaci Lupi occurrit, quibus hoſpitiū ſibi in ædibus Petri Anriqui Bætici præſecti, paratum eſſe intellexit: quoniam Saiuedræ Marcalci domus, quam cupierat, Gonſalo Fernandio Magno à metatoribus regis designata fuerat. Ximenius per benignè reſpondit, ſe ædibus paratis contentum eſſe, & maxime gratum accidiſſe, quòd à domo Saiuedræ petenda deſtiterit, quando Magno Gonſalio homini ſibi amiciffimo, & de ſe præclarè merito, attributam nouiſſet. Erat in Ximenio ad viros excellentes demerendos, atque honorificis modis tractandos, innatus & peculiaris affectus, quem quoties occaſio offerebatur, ostendebat. Decimo quarto Calendas Martias, cum Cantillanam prope Hiſpalim ſitam veniſſet, Didacum Lupum certiore fecit, ſe poſtridie eius diei Rinconatæ vico meridiaturum, & paulò antè veſperam ingreſſurum Hiſpalim. Id vt à rege reſciturum fuit, obuiam venienti octo millia paſſuum, cunctis proceribus regem offici cauſa comitantibus, proceſſit: Id enim ſemper honoris Ximenio exhibebat, nonnullis ægrè ferentibus, quibus tanta hominis potentia infeſta erat. Interea dum Hiſpali commoratur, & claſſis in Africam inſtrutiſſima paratur, quæ terrori vniuerſis Africanis erat, Roma nuntii deueniunt, per quas Iulius ſecundus Pontifex Max. regem noſtrum certiore faciebat, aliquot ex ſenatu patres conſpiratione facta, Ludouico Gallorum rege opem ferente, ſe Pontificatu deſturbare velle, & in ordinem redigendum inuerecundis vocibus iactare: id autem ea de cauſa fieri, quoniam priuatis & immoderatis eorum affectibus ipſe non obtemperaret. Jamque Piſis concilium indixiſſe, atque alterum Chriſti vicarium ſcelerato & nefando auſu, rege etiam Gallo annuente, adorauiſſe. Præcipuum verò coniuurationis auctorem eſſe Bernardinum Caruaialium Hiſpanum, quem & reliquos omnes peſſimi facti ſocios ſe per ſummum dedecus, vt meriti fuerant, ſenatu amouiſſe dicebat. Quare ad regis catholici præſidium conſugere, & eius auxilium aduerſus Gallum implorare: in primis verò ab ipſo eſſe flagitare, vt Caruaialium diris ſolemniter, à Chriſtianorum cœtu ſeparatum, ſacerdotiis quæ in Hiſpania obtinebat, deiiciat, atque pari ignominia infamem, & à regnis ſuis alienum pronuntiet. Res indigniſſima Ferdinando pontificiæ authoritatis maximo ſemper aſſertori & vindici eſt viſa. Idcirco cum Ximenio cæterisque proceribus & epiſcopis, qui Hiſpalim conuenerant, de ea re deliberat. Reſpondere omnes fruſtra externa bella aduerſus hoſtes religionis quæri, ſi interim domi in teſtibus bellis caput religionis impeteretur. Igitur mutata ſententia, ab Africa limine Ferdinandus pedem referens, in Italiam vires ſuas & arma conuertit. Caruaialio pontificatum Seguntinum detraxit, cui Fredericum Portugallium præfecit. Ximenius in quem multa Iulii pontif. extabant merita (nam ab ipſo in ſenatum Cardinalium allectus, inquiſitoris maximi officio ad regis votum cohonestatus, & Academia Complutenſis non mediocribus priuilegiis aucta fuerat) peculiariter etiam affectu in Iulium propenſus, quem incredibili animi vigore eccleſiæ patrimoniū tueri animaduertebat, & tyrannorum conatus & vires infringere: per procuratores nuntiarum iubet, vt nulla aduerſariorum potentia aut machina debilitatus, à propoſito ſuſcepto diſcedat, nè peſſimis hominibus republicam Chriſtianam euertendam & dilaniandam permittat. Se autem pro debita pietate & obſeruantia in ſedem Apoſtolicam, & Dei vicarium, quadringenties nummum aureorum ſtatim ad urbem per publicos argentarios numeraturum: ſequæ ipſum, ſi opus foret, exercitum coacturum, & in Italiam iturum. Voluerat

quidem rex consiliū de pontifici, subueniendo celari, ineunte autem vere Malaca soluere, quasi Africā peteret, & in medio cursu ad Italiā obuertere: sed fieri non potuit, quin hæc artes Gallus præfenscrit, & inter suos iactauerit, se illū planè esse Sacra-
 racenū, quē cognatus Ferdināus classe Gaditana oppugnare & euertere pararet. Dedit igitur operā quā potuit maximā, ne imparatus opprimeretur: & quæ neces-
 saria ad futurū bellū videbantur, vt in prōptu essent laborauit. Multis interea pro-
 digiis perterrefacta Italia trepidabat: nam Mutinæ ad diui Frācisici cœnobium fa-
 ces noctu in aere ardere sunt visæ, interdūq; in eodem loco effigies humana stri-
 ctis ensibus cominus adstare, & sese inuicem confodere. Cremæ verò Mediola-
 nenfī municipio, die medio tam densæ nubes cælum obtexerunt, & tenebræ sunt
 fecutæ ad eò atræ, vt obscuriores nemo meminisset. In solito fragore fremebāt nu-
 bila, fulgura terribili lumine splendentia diem ablatum in hunc vsū reducebāt,
 vt igneo colore cuncta rutilantia, imaginem mundi quondam arfuri ostentarent.
 Commisti pluuiis lapides immodici ponderis, immaniq; mole cadebant. Certè
 Petrus Martyr lapidem Mediolanum allatum fuisse scribit, decem & cētum Me-
 diolanensium librarum, quarum singulæ octo & viginti vnciis constant, quem ta-
 cti religione ciues studiosè asseruauissent. Particulam ex disruptis ad se missam in
 Hispaniam dicit, quam non sine maxima admiratione rex Ferdinandus, præsen-
 te magno Gonsalio, est contemplatus. Color erat semiglaucus, odor sulphureus,
 pondus auro non leuius, marchegitæ metallarię per similes. Porrò in Hispania eius
 anni tempestas inæqualis, prodigii loco etiam habebatur. Nam per menses Maiū
 & Iunium, quando Hispalenses Africæ proximi, longeq; à Boreæ flatu semoti,
 immodicis solent caloribus vrgeri, ita subitis frigoribus horrescebant, vt focis lu-
 culētis hyemem alieno tempore ingruentem sustinerent. Ea fuit tam insignis mu-
 tatio, vt hirundines & ciconiæ, quæ ante Calendas Februarias, vt solent, spem ve-
 ris attulerant, mensibus æstiuus hyemem sæuientem tolerare non potuerint, & ad
 laribula, quibus se à frigoribus defendunt, redierint. Sequentibus verò Decembri
 & Ianuario, cum iam rex Burgos concessisset, vbi propter vicinos aquilones oleæ
 non proueniunt, & vix rarè maturefcunt: ea fuit aeris temperies, & tam blandè
 Fauonii spirant, vt papilioes volitarent, & muscæ passim nō sine molestia men-
 sis affiderent. Non defuerunt in domo Ximenii casus tragici & ominosi: nam cū
 Hispali ageret, quidam Mendoza eius lecticarius, in furorem quo per interualla
 corripiebatur, incidit. Is cum morbum ex primis & sibi notis vestigiis ingruere
 sensit, templa frequentius præter solitum ingredi, ad omnes aras supplicare adum-
 brata quadam religione. Tandem cum ad aram maximam in genua procubuis-
 set, suspiriis & gemitu miserabili, non sine multis lachrymis omnium astantium
 oculos in se conuertit, & dicto citius, vt erat supplicantis habitu, se pugione quo
 præcingebatur, iugulauit. Decidit extemplo in caput exanimis, & magno tumultu
 exorto, multi rem diram aut templo, aut sacerdotibus pronunciari iactarunt. Id
 non mediocriter Ximeniū conturbauit: qui eò magis hoc casu tangebatur, quòd
 hominem dementem, & tam manifesta insania ægrotantem, intra domum con-
 tineri non iusserit, aut certos custodes nō curauerit admouendos. Non multò post
 anno eius seculi XII. sub idus Ianuarias, Burgis rege cōuentus agente, melior tēpli
 maximi pars quæ tota moles amplissimę fornacis tholo connectitur, graui damno &
 iactura corruit. Quadraginta millia nummū aureorum ad eam reparandam im-
 pensa esse dicuntur. Fuit tamen innoxia, nec vllus mortalium ruina periit: accidit
 enim sub noctē. Quòd si alia die parte decidisset, fieri non posset, quin multi, tum
 profani, tum sacri homines fuissent obruti. Præuiderat eam ruinā nauclerus qui-
 dam, architecturæ (vt aiunt) peritus. Nam quadraginta dies antequam, fornix la-
 psa est, operosam testudinem fuerat contemplatus, & structuræ vitium aduer-
 tit, templique sacerdotes monuit, ni in tempore succurreretur, breui ruinam futu-
 ram. Sed illi risu eius diuinationem, vt plerūque in his rebus accidere solet, quæ
 diuinitus futura sunt, exceperunt, firmiorem testudinem esse persuasi, quàm vt
 nautici hominis dictis nutaret. Ergo postquam rex Hispalim relinquere decre-
 uisset, Ximenius quoq; sub mensem Iunium, non multò post furiosū lecticarii ne-
 cem,

cem, ante regis discessum, in diocesim suam venire instituit. Faciliori certè redi-
 tu est vsus, quàm aduentu, vt ipse ad Didacum Lupum scripsit, se bene valentem
 & hilarem venire: gaudereq; quòd regionem impendiò æstuosam, eo anni tem-
 pore reliquerit. Dum in itinere esset, ex literis suorum intellexit, Ioanni Cabreræ
 Toletano archidiacono, coadiutorem à Romano pontifice, propter senium da-
 rti. Semper ecclesiæ Toletanæ visa est coadiutoris impetratio inuidiosa & iniqua.
 adeò vt grauib; pœnis multandum censerent, non solum impetratorem, sed et-
 iam eos qui id permisissent, vt ex actis constat. At Ioannes, homo illustris, & regio
 fauore viuente fratre, & Bouadilla fratris vxore, suffultus, non dubitauit contra
 veterem morem priuilegiis Roma petitis vti: neque enim in vrbe patroni dec-
 rant, qui eius partes sedulo tractarent. Ximenius qui priscorum institutorum sem-
 per maximus vindex fuit, solito animi robore vsus, impetratas tabulas à capitulo
 Toletano impediendas, Romæ verò abrogandas, statim apud regem & pontifi-
 cem maximum curat. Dum hæc per capitulum geruntur, Illescis per aliquot dies
 manere decreuit. Prudenti sanè consilio, ne rei inuidiosæ, & quæ non poterat si-
 ne mutua animorum exasperatione vtrinq; tractari, vir seuerus cogere inter-
 esse, & aliquid autoritate sua indignum, dum animi incenduntur, palàm dice-
 ret. Ergo Complutum regia mandata expectaturus venit: interim cœpris ædifi-
 cii aliorumq; fundamentis iaciendis, vt statuerat, præsentia sua instaturus. Hic
 ex Africa ad regem legatos venisse certior factus est. Nam cum classis Gaditanæ
 terror vniuersam Africam occupasset, rex Trimesenius, aliquotq; item Mauri-
 tanicæ minores principes, regis nostri potentiam formidantes, de pace cum eo cō-
 ponenda, de captiuis restituendis, & tributis pendendis, submissis animis age-
 re instituerunt: quanquam rege Fezano eam sententiam dissuadente, & graui at-
 que acerbo sermone eorum ignauiam & inertiam increpante. Ille enim potētia
 suæ ditionis cōsūsus, & quòd à littoribus nostris longius semotus tardius ad se belli
 incommoda ventura existimabat, amara & minaci ironia Ferdinandum Hispali
 agentem ad expeditionem Africanam inuitauerat. Nam se omnes vias paraturū,
 omniq; offensa & impedimento liberis ad itinera facienda, alacri & ardenti
 suorum opera Fezam vsque, modò vellet traicere, complanaturum, per com-
 mentum rumores pollicebatur. Reges qui se Ferdinando dedidere, Trimesenius
 & Tunesius fuerunt, cumq; his Cadihametis, qui licet regium nomē haud ob-
 tinebat, libera tamen ditione fruebatur, nulli ex regibus parere addictus. Orani-
 cum commercium per ludæos interpretes petierit, muneribus in amicitia signū
 oblati. Trimesenius equos decē phaleris puniceis ornatos, cetras, & falcones to-
 tidem, vittas Arabicas, & pulcherrimè elaborata tapetia, & pelles equorum ephip-
 piis aptas, vt illi nouerunt perficere. Cadihametis, insignis pulchritudinē cicura-
 tum leonem misit. De hisce donis in Trimesenii literis, quarū exemplum apud
 Martyrem est, ad hunc modum dicitur: Sanè munera nostra talia non sunt, qua-
 lia ad regem mitti debuissent, cuius nos potestati subiicimus, cæterum monumen-
 ta, & pignora animorum nostrorum accipito, ac veluti quosdam indicaturas, qui-
 bus te dominum cæterarum rerum, quæ apud nos supersunt constituimus. Gaius
 est antistes ob eam legationem: nam laboris sui fructus in dies magis ac magis
 elucebat, & trium dierum supplicationes vt Toleri decernerentur, religiosissi-
 mè præcepit. Vrbs verò, quæ ad res huiusmodi celebrandas propensissima est, va-
 riis ludis publicam lætitiā declarauit. Fuit hoc Ximenio gratissimum: nam ad
 Lupum literis, vt. idus Iulias datis sic ait: Trimesenii nuntium adeò non vulgari,
 nec mediocri affectu vrbe nostram exhilarauit, vt postquam omni genere læti-
 tiaz exultarunt, quibus promiscuum vulgus sese oblectauit, supplicationes & con-
 ciones capituli consulto decretæ sūt, quibus Deo immortalī gratiæ sunt habitæ,
 quòd gens olim spoliis nostris ferox, nunc Hispaniæ vires reformidans, sese regi
 nostro tam promptis animis, & demissis subiiciat. Pluris enim hoc faciendum
 esse censo, quàm si omnis Africa ferro & cæde superata foret. Algerii regulus
 idem consilium cum Trimesenio, & cæteris secutus, sese fidei Ferdinandi tra-
 didit, & præsidio Hispano Algerium fuit munitum: quod ingentis tranquillitatis

causa littoribus nostris ea tempestate fuit. Ferdināus interea, rerum Italicarum, & Gallicæ cū pontifice Romano similitatis causa, Burgis vrbe Gallis finitima conuentus publicos habere parat: vbi cū de rebus maximis tractare vellet, Ximeniū præsentiam necessariam esse iudicans, vt Burgos veniat iubet. Quod se libenter facturum Ximenius respondit, sed ob ardentissimos Iulii mensis calores, quo tempore literæ regis illi sunt reddita, moram duntaxat viginti dierum petere, ad recreandas corporis senilis vires, ex peractō Hispalensi itinere fatigatas. Postquam Ferdinandus Burgos peruenit, & nondum Ximenium venisse deprehendit, literis rursus vt maturet sollicitat: nam reipub. vehementer interesse, vt primo quoque tempore ad se veniat. Ximenius, vt omnem cessantis, aut parum obsequentis animi culpam à se depelleret, quod regem, vt scripserat, Burgos accedentem nō præuertisset, morbum iliacum sibi familiarem excusauit, quem per eos dies solito acerbiorē expertus esset. Sed cū iam meliusculē se haberet, daturum operam vt sub Augusti idus, Burgis præsto regi esset. Sed quanuis id facere curauit, extremo Augusto Burgos est ingressus. In ædibus Salinarii Comitum hospitium illi honoris causa datum est: vnde Ferdinandus Caroli frater, migrare à Ferdinādo auo iussus fuerat. Id verò ne utiquam Ximenius tulit, siue principis pueri dignitati cedens, siue vt ex epistolis eius colligitur, quoniam domos quæ circū erant, ad suam familiam excipiendam angustas esse iudicauit: tum etiam quod ex suis procuratoribus cognouerat, Salinariam Comitum feminam grandæuam ædes illas inhabitare, ad quas & Maria etiam Villosa eius propinqua quam primum erat ventura. Nolebat igitur, austerioris disciplinæ per omnia cultor, fœmineo contubernio vt, vnde vel sibi, vel familiæ molestia crearetur. Itaque in amplā Didaci Sorienfis domum, ad diui Ægidii portam concessit. Hic cū aliquando Ferdinandum puerum cū Ximenio deambulantē rex è fenestra palatii conspexisset, voce intentioni dixisse fertur: Euge nepos tali comite, à cuius latere, si quid mihi credis, nūquam discedes. Postquam Ximenius in ædem Palatinam puerum deduxit, & petita venia discedere pararet, cœpit ille constanti vultu contendere, quasi Archiepiscopum in hospitium esset comitaturus, rege etiam nepotem hortante vt id faceret. Sed Ximenius id vt par erat non tulit, gratias cumulatissimè agens, & pueri indolem miratus, domum abiit. Urbium nostrarum procuratores Burgos iam conueniant, & publicis conuentibus agi cœptis, multa tractabantur ad reipublicæ utilitatem pertinentia. Rex interdum in propinqua nemora tempestate anni peraccommoda (erat enim mensis Octobris) ad ceruorum venationem qua maximè oblectabatur, prodibat. Solent enim sub Vergiliarum exortum impotenter ad Venere stimulari, cuius vi & cupidine perciti mortem minus cauēt, & venatorum insidiis expositi medicatis sagittis feriuntur. Tunc legati à Pont. Max. & rege Gallorum Burgos venerunt. De fœdere cum Venetis aduersus Gallum isto certior Ferdinandus fiebat, qui in partē vocatus, deberet Galli furorem reprimere, & ecclesiæ laboranti suppetias ferre. Haud erat rerum earum Ferdinandus ignarus: nam aliquot retro mensibus Maximilianum Romanorum regem, & Anglum generū, Venetamque rempublicam aduersus Gallum sollicitauerat, quem in Italia dominari æquo ferre animo non poterat, quod proculdubio futurum videbat, si Pontifex Maximus deturbaretur. Totus ergo ille Hispalensis & Gaditanus apparatus magnam inuidiam contra Gallum apud omnes Christianos excitauit, vt qui vires Hispaniæ à paganorum faucibus in Italiam auerteret. Quod quàm inuitus Ferdinandus fecerit, literæ longissimæ ad Ximenium postridie idus Octobris datæ multis rationibus declarant. Earum autographum exemplum per Almazanum secretarium scriptum, & regis ipsius chirographo notatum, quoniam in manus meas deuenit, compendio inserendum hoc loco duxi. Reuerendissime in Christo pater, Toletane pontifex, Hispaniarum primas, Cancellarie maxime, & summe Inquisitor aduersus hæreticam prauitatem, qui nobis semper coniunctione amicus, obseruantia parens es habitus. Ipse tu mihi consiliorum meorum particeps abunde testimonio esse potes, quot rationes hactenus inierim, quantamque industriad & cogitationem adhibuerim, vt Bononia, & reliquæ vrbes & oppida, quibus

quibus Romana ecclesia per regē Gallorum priuata est, Pont. Max. restituerentur, ne tumultus & schismata in repub. Christiana acciderent. Id quoniam ne utiquam efficere potuimus, ecclesiæ clamoribus & querelis concitati auxilium nostrum assidue implorantis, reuerentia & obsequio qua omnes reges Christiani in illam tenentur moti, commodis priuatis posthabitis, & expeditione, quam aduersus reipublicæ hostes paraueram, prætermissa, ad sedis Apostolicæ immunitatem defendendam, & Christi vicarium conseruandum, nostræque religionis caput tuendum, & in pristinam auctoritatem afferendum, Deo Opt. Max. cuius causa agitur, auspice, omnes meas vires conuertere decreui. Ad eam rem ex dignitate nostra stragerēdam, quarto nonas Octobris, die tibi fausto ob diui Francisci religionem fœdus cū Pōt. Max. & illustrissima Venetorū Rep. pepigimus, quod vt vulgaretur curauimus, locū in eo serenissimis imperatori fratri nostro, & Anglorū regi carissimō filio, vt per legatos petierūt, relinquētes. Porro intra vigesimū diuulgati fœderis diem, Raimūdu Cardona, qui vices nostras Neapoli agit, imperator exercitus ad Pontificiam restitutionē per principē fœderis declaratus, ex templo cū mille ducentis cataphractis equitibus, & leuis armaturæ circiter mille, & decem millibus peditum Hispanorum, & tot bellicis tormentis, quæ satis ad vsum exercitus sufficiant, iustis itineribus ad quarendū hostē, & loca per ipsum occupata recuperanda procedet. Hunc sequetur Termenensis dux, cum sexcentis pontificiis equitibus. Ab altero latere, quod à Septentrione est, Venetæ acies Gallū circūuenient. Mare verò copiosa pariter, & perualida classe occupabimus, quod melius quæ cupimus assequamur. Etenim duo sunt nobis ante omnia curanda, ne quis princeps, aut Italiæ regulus ecclesiæ dignitatē aduersis armis vilo pacto labefaceret: deinde vt cū iis, qui ecclesiæ loca præter fas tenent, bonis cōditionibus, si per eos licuerit, potius quā cruentis certaminibus rem totā componamus. Quocirca maximo studio & affectu peto, ad omnes templorum aras Deum immortalem supplicandum cures, vt ecclesiæ suæ causam tueri, & eius vnionem conseruate, vniuersōq; Christiano orbi pacem & concordiam propitius conferre velit: sic enim ab intestinis dissidiis liberi, aduersus Christianæ religionis hostes cuncti vnanimis dimicabimus: quod vt fiat, in concilii Lateranensis indictione Pontif. Max. se curaturum pollicetur. Quæ omnia cum reuerendo episcopo Bertonenſi, Pont. Max. nuntio, quē iā Barcinonā appulisse, & ad nos rectā venire scimus, tibi esse cōmunicanda censeo. Dū hæc scribo, ex Galliis allatū est, ad Pisanū concilium, quotquot conueniunt, inuitos trahi: literæ postridie nonas Oct. sunt datæ. Ex Anglia serenissimus gener noster eandem nobiscum fortunam fœderis initi experturum se promittit: eius literæ quarto Calen. Octob. sunt datæ. Ab imperatore Maximiliano omnia secundum nostram voluntatem offeruntur: literæ sunt beneuolentiæ, & optimæ spei plenæ, ante tertium diem Cal. Oct. scriptæ. Eam principū Christianorum consensionem intuentes, ne quid intentatū relinqueremus, quod maleuoli homines obiicere, aut saltē, quod magis veremur, numina incusare possent, rursus Gallum fratrem nostrum admonuimus, vt ab armis in ecclesiam infestis suos milites discedere cogat: nam si secus faxit, vires nostras nos vniuersas illi opposuitos, quod ecclesiæ auctoritatem defendamus, & vim omnem & tyrannicum impetum à communi matre propulsemus. Vale reuerendissime in Christo pater Cardinalis, nobis care, & dilecte amice ac domine. Deus Opt. Max. in omne tempus tui curam suscipiat. Datis in oppido sanctæ Crucis, xvi. Cal. Nouēb. anno salutis nostræ m. d. xi. Hæc ad Ximeniū Burgis agentē tam prolixè scripsit, vt bellū quod parabat, tandē per virum grauissimum vulgaretur, & constaret ratio, cur in Africam apparatus expeditio aliō transferebatur: ne quis per leuitatem sententiā mutata crederet. Solent enim reges quæ arcanis consiliis diu occultauerunt, tandem per viros præclaros, & apud populū in pretio habitos enuntiare: vt rebus propositis auctoritatem addant, & à se inuidiam depellant. Hoc ipso anno dum mense Iulio Compluti ageret, nuptias irritandas curauit, quas (vt superius retulimus) Ioanna Ciferia cū Petro Gonſaluiō Mendozio contraxerat: causam verò & rei gestæ serie simplici narratione exponam. Petrus hic Gonſaluius Inackii Infantatus ducis

secundi nepos fuit: nam Aluarus eius pater Inachi filius fuerat ex Maria Luna uxore, minor verò natu Didaco fratre ad quē Infantatus dominium deuenit. Hunc Aluarum Maria mater illius magni Comestabilis filia, quòd patris nomen retineret, cuius memoriam quanuis exagitam aboleri dolebat, gentilitia hæreditate, quam à patre obtinuerat, Inacho etiam marito laudante donat: in qua non ignobilia oppida Turris Stephani, Abrami, castellum Vaiuellæ, Montes clari, & quod à ficu nomen habet continebantur. Aluarus Tharasiam Carrillam, Alphonfi Carrilli filiam, qui Pinti oppidi in Carpetania erat dominus, vxorē duxit: ex qua hunc Petrum Gonsaluum, de quo agimus, habuit. Interim moritur Inachus dux, & nō multò post ipse Aluarus fati quoque concessit. Didacus verò dux tertius, cum ex Maria Pimentella lectissima fœmina filios quoque iam genuisset, Inachum qui dux quartus ætate mea vixit, vir per omnia magnus, qui post operam reipub. egregiè nauatam, senectam in literarum studiis transegit, & Rodericum minorem natu Monticlatorum marchionem, dum cupit filium suum potius quàm fratris augere, cum Maria matre contendit, vt mutatis legati tabulis, Petrum Gonsalium expungeret, & Rodericum substitueret: se enim apud regem curaturum, vt simul cum hæreditate marchionis titulo cumularetur. Quare futurum, vt præpotenti & inclytæ familiæ non mediocre ornamentum accederet, si duo Infantatus ducis liberi, alter ducatum Mendoziz gentis proprium, alter non contemnendum marchionatum possideret. Nam de Petro Gonsaluo nepote parum anxia vt esset iubebat: fati enim nummatum socerum, & quiduis facere potentem Archiepiscopum Toletanum habere, cui, vellet nollet, charissimæ neptis cura suscipienda esset. Mouit his dictis fœminæ animum, & vt sententiam mutare persuasit. Atque ita quicquid hac de re tabularum apud Tharasiam nurrum seruabatur, ruptum fuit. Id postquam Ximenius rescioit, aliquot ex suis familiaribus, homines industrios, & prudētes Guadalfajaram mittit, qui à Didaco duce, vt Gonsalui tutore, rationem patrimonii commissi exposcerent: neque enim acta cū matre adhuc palàm euulgata fuerant. Didacus verò ad rationem eo tempore non reddendam causas obtendens, Ximenium eludere conabatur, vt ab ea re prosequenda tædio victus desisteret, & adolescente sponso contentus esset, quem tot auorum stemmata commendabant. Sensit Didaci machinas Ximenius, idcirco atatis infirmitatē in Gonsaluo causatus (neque enim annum quatuordecimum attigerat) nuptias neptis, quæ etiam propter ætatē nubilis non erat, irritas fecit. Hoc enim vnum erat, quod in ram manifesta iniuria, aduersus hominem potētem, agere potuit. Bernardinus Cluniensis Comes, qui ex eadem Mēdozia familia erat, cum Ioannam Gonsaluo haud dari cognouisset, Ximenii auctoritatem apud regem considerans, qui cum priuatæ quædam Bernardino rationes erant, ob vicini præfulis ad res multas auxiliium, sed potissimum ad Belennæ causam, cuius vicos, montes, & pascua, dux Infantatus præterius in Cluniensis iniuriam occupanda curabat, Alphonso filio comitatus Cluniensis hæredi vt daretur optabat: deq; ea re, ita vt ad Ximeniū peruenire posset, inter suos familiares agebat. Cōditio erat cum primis Ximenio ambienda, nedum accipienda cum offerebatur. Nam ob nobilissimam Mendoziorum familiam, & opulentum Cluniensem comitatum, à præcipuis Hispaniæ regulis ad filiarum suarū nuptias Alphonfus certatim expetebatur. Proinde postquam Ximenius intellexit, quanquam hominis animus religiosè timebat, ne propter nobilitatē generis & bene fundatas diuitias, maiorem dotem Bernardinus posceret, quàm par esset à Christiano & pio Antistite numerari: coeptæ tamen Academicæ molem, quam omnibus præsidii fulcire cupiebat, & cœnobiorū institutiones, atque sacrarum ædium numerosa ædificia, quæ ille vt absoluerentur assidue vrgebat, reputans, Deo auspice eas nuptias oblatas credidit, quibus & suæ genti patrociniū, & præclaris operib. defensionem, & tutelā esset relicturus. Neptem igitur Alphonso collocauit, suorum omnium, sed Academicæ in primis, velut carissimæ filiz, curam & incrementum Cluniensium fidei commendans. Ex Ioanna Alphonfus liberos suscepit Laurentium Suarium, qui nunc Cluniæ dominium tenet, virum honestissimis rebus deditum, qui Carolum Cæsarem, & Philippum eius

eius filium affectatus, virtutis suæ periculū frequenter fecit: & Alphonsum Mendozium alti animi, & ad omnia virtutis studianaum iuuenem, doctorem Theologum, Ildephonsi ædis collegam, qui anno Domini M.D.LXV. ad supremum rectoratus gradum lectus, me animi dubium & cessantem, vt has de Ximenio, qui eius patruus maior fuit, commentationes in publicum darem, compulit. Sunt his alii generosi fratres, quorum insignē & præclaram virtutem, alii suis scriptis memorabunt. Anno M.D.XII. Ximenius ad Nauarræ regem, ex Iulii II. Pontif. Max. & Apostolicæ sedis auctoritate, regno priuandum, Ferdinandum secutus est: erat enim schismatis Pisani, & belli aduersus Pontif. & Apostolicam sedem suscepti vna cum Gallo Nauarrus fautor. Antè tamē quàm Burgis rex moueret, sub resurrectionis dominicæ festum Ximenium Complutū rediisse inuenio, & Toleti celebrationi dominicæ passionis adfuisse, vt rebus in diocesi cōpositis, ad bellum paratior proficisceretur: vbi cum sæpnumero annonæ caritate in opem plebeculam in vrbe nostra premi videret, & publicanorum iniquitate apud paucos frumentum recondi, cum vrbs præfecto egit, vt horrea publica, more Romano, Toleti instituerentur. Nam Romani, vt erant mirabili prudentia, non vno tantum loco, sed singulis vrbs regionibus cōstruenda curarunt. Primus Ximenius frumenti nonaginta mil. mod. populo Toletano donauit, nouis granariis asseruandos, & quotannis in reip. vsus distrahendos. Hanc curam senatus Toletanus suscepit, qui vt se haud ingratos Antistiti suo bene merenti ostenderent, pridie nonas Octob. altero post festum diui Francisci die, Ximenii manes anniuersario sacro, in sacello Mozarabum, vniuersi congregati expiant. Concio per Franciscanum monachum è cœnobio regio de eius laudibus & gestis habetur, quam quotannis repetitam cupidissimè ciues nostri, qui frequentissimi conueniunt, auscultant. Durarunt hæc frumenta in horreis, maximo cum reipub. emolumento, vsque ad xxiii eius sæculi annū, quo popularib. tumultibus exortis, & effræni licentia ignobilissimis quibusq; cuncta per seditionem diripientibus, magna ex parte perierunt. Sed nemo hæcenus ex præfulibus nostris fuit, qui rem cum primis ad miseros inopes subleuandos necessarium, reparare vel denuo adaugere curauerit. Noster tamen Senatus, quod prædonum manus eo tempore effugit, diligenter collegerunt, & in præsentia, vt est grani pretium, summam quinque mil. aureorum nummum conficit. Quod si quis ad calculos reuocet, annonam illius temporis non minorem summam esse intelliget, quæ nunc in publico vrbs ærario seruatur, quàm quæ olim à Ximenio est data. Hoc ergo remedio in cæli squalore miseris ciuibus subuenitur, non solum Toleti, sed Compl. etiam, & Turrilacunæ, & Cisneris, vbi huiusmodi horrea ex Ximenii liberalitate incolumia durant. Et in summa frumenti difficultate, cum in aliis locis magno pretio statim numerato, vix è priuatorum granariis extrahitur, in his de quibus diximus, quinq; denariis tres tritici modios (tanti enim Ximenius vendi voluit) licet ciuibus emere. Sed quanuis Toleti ea diu repletio frumenti acciderit, vrbs beneficium collatum anniuersario celebrare non cessat, atque in huius rei monumentum in medio vrbs prætorio, vbi Senatus de more habetur, inscriptio est, qua Ximenii liberalitas declaratur: idem Complutenfes præstiterunt, inciso epigrammate ad forum olitorium, quod sic habet:

AEthere seculurgus, seu parcus decidat imber,

Larga est Compluti tempus in omne Ceres.

Dum annonæ tam piè & liberaliter Ximenius prouidet, Talabricæ Toletanorum Antistitum celebri municipio, monumentum marmoreum à rustico terram altius moliente repertum est, literis Romanis hoc exemplo insculptum.

50

LITORIVS FAMVLVS DEI VIXIT ANN.

PLVS MINVS LXXV. REQVIEVIT IN

PACE DIE VIII. KALENDAS IVLIAS

AERA D. XXXXVIII.

Id cum Ximēnius rescuisset homo pietatis eximius cultor, cum ex epitaphii serie, & literis A & O, atque ex crucis imagine Christianum esse Litorium intelligeret, eius ossi & cippum, in Deiparæ sacellum, quod extra oppidum est, sub mensem Maium deferenda curauit. Si æræ ratio attentius subducatur, Christianam religionem in Hispania longè ante mille & quinquaginta annos floruisse reperiet: cū sepulchralia Christianorum marmora Romanis literis publicè notarentur. Mense Augusto rediit Ximenius ad regem, rebus Nauarræ Locronii intentum. Certè semper fuit tanta Ximenio boni & æqui cura, & tam accurata religionis obseruantia, vt iustā belli causam fuisse ex sola eius viri præsentia credi possit. Diu enim regem nostrū est moratus, suadens vt omnia prius tentet, quā ad arma descendat: fieri enim posse, vt Nauarrus interea saniorē sententiam capefferet. Sed postquam Michael Pompelenis sacerdos legatis nostris scripta quædam tradidit ad Ferdinandum deferenda, quæ ille in nummaria secretarii regis Nauarræ crumena inuenerat, quem rex ferro domi confoderat cum concubina deprehensum, visum est Ximenio bellum non esse vltius differendū, & regem ad illud conficiendum libero impetu ferri permisit. In illis quæ diximus secretarii scriptis hæc ferme capita fœderis quod cū Gallo Nauarrus percussisset recensentur. Ferdinando Pōt. Max. suppetias ferenti transitū in Italiam vterq; denegaret. Itē quotiescunq; Gallo visum fuisset, Nauarrus Hispaniam infestaret. Gallus Nauarro Fosseiorū patri-
monium, quod dux Nemoensis, Germanæ reginæ frater possidebat, restitueret. Omnia quæ à parente suo Alebriteriensi principe per reges Gallos ablata essent, Nauarro restituerentur. Gallus stipendia Nauarro cōferat, qualia regiam personam decent, qui tanto cum regis Hispani odio Gallico sceptro sese subiiciat. Gallus vniuersis regni sui viribus contendat, vt ea loca quæ à Nauarræ limitibus Gamonalum vsq; duobus millibus passuum citra Burgos sunt, vxori suæ Catharinæ reddatur: quod olim maiorū suorum possessionē fuisse ex antiquis monumentis constaret. His itaq; apud regem nostrū & Hispanos principes lectis, cū omnia iniuriæ plena per nefariam cupidinē, tanto cū reip. nostræ & Apostolicæ sedis detrimento geri palam esset, Ximenius regi socium & belli participem cū suis copiis se dedit. Dum Ferdinandus Locronii ageret, & tristior esset, quod exercitus noster in angustiis quibusdā teneri nunciaretur, Santillum ad regē Ximenius cū mandatis misit, vt hac occasione regē exhilararet. Erat Santillus Complutensis ciuis, homo ducax & vrbanus, qui tamen salibus candidis semper est vsus, ob quod apud Ximenium gratiofus erat, & regi nō ingratus. Hic ad regē ingressus, facultatē sibi dari postulabat Pampelonem eundem: se enim Gallorū exercitum in fugam posse conuertere. Rege dissimulante cū Santillus instaret, atq; magnifica & gloriosa de se promitteret, rex aliquanto hilarior, si tu Santille (inquit) me vt iactas amares, iam oportebat Pampelonē venisse, & ducē Albanum, cæterosq; qui obsidentur egregios milites, ab hostium incursum, manu ista pugnaci defendisse. Proceres omnes qui apud regē aderant, eum sermonem, non tam ad Santillum, quàm ad se dictum interpretati, inde discedentes tanto ardore aduolauerūt, vt postero die se omnes ad vnū, apud Pampelonis muros, in auxilium suorū armati sisterent. Tantum regis vocula efficit ad nobilium pectora excitanda. Quocirca quoties huiusmodi pericula ingruunt, solent reges ad eorum locorū confinia proficisci, in quæ belli tempestas superuentura creditur. Nam illò regem cuncti sequuntur, & præstantissimis quibusq; ad eū conuentibus, præsentiamq; eius necessariò reuerentibus, omnia e reip. vtilitate fiunt. Quod neminem Ferdinando rege diligentius & crebrius fecisse ex eius actis satis constat: vnde pleraque ex animi sententia confecit. Valdesii prætorianæ cohortis præfecti, cuius, cū de Africano bello ageremus, mentio facta est, egregium factū memoriæ mandare operæpretium erit. Nam cætera quæ ad bellum Nauarræ pertinent, & quemadmodum illud regnum Castellæ cesserit, quoniam à viris disertis scripta sunt, nō est cur actum agamus, denuo repetentes. Ergo Valdesius, cū paucis aliquot antea mensibus, à rege Ferdinando ad Raimundum Cardonā cum mandatis missus esset, ne apud Rauennā cū Gallis cōfugeret, & quanuis magnis itineribus profectus fuit, eò peruenire nō potuit ante præ-

lium

lium commissum, in quo fortissimè etiam dimicauit. Post verò ad regem reuersus, quo in statu res esset indicauit, & suæ festinationis rationem exposuit, vnde celerius tantum viæ confici non potuerit constaret. Rex ob cladem præsentem grauiter commotus, naxtu (inquit) Valdesi, tibi prospicere nosti, qui extā ancipiti dimicatione incolumis ad nos venisti. Id dictum adeò Valdesium, nullius ignauitæ aut timoris sibi conscium, pupugit, vt dissimulato pro tempore opprobrio, hoc ipso de quo agimus Nauarrensi bello Lacedæmonio Leonida nequaquam inferior, in Roncalionē vallis faucibus, cum quadringentis tantummodo militibus, vniuerso Gallorum exercitui se cōstanter opposuit. Palliza Gallicarum legionū imperator, qui cū olim Valdesio amicitia intercesserat, eum obnixè deprecabatur, vt præsidio quopiam occupato cederet necessitati, neq; vim vniuersam Germanorum & Vasconum, in se ac suos irritaret: nunquam tamen potuit à proposito diuelli, donec ad vnū cuncti interempti sunt, non sine magna Gallorum cæde: adeò excelsi animi viri contumelias ferre non possunt. Interea nostri dum Valdesius hostes moratur, Loberium & Tafallam, munitissimas arces, ad deditionē compulerūt. Intercluserat enim Fonsæca, quo duce hæc gerebantur, omnes vias, ne quid de subsidio Gallorū aduentante sciri posset, & Nauarris spes omnis auxilii adimeretur. Successit annus xiiii. cuius principia Iulii ii. Pont. Max. morte, & Ferdinandi regis lethali morbo lugubria fuerūt. Duo quidam Franciscani sodales pietate & literis præclari, Gallorū legati venire dicebantur, Anna eorum regina, scemina religiosissima, pacem curante: quamobrè Ximenius apud regē maiorem eius anni partē fuit. Pintiam sub mensem Augustum sodales Franciscani Iacobo quodam Hispano reginæ Gallicæ familiari comitati, ingressi sunt, nec planè quid attulerint, quidve postea cum illis actum sit, in monumentis nostris reperio. Post legatorum discessum aulica iuuentus quò regem graui morbo affectum exhilararet, ludos militares (quos vulgo Iustas appellant) sumptuose & splendide apparat. Qui ad huiusmodi ludos cæteros prouocat, solè libellos publicè affigere, quibus ludorū condiciones cōtinentur. Hos prouocatores præsto adesse oportet cuicumq; illos in certamina poscenti, vnde Manurentores à nostris vocantur, qui & armorum splendore, & ornamentorū opulentia atq; elegantiæ præstare solēt. Hi tunc quinq; fuerunt, inter quos eminebat Alphonfus Mendoza Cluniensis, qui partim noua Antistitis affinitate, partim Ioannæ sponsæ amore exultas, sumptuosius quā Ximenius vellet, se in diem ludorū ornauit: nam septies millia nūmūm aureorū ab Alphonso ferūtur impēsa, qui elegantis & sciti cultus præmium tulisset, nisi manu multò cæteris promptior & alacrior pèr ludorū iudices esset iudicatus. Idcirco elegantia Ioanni Velasco Bernardini, come stabili notho tributum fuit. Acti sunt hi ludi idibus Augusti in Germanæ reginæ conspectu, loco Pintia celeberrimo, quæ Rinconatā appellant. Ludos quoq; regi proximus Ximenius spectauit, coactus nimia Alphōsi Cluniensis efflagitatione. Didacus Lupus Mendoza rationum Ximenii magister, dum Ximenii chirographo pecuniam impensam ad ludos quos diximus de more signari posceret, indignum esse dixit tantum sumptum in re ludicra fecisse. Cui Ximenius: postquam, inquit, hunc generum suscepimus, ad nostram magnificentiam pertinet, vt suæ personæ splendide subserviat, alioqui sordes nobis obicerētur, à quibus longè abhorremus: præsertim cū sumptus nec nimius fuerit, nec omnino perierit, sic enim regem morbo afflictum oblectare curauimus. Dum hæc Pintia gerebatur, Ioannes Camperus architectus, cui ædis Turrilacunitanæ curā Ximenius ad regē discedens commiserat, eo absente contra pacta conuenta Salmanticam ad templi maximi structuram abierat, operis diuturnioris illecebra, & spe maioris mercedis inuitatus. Ximenius, cui omnis mora interposita grauissima erat, crebrò enim solebat vsurpare fallacem esse senis spōsionem, Petrum Gonfaluum Valeram, virum probum & prudentem misit, qui vi stipulationum Camperum vinctum perduceret. Camperus, qui robustum Ximenii animū nouerat, intra templi penetralia laruit, canibus etiā, qui dormienti excubias ageret, comitatus. Sed fide à Ximenio data fraudi non futurum eius aduentum, Madritum venit ad rem componendam: nam rex illuc discedere ob salubritatem cæli Carpetani de-

O ij

creuerat. Querebatur Camperus ex pactis initis iacturam nō mediocrem sibi obuenire, cui quadragies mille nummū ultra pactam mercedem addidit, vt statim Turrilacunam ad cœnobium ædificandum rediret. Camperus dum nimis festinat, parum attentē ad perpendiculum parietes exegit: quare necesse fuit omnia ad iacta vsque fundamenta demoliri. Tolerauit id æquiori animo Ximinius, qui sciebat quā facilē homines etiam periti labantur, atque ob id erratum commodiore deinceps Campero vti potuit. Absolutum est id opus magnis impēsis: nā cum in patriæ suæ gratiam præclarum & magnificū esse veller, præter sumptuosam ædificii molem, aquæ etiā perennis largissimā venam, è vicinis collibus magno labore deducendam curauit. Rupes durissimæ malleis sunt fractæ, montes 10 cauari, & aquæ ductus validis formicib. cōstruati, quibus aqua ad castella profluit, vnde in cœnobio purgatissima recipitur. Decies cētēnis millibus nummū aquę duntaxat deductio Ximēnio constitit. Vasa verò tā ad vsum sacrorum aurea & argētea, quā ad cœnobii ministeria ænea, & siglina Talabrica aduecta, quæ mirabili rectorio obdūcta, & variis picturis decorata æneis non cedunt, permulta dedit. Indumenta etiam, quibus sacerdotes in sacris vterentur, & stragula tapetiāq; altari- 20 bus & pauimentis exornandis, ex auro, serico & lana nobilissimā confecta, benignissimē tribuit. Visum etiam est domum Ioannis Ximēnii fratris, quod in ea natus esset, & puer reptasset, ædificio multò ampliori augere, & Benedicto nepoti addicere. Prædia etiā fraterna reparauit: & antiquū Hispaniæ morē secutus, ea vt 20 alienari non possent cauit, in perpetuum suæ familiæ monumentum. Reip. etiam ter decies mille frumenti modios facili opera perpetuò adseruandos, in publ. vsum largitus est. Quo vnico præsidio ad hūc vsq; diem, in annonæ caritate Turrilacuna multū iuuatur. Sub hæc tempora Leo x. Pontif. Max. qui Iulio 11. successit, vir excelſi animi, & bonorum ingeniorū fautor, sanctorum Apostolorū Petri & Pauli ædem, quæ palatio Pontificio Romæ cōiuncta est, temporis vetustate collapsam, & rudis seclī incitā prauē ædificatam, Iulii 11. exemplū secutus, qui primus id est aggressus, in meliorem formam redigere decreuit, optimis quibusq; architectis, sculptoribus & pictoribus conquisitis, ad eius operis molem illustrandam. Sed quoniam non mediocris pecuniæ summa ad tantam rem necessaria erat, priuile- 30 gia quædam, quas Bullas vocant, in Hispania fuerunt, rege nostro annuente, promulgata, quæ certam stipem tribuentibus dabantur. Ximēnius, vt erat præcæ religionis tenacissimus, laudabat quidem eos, qui in templi Apostolici constructionem suas pecunias largiebantur, sed priuilegia ob id dari, contra vetustos ecclesiæ ritus, nunquā probare voluit: & quid de hac re sentiret ad Pont. Max. prudentissimē scripsit, & regi Ferdinādo in priuatis colloquiis, sine vilo fūco declinavit. Anno XIII. insequente, dum rex morbi grauitate & fastidio afflictus, varia loca Hispaniæ pererrat, Ximēnius Complutum ad opera sua vrgenda reuertitur, & duo cœnobia Ioannis cognomento pœnitentis, alterum Toleti, Compluti alterū, quæ iamdiu (vt diximus) ædificari cœperant, tandem absoluta sunt: quanquam Com- 40 plutenſe, ob assiduam Ximēnii præsentiam, à virginibus ante hoc tempus inhabitabatur. Toletanum certē hoc anno dedicatum fuit, & totius vr̄bis applausu delectæ scemina in Francisci normam iurarunt, & puellæ quæ pōst aut nubere, aut in cœnobio manere deberent, earū magistræ sunt traditæ, vt piē & sobriē educarentur, instituerenturq;. In hac facta æde Franciscus Ruizius Ximēnii sodalis, Episcopus Abulēnsis, humari voluit, monumento è marmore candidissimo, à Panormo Sicilia allato, quod ob mollem signorum cælaturam, mirè laudatur. Auxit etiam in patroni benemerētis gratiam illud cœnobium, additis sex sacerdotibus ad rem sacram quotidie faciendam, & perpetuis reditibus, ad aliquot puellas dore cassas quotannis collocādas. Compluti, quod Ximēnius peculiari studio illud op- 50 pidum ornare curabat, rem vtilē, & iamdiu excogitatam facere adgressus est, quæ tamen nō successit ex voto. Habet Complutū à meridie ultra flumen, quo alluitur, perpetuos colles, qui nonnunquā in montes asurgunt, nullis tamen dumis aut arboribus vestitos. Hoc verò non tam soli sterilitate, quā negligētia incolarum euenire existimabat: dedit igitur operam, vt diligenter plantæ ponerentur, & multi

gland-

glandium modii, in scrobibus emollitis seminarentur: nam ilices quauis tellure prouenire audierat, & vtilissimas fore sciebat tū pecori alendo, tū lignis cædendis, quorum inopia Complutenſes laborant. Sed fuit (vt diximus) irritus labor, occulta quapiam locorum ratione: aut quod vero similius est, quia illi montes herbam pecori sufficiunt, & non ea cura fuerunt custoditi, qua oportebat, ne teneræ plantæ, aut femina latentia passim cōcularentur, præsertim totius territorii incolis reclamantibus, in quorum damna seminabantur: oportuisset enim per complures annos compascuis agris caruisse. Interea Leo Pont. Max. Lateranenſe cōcilium, quod Iulius 11. indixerat, ritē inceptum perficere curabat: multaq; apud Ximēnium de rogationibus, & concilii decretis, partim literario confictu, partim familiariter sermone agitabantur. Grata permultum Ximēnio fuerunt quæ de magistris scholarum, & adolescentium institutoribus, à concilio præcipi audiuit. Nam cum eo tempore suæ Academiæ infantiam generoso, & nulla prauitate infecto lacte imbueret, & alere curaret, dici nō potest quanto applausu decretum illud complexus sit, quosancitur, vt non solū iuuentus in liberalibus disciplinis erudiretur, sed in iis etiam, quæ ad religionis Christianæ notitiam pertinent: qualia sunt præceptorum diuinorum, fidei articulorum, hymnorum, psalmodiarumque cognitio, & quicquid de vitis sanctorum per probatos authores scriptum habetur. Hæc omnia festis potissimum diebus, nulla aliorum studiorum intermissa com- 20 mentatione, præterquam quæ de moribus est, in gymnasiis tradi iubebantur. Quo etiam tempore non solū missarum sacrificiis, sed concionibus sacris, cæterisque de rebus diuinis officiis, quantum fieri possit, vt interessent admonebantur. Illud in primis collaudatū ab eo audiui, quod sacrorum ordinum initiatis seuerissimē demandabatur: vt postquam grammaticæ & dialecticæ iustam operam impendissent, rebus philosophicis, & poeticis, quinquēnio duntaxat in publicis gymnasiis incumbere liceret. Quod si eorum studiorum amore capti, longiorem moram in ipsis ponere concupiscerent, id nullo modo per Academiarum præfectos permitteretur, nisi iuri etiam Pontificio, aut sacre Theologiæ, aliquid quoque laboris quasi in antidotū impartirentur. Dicebatur etiam Pontif. Max. sedulò conuicti, 30 vt fasti nostri ob solis cursum à tempore Iulii Cæsaris nō nihil variantem, in ordinem redigerentur. Nam vt ex vetustis annalibus constat, ad Pontif. Max. pertinebat anni rationem exactè tenere, & fastorum dierum rationem ritē promulgare. De hac igitur re cum apud Ximēnium inter viros doctos sermo haberetur, aliusque aliud pronunciarer, Antonius Nebriffensis dixisse fertur, id sibi omnino simile videri antiquæ fabulæ, qua narratur quemadmodum diis consiliantibus, de orbis tumultu ob mortalium bella sedando, Iupiter habere se dixerit rem magni momenti, ad quam eorum consilio opus esset, cui si, vt sperabat, subuenirent, statim de cæteris orbis incommodis agendum foret. Instare cælites, vt tandem id proderet, se enim opera sua iuuaturos. Succurrite (inquit) miseris agricolis, quibus non 40 sat est cum rastris, ligonibus, & aratris perpetuò contendere, ad exercendam tellurem, sed nouus etiam labor multò molestior additur, in cucurbitis quotannis expurgandis ab interiore illa medulla, & fecundissimo semine: quod ni sedulò faciant, vasis vinariis sunt carituri, in magnum agriculturæ detrimentum: res ergo digna est in quam omnes incumbamus. Quare diis visum superis vt cucurbitæ vacuo ventre postea nascerentur. Næ tu (inquit) Ximēnius, Antoni falsa similitudine es vsus, sed hæc res est, de qua præci & sanctissimi patres, summi quoque orbis Monarchæ studiosè & sollicitè, publicis conciliis, & priuatis congressibus egerūt. Mittam ad te Pauli Episcopi Forosempromienſis volumen, ad me nuper ex Italia allatum, vbi errores qui ab huius rei ignoratione proueniunt panduntur, & Iu- 50 dæorum risus, & cachinni, oscitantiam nostram cauillantium, quod Pascha domini & Dei nostri in secundo mense immūdis (vt illi aiunt) deputato, sæpenumero celebremus. Hæc cum Ximēnius dixisset, Nebriffensis gratis pro tam beneuola obiurgatione actis, vera ea omnia esse fassus est, seque magis ad eum oblectandum fabellæ meminisse, quā quod aliter sentiret. Esquinas Abulēnsis canonicus literas, quas breues vocant, à Pontif. Maximo obtinuit, quæ mense De-

O iij

cembri Abulæ sunt publicaræ, quibus emolumenta, quæ tribui solent canonicis, qui horis diuinis adsunt, vt absens etiam perciperet concedebatur. Huic rei sese Ximenius opposuit: & ad regem scripsit incommoda, quæ inde essent proventura, nisi in tempore caueretur. Tunc per regias literas iussi sunt vrbium præfecti, vt diplomata quæ Roma afferrentur, ad supremum regis tribunal mitterentur: Esquinas etiam perterrefactus regis nomine, ni ab huiusmodi priuilegiis petendis abstineret. Annus iam quintus decimus eius seculi numerabatur, quem Ferdinando fatalem esse plerique existimabant. Frequentes ergo literæ ad Ximenium dabantur, tum eorum qui illi à consiliis erant, quibus vt ad publica negotia animum conuerteret, & regi ægrotanti curarum partem detraheret, rogabatur. Neque enim suis priuatis rebus agendis, rege conualescente, tempus defuturum. Ximenius, quæ erat prudentia, facillè animaduertit laboriosum admodum sibi futurum, si regem nusquam quiescentem, per saltuosâ loca affectaretur, tam imbecillo corpore, & valetudine parum firma. Videbat etiam regem permolestè ferre, si quis de rebus seriis ad remp. pertinentibus secù ageret, qui tantùm erat in morbo depellendo attentus. Quare consultius se facturû, si valetudinè suam curaret, & vires seruaret in tempus opportunius, & multò reip. necessarius, quod propediem futurû coniectabat. Decreuit itaq; Compl. commorari, & res propositas de villis in vsum Academiæ cõstruendis, ad coronidè perducere. Diximus in Butragiorû montibus, qui in cõfinio Vacceorû sunt, eadè sacram in remoto secessu esse, vndiq; nemorib. & montibus cinctam, prorsus musarum studiis, & diuinarum rerû contemplationi aptam. Diui nomen cui est dicata, ex antiquis quæ apud Academiâ Compl. afferuntur monumentis, Auditum esse liquidò constat, quanuis eius memoriam in fastis sacris nullibi reperiam. Vulgò à nostris Sanctoid appellatur, manifesta ab auditi nomine deriuatione. De primis conditoribus, nil certi quod scribâ habeo, locus canonicis sacerdotibus videtur extructus: nam & chorus est psalmodis dicendis, sedilibus dispositis cõstructus, & triclinium (quod refectoriû vocant) per amplum, cæteraq; multa ad vitam promiscuè degendam necessaria. Fons est in proximo prædiolo, qui Domini Sanctii appellationè seruat. Quin eius ossa ligneis loculis serico panno contectis in choro 30 afferuabantur, donec Christophori Petrii doctoris Theologi opera, qui diu ibi Priorè egit, monumento è gypso iuxta arâ sunt condita. Sed quis ille Sanctius fuerit, aut quibus ortus parentibus, quò ve ex loco ad eos montes venerit, neque ex insignibus insculptis, neque ex vllis monumentis, aut hominû memoriis assequi potui. Fama tamen quædam est, regis fuisse filium, qui ad ea loca, dum Barbari miserè Hispaniam vastarent, cum multis sanctorum reliquiis secesserit. Has postea Ximenius, præsentibus Francisco Ruizio Abulensi Episcopo, & nonnullis aliis, è thecis detractas meliori in loco reposuit. In antiquis membranis, quæ in Academiæ scrinis afferuantur, inuenio nemus sancti Auditi, de quo nunc agimus, canonicorum sacerdotum possessionem fuisse, qui ædem diuæ Leocadiæ 40 catam ad Toletum colebant. Arquillinum verò abbatem de sodalium Leocadiæ voluntate, & Archiepiscopi Toletani iussu, ac patrû ecclesiæ Toletanæ consensu, nemus illud regi Alphonso octauo concessisse, qui tertius vocatur in membranibus, quòd ab Alphonso, qui Toletum cepit, esset tertius. Hunc postea Ferdinando Didacio S. Iacobi militiæ magistro, què dilectissimum sibi virum, & omni religione præditum ibi vocat, cœnobium sancti Auditi (nâ ita in membranibus habetur) cum vicinis nemoribus liberaliter donasse. Quis deinde cœnobii status fuerit, quive homines ipsum habitauerint, mihi planè incognitum est. Igitur hanc ædem cum à Priore de quo libro proximo diximus, Ximenius extorsisset, theologis doctoribus, qui scholasticam palæstrâ absoluisent, secessum esse voluit, vt 50 nonnulli dicunt: vbi curis omnibus vacui, sacros authores per otium euoluerent. Certè patres, Academiaq; Compl. cum hanc fuisse conditoris mentè arbitrarentur, de eiusmodi sodalitate Compluti creanda sæpenumero sermonè contulerunt. Sed siue publica rerum cura Ximenium ab hac cogitatione dimouerit, aut loci rigor nimius, ob Boreæ assiduos flatus, sententiâ mutare coegerit, certè potius id vulgo

vulgo iactatum, quàm villa Ximenii certa destinatione agitata fuisse, par est credere. Sunt etiam nunc, qui Ximenium dicentem audiuerint, tres villas amœnitate & salubritate notabiles se ædificaturum, ad quas æstiuo, aut pestilenti, aut turbulentum tempore ob populares motus, Ildephonfi collegæ migrare possent. Harum vnâ diui Auditi ædem fuisse, quâ in locis multis sumptuosè cõstruxit, additis molis frumentariis, quæ à proximo riuo versarentur, non sine magna utilitate tum villæ, tum finitiorum agrorum. Alteram non longè ab agro Turri-lacunitano, quam Aldehuclam (quasi viculum dixeris) appellât. Vbi ædem diui Ildephonfi, quæ Complutensis æmula videri poterat, eisdem prope partibus, & 10 membris distinctam, à primis fundamentis exædificauit, aptiorem tamen hœmali tempore quàm æstiuo, sed prædio vini optimi & frumenti feracissimo ornatam, vnde maximum emolumentum collegæ capiunt. Tertiam verò Anchuelli agro Complutensi erigere cepit. Sed cum parum ex animi sententia surgentem cerneret, demoliri protinus iussit, neq; amplius de reficienda cogitauit. Verùm duæ, quas diximus, villæ, satis sunt ad prædicta incõmoda euitanda. Tædium certè assiduitatis & diuturnæ in Compluti ædibus habitationis, villarum præsidio abunde discutitur. Ximenius postquam Anchuelli villâ demolitus est, sanctum Torquatium Compluto proximum, & suæ ditionis oppidû venit, vbi arcem, quæ vetustate collabebatur, tã firma structura & decora reparauit, vt pontificibus Toletanis haud aspernanda habitatio habeatur. Hoc igitur proposito, & incredibili 20 animi præstantia & celeritate, tot præclara opera cõstruxit, quæ nõ solum vrbem aliquam, sed totam Carpetaniam, imò verò totâ Hispaniâ illustrant. Auger hanc magnificentiam tenuitas prouentuum, & vectigalium archiepiscopatus Toletani, si cum opulentiâ & summa fructuum copia nostri temporis conferantur. Multis morbo ædificandi laborare, aliis rerum bellicarum studiosior, quàm anti-stiti conueniret, visus est. Nonnulli literarum, & doctorum hominum fauorem mirum in modum fuisse, cætera verò non natura sed cõsilio procurasse. Hæc tam varia de illo iudicia, non aliunde nata esse constat, quàm quòd in rem semel susceptam adeò gnauiter incumbere, vt illi solum natus, in eamq; tantùm ingenio 30 ferri videretur. Sub mensè Iulium rursus literis regis Arandâ euocatur, quæ ad flumen Duriam sita est: quò Augusto mense, qua potuit festinatione, cõtendit. Nâ rex cû Burgis ageret, à cubiculi custodibus animo defectus, & toto corpore tremebundo repertus est, qui eius gemitu & thonchis excitati adcurrerunt, & vix frigida adspersa, membrorumq; confricatione, in sese vt rediret effecerunt. Creditum est id regi accidisse, quòd per æstiuos calores, fenestris cubiculi apertis, & leuibis stragulis tectus, noctu dormiens aura frigidiorè & tenui, qualis Burgenis est, afflatus fuerit: vnde illæ corporis motiones & torsiones oculorum prouenerunt. Hoc casu rex perterrefactus, Burgis relictis Arandam profectus est: Ximenium statim ad se venire iubet, de reip. statu cum eo acturus. Nam cum ineunte 40 anno, Germanâ reginâ in Aragoniam ad conuentus faciendos misisset, quoniam ipse ad alteros Burgis celebrandos procuratores Castellanos conuocauerat: regina rursus in Castellâ reuocata, ad Aragonios absoluedos proficisci meditabatur. Acciderunt autem nonnullæ res, quæ regiam maiestatem offenderât, & magis arcano beneuolentium hominû consilio, quàm publica seueritate animaduertenda erant. Vt ergo Ximenium venire nouit, ad pontè eius oppidi, obuiam illi lectica processit, magna omnium admiratione, qui regem se quoquam ob ægritudinem difficulter mouere nouerant. Id enim rex perpetua quadam religione obseruauit, vt Ximenium, ad regium comitatum venientem honoris gratia extra oppidi mcenia salutaturus progrediretur, quòd me aliàs annotasse memini. Vt 50 rex ad pontè peruenit, lectica descendit: qui dũ fluuiû magni in Hispania nominis, rapido alueo fluentè spectat, Ximenius adfuit, & post mutuas salutationes in oppidũ colloquentes processerunt. Post aliquot dies Antonius Augustinus, regnorum Aragoniæ Vicecancellarius, reipub. malè actæ infimulatus, in Septimancam arcem, graui custodia seruandus, missus est. Sed hunc anno insequenti, iã Ximenio regni summam moderante, quòd aliàs reip. esset multis in rebus utilis, vadibus

datis, custodia abire permisit. Inde rex sub finē Augusti Segouia concessit: nam partim ob temporis calorem, partim ob ægritudinem in dies ingrauescentem in Aragoniam iturus non credebatur. Sed extemplo, quæ est animi ægrotantis incōstantia, quanuis cunctis proceribus diuersum suadentibus, Aragoniam proficisci statuit, reipub. cura Ximeno demandata. Vt rex Bilbilim peruenit, ibi proceres Aragonios allocutus de rebus quæ vrgere videbantur, statim Madritum rediit. Sed cum nullibi satis commodè confisteret, Placentiam in antiqua Lusitania urbem, ex medicorum sententia, quod mitius cælum ad hyemem transigendam habere credatur, sub Nouembrem mensē contendit. Haud diu ibi commoratus, in Albani reguli amcenissimum prædium, quod Abbatiam vocant, ad ceruorum 10 venationem discessit. Sed neque hoc illi ex animi sententia fuit, ad eò cuncta quæ quondam placuerant fastidio erant. Omnia sibi angusta & arcta in urbibus esse clamitabat, & sub dio velle vitam agere, vbi latè pateret campi, optabat: tanta erat mentis anxietas, & præcordiorum æstuatio. Dum hîc per mensē Decembrem immoratur, Adrianum Traiectensem Louanii decanum, qui à Carolo nepote legatus venerat, honorificè recepit. Sed rege negotia vniuersa fastidiente, Placentiæ vbi regius comitatus degebat, aut in Guadalupi cœnobio, donec vocaretur expectare iussus est. Hîc rursus Ximenii præsentia desideratur: nam Segouia Complutum migrauerat, de suis ædificiis sollicitus, quæ quò magis ad coronidem perducta videbantur, tanto plus manum extremam illis imponere, quod & fecit, 20 cupiebat. Igitur rerum subinde pullulantium molem ad illum reuicere Ferdinandus desiderans, crebris literis ad se vocauerat. Ximenius verò, quanuis nihil magis per id tempus concupisceret, quàm regi laboranti, & ferme extremum halitum ducenti adesse, recusabat tamen eò venire: ne si se præsentem, quod postea euenit, regnorum moderationi præficeretur, non tam regis de se iudicio, quàm ambitione sua factum esse videretur. Tum etiam verebatur, ne si cum rege in Baticam secederet, vt vulgò iactabatur, Reguli interea, qui toties in Ferdinandum conspirauerat, & quibus eius dominatus grauis erat, aliquid noui molirètur: præsertim cum Belgæ, in quorum potestate Carolus puer erat, nihil magis quàm imperium optarent. Itaque regi ad hunc modum respondit: Se quidem omni cura & dili- 30 gentia ad iter parasse, sed imbrium immodicè superuenientium tempestate retardatum fuisse: nam ea rapidorum torrentium inundatio nunciabatur, vt omnis transitus esset interceptus: post serenitatem verò redditam nihil certi habuisse de regis mansionem, quam subinde mutare intellexerat: quamobrem decreuisse tantisper immorari, donec certior de ea re fieret. Quòd si in eo Lusitaniæ tractu, qui propinquior Tarraconensi est, eam hyemem transigere statueret, se quamprimum ad ipsum venturum, atque ea de causa simulatque epiphanix festum celebrasset, ad Talabricenses venturum, vt in extremo ad occidentem diocesis suæ limite, regis mandatum opperiretur. Quòd si in Baticam ire animus esset, & Granatam, Malacam, cæterasque eius oræ vrbes peragrarè, sciret multas ob causas, de 40 quibus latius aliàs scripserat, Ximenii præsentiam in Tarraconensi tractu necessariam esse. Quòd verò comiter & amicè Adrianum nepotis legatum suscepisset, id ex regia dignitate factum esse: custodes tamen (quod ex aliorum literis cognouerat) illi palàm appositos, vt nemo eum adiret, qui regi ingratus aut suspectus haberetur, sibi non probari. Neque enim cum viro probitate, aut doctrina singulari, & qui pacis in rempublicam inducendæ causa venerat, vt cum seditiosis & prauis ingeniis agendum esse. Postquam hæc ad regem scripsit, quod de Batica non ad eunda significauerat, ad eò firmiter seruandum proposuerat, vt Alarconio, quem hospitii parandi causa, ad comitatum regium præmiserat, per Didaci literas iusserit, vt si Hispalim rex proficisci tandem decernat, ipse extemplo Complutū redeat. 50 Ad Adrianum verò literas humanitatis plenas dedit, quibus de eius in Hispaniam aduentu gratulatur, & permolestè tulisse ait, quòd eo tempore à comitatu regio abesset, in quo Adriani conspectu & consuetudine tanta cum animi voluptate frui potuisset, quem cuncti in omni virtutum & doctrinarum genere virum summum prædicarent. Cæterum simulatque de regis in loco certo mansionem cognouisset, illuc

illuc festinaturum. Nam dū per incertas sedes rex vagaretur, ætati suæ, aut valetudini tutū no esse, regem affectari. Interea regina cū ab Aragoniis conuentibus rediisset, Complutum diuertit, vbi regiè & lautissimè accepta, Ximenius omni officiorum genere profectus est. Illa verò in amplissimis Complutensis palatii ædibus animum relaxabat, & choro suarum puellarum sine fastu intermissa, negotiorum molestias quas apud Aragonios contraxerat, deposuit. Ibi Ximenius de regis valetudine, de proposito sui ratione, & de dilatione suæ profectiois ad regē, deq; multis aliis reip. rebus cū regina egit. Illa rursus de iliorum dolore, quo rex in abbatia vehementer laborauerat, & de lapide præmagno per viscera eiecto, cum 10 maximo totius corporis tremore, quemadmodum ex regis literis intellexerat, Ximeno exposuit. Quo circa citatis ad eum itineribus properare, foreq; sibi oppidò quàm gratum si ipse se viæ comitè daret. Cæterum quando ea impedimenta, quæ dixerat, obstabat, id (inquit) facias, quod magis è rep. futurum arbitraris. Nam ego regi pro dignitate causas omnès quas retulisti ob oculos sum positura. Sed id vt pollicita fuerat perficere regina nequaquam potuit: nam fata regem importunè affligebant, & quanuis omni festinatione noctu diuque iter susceptum vrgeret, Matricaliolij iamiam moribundum offendit. Quare eum alloqui, aut priuatim de rebus suis agere non potuit. Tertio postquã regina aduenerat die, rex Ferdinandus inter viuos esse desuit: quibus diebus tanta rerum moles instabat, tot 20 negotia peragenda se offerrebant, vt nihil aliud quàm flere per id tempus regina licuerit. Nam cum ante aliquot dies rex Ferdinandus Abbatia discessisset, totamque illam Lusitaniæ apicam regionem, quæ Areatum prouincia includitur, pererrando æger circumiret, aliquot dies Trugilio immoratus, quæ antiqua turris Iulii à nonnullis creditur, inde in vicum ignobilem, Guadalupini cœnobii magna ex parte prædium, cui Matricaliolum nomen est, locum sibi fatalem, venit: Nam vt audio, iam illi olim prædictum fuerat, vt Matricaliolum sedulo caueret. Quod quanuis rex religiosissimus idemq; magni animi semper spreuisset, nihilominus humanum aliquid in ea re passus, Matricaliolum Vacceorum non longè à Pintia oppidum, ob nobile vinum memorabile, vitabat, sed longè memorabilius quòd Alphonfi Tostati episcopi Abulensis natale solum fuerit, viri multiscii, 30 cuius numerosa & variis de rebus cum sacris, tum profanis edita volumina, Didymo illi Alexandrino parem faciunt. Ergo tandem in Matricaliolum incidit, vt verè dictum esse constet, quid quisque vitet non satis cautum est in horas. Multa huic ambagi similia traduntur non solum gentium historiis, sed Christianorum etiam: vt de Annibale Pœno & Atheniensibus, illo Libysiam fatalem sepulchro fugiente, his Siculam terram quaerentibus: & de Federico II. imperatore, qui Florentiã astrologi monitis euitabat, & Florentiolæ obiit. Sed hæc omnia meræ sunt hominum imposturæ, qui post rerum euentum huiusmodi fingunt oracula, quæ incerto authore in vulgus sparguntur. Sunt etiam mulieres phanaticæ, quæ simulata quadam sanctimonia se futura nouisse prædicant, & principibus nimium credulis, de rebus quæ vt eueniant miserè optant, facillè imponunt. Sic Ferdinandus rex quanuis morbo multum præualecente, scemina, quam Beatam Abulensem vocabant, prædictionibus deceptus, quasi multò diutius esset victurus, neque Adrianum, qui vt hæc cognouit, Guadalupo Matricoliolum venerat, ad se recepit, quòd non tam de rebus reip. acturus, quàm de eius valetudine & vita sermones captaturus aduenisse diceret, neque Matienzum Franciscanum, sodalem, qui illi à confessionibus erat, tempore maxime necessario admittere voluit. Aiebat enim non pietatis causa, sed potius libellorum signandorum, & peculiari ambitione impulsus venire, vt regem obtunderet: tanta erat viuendi cupido, & ad eò 40 infederant fanaticæ mulieris promissa. Sed cum aliquot supremi senatus iudices qui regem comitabantur, aliquotq; etiam insignes medici ei blandis alloquiis, & beneuolis sermonibus finem instantem denuntiarèt, & vt sibi ac reip. quam tanta caritate hæctenus cõplexus fuisset consuleret, adhortarentur: tandè illorum precibus, viq; morbi victus, Adrianū ad se vocari iussit: & postquã humanè salutauit, vt Guadalupū rediret mandat, quòd si viueret, quamprimū se iturū dixit, ad publicas

res cum Adriano componendas. Cum Matienzo etiam, per aliquot horas, semotis arbitris collocutus, & conscientia more Christiano expiata, atque venia errorum à Deo opt. max. suppliciter petita, ad reipub. curam, Matienzi consilio conuersus, testamenti tabulas, quas non ita pridem Burgis condiderat, intimis amicis, & regis senatoribus, qui illic aderant, inspiciendas & retractandas tradidit. In eis Ferdinandum puerum Caroli principis fratrem, gubernatorem horum regnorum constituebat, & illa tria militarum ordinum magisteria, sancti Iacobi, Oretani, & Alcantarenfis, iure hæreditario donabat. Illi ergo, multis rationibus adductis, vtrunque reprobarunt, vnde testamentum Burgenfe irritum est factum, & alterum denuo compositum & obfirmatum. De Ferdinando gubernationi non præficiendo, etsi rex sibi peruaferat, Carolum Belgicis moribus innutritum, in Hispaniam nunquam venturum, facile acqueuit. Nam quauis Ferdinandi indoles nihil finistri suspicari de se permittebat, tamen rex prudentissimus facile intellexit, non defuturos peruersos homines, qui mentem pueri ob priuatas suas rationes immutarent. At de magisteriorum legato mutando, non libenter audiebat: quod Ferdinandus, quem vnice dilexerat, patrimonio regio destitutus, vitam inopem acturus videbatur. Sed cum fideles consiliiarii monerent, ut quid faceret attentius inspiceret: nam si experimento pernicioso cognitum abunde fuit, vel vnus ordinis magistrum regi sæpius negotium faceffisse: quam discordiarum materiam se subministrare credibile erat, tribus magisteriis in vnum Ferdinandum collatis? Præsertim cum nullas maiores diuitias posset nepoti relinquere, quam Caroli fratris beneuolentiam: quare & hoc etiam legatum inductum est. Carolus ergo regina matre viuente, gubernationi reipub. præficitur: quod ob patriam in Ioannam potestatem regi facere iure licuit. Habita illico consultatio fuit, de viro magnanimo ac prudente, cui cura regnorum absente Carolo committeretur. Anceps erat ea designatio: nam neque ex regulis tutum erat constituere, ob antiquas inter ipsos similitudines: neque ex hominibus mediocri fortunæ, ob ingenia Hispanorum, qui minorum imperia pati nesciunt: & quod rarissimum sit, virum inuenire paruis assuetum, qui personam tantæ rei aptè subito induere valeat. Laurentius Galindus Carauaius, iuris consultus, & regis senator, qui isti deliberationi aderat, Franciscum Ximenium Archiepiscopum Toletanum eum esse quem requirebant, dixit. Sed rex vultus auersatione, qui animi motus plerumque indicat, sibi non placere ostendit: quod verbis etiam sic confirmauit. An vos (inquit) ingenium seuerum Ximenii non cognoscitis, hominibus tractandis in tanta morum varietate haud accommodum? Sed cum ad hanc vocem cõticuissent omnes, rex quasi diuinitus mutata sententia, sic ait: Si hominem effingere pro votis liceret ad rem de qua agimus, tractabiliorem, Ximenium voluissim: mores enim hominum quotidie degenerantes, ad priscum illum honestatis rigorem, quem Ximenius proficitur, exigere, magnas in rep. difficultates excitare solet. Sed ut vestram ferrentiam probem, facit in primis hominis integritas, animusque semper recti & iusti appetens: post hæc quod nulla propinquitate regulorum cuiquam cõiunctus, nihil priuatis amicitias est daturus. Porro beneficia, quæ ego & Isabella regina in illum contulimus, nostrarum rerum studiosissimum fecerunt, atque in nostro (ut sic dicam) ære est, quod quotidianis exemplis haud obscure declarauit. Ad hos regis sermones plausus adstantium est secutus: qui regi pro Ximenii designatione gratias agentes, eius sententiam vehementer collaudarunt. His atque aliis prudenter curatis, rex se morti proximum intelligens, sanctissimæ Eucharistiæ viatico suscepto, & oleo sacro vinctus, XII. Cal. Febr. ante quam illuxisset, religiosissimæ vitæ cursum clausit, dignus qui inter reges præstantissimos adnumeretur. De quo, in scholasticorum frequenti consensu, Ciruelus Darocensis theologus, ut illa ferebant tempora memorabilis, in oratione funebri, vnum inter reges Ferdinandum fuisse dixit, qui regnandi ratione posset instituere: & ob insignem prudentiam, cum longa rerum experientia cõiunctam, de recta principum gubernatione non vulgaria præcepta tradere. Exemplo Carauaius & Vargas inter regios senatores primarii, ad Adrianum qui rerum euentum Guadalupi expectabat, sunt

sunt missi, & iam Matriculorum properanti occurrerunt. Postquam igitur ad viciu accesserunt, vbi Federicus à Toledo dux Albanus, & Bernardinus Rogius Dianienfis marchio, & Fadricus Portugalius Seguntinus episcopus, & Ioannes Fonseca Burgenfis antistes, cum multis aliis viris primariis aduenientes præstolabantur, regis testamentum eo ipso die ante meridiem, apertum & euulgatum est: atque eius exemplum, quod ad Belgas Carolo transmitteret, autoritate publica, Adriano qui id iure flagitauerat, traditum fuit. Ximenius regii senatus literis Compluto Guadalupum continuo accersitur, simulque illum certiore facit, regis testamento, ad rem gubernandam, donec Carolus princeps in Hispaniam veniat declaratum. Rex Grænatam tumulandus effertur. Gonfalus Guzmanus Oretani magisterii clauiger, Aluarus Olorius Asturicensis antistes, Ferdinandi pueri custodes, qui Guadalupum rerum successus, ut ceteri omnes, suspensi expectauerat, ob irritas Burgenfes tabulas, vana spe quam conceperant delusi, tacitis animis indignabantur. Sed actorum ignorantiam simulantes, Ferdinandum alumnum impulerunt, ut iure tabularum Burgenfium quibus gubernator regnorum absente fratre constituebatur, autoritatem regiam usurparet: & libellos de more ad senatores regios, aliosque proceres, qui conuenerant, mitteret, quos ad se Guadalupum vocaret. In libellorum capitibus infantis nomen (sic enim principis fratres appellant) inscriptum erat, ea forma qua soli reges in Hispania vti solent. Eius rei insolentiam cum singuli ad quos dabatur iniquo animo suscepissent: vnus ex regis senatoribus fidei publicæ, regique obseruantie studiosus, renuntiato (inquit) infanti, nos Guadalupum iam iam festinare, vbi officii nostri memores debitam reuerentiam exhibebimus: regem tamen nisi Cæsarem habemus neminem. Quæ vox postquam Carolus rex Romanorum est designatus, & non multo post Cæsar factus, prouerbii loco iactabatur, quasi certissimum imperii omen fuisse.

LIBER SEXTVS.

HXTREMVS rerum à Ximenio gestarum actus superest, in quo factum eum ad maximum fastigium, & amplitudinem supremam subuehentibus; quemadmodum Hispaniæ sceptrum absente Carolo biennium ferme moderatus fuerit, & quanta auctoritate & imperio, motus qui eo tempore in republica exorti sunt, aut represserit, aut sustulerit, sumus tradituri. Nam cum regulorum nostrorum vires formidabiles per sæpe regibus exiterint, magnopere Ximenio laborandum fuit, ut eius personam indueret, & maiestatem referret, cuius vicarias vices habebat, & animos nostrorum excelsos & elatos deprimeret. Hoc autem ab homine nullis natalibus, aut præclaræ familiæ gente numerosa & illustri suffulto, fieri non potuit sine maxima prudentia, summa fortitudine, & magnanimitate. Sic ergo procerum spiritus fregit, ut tunc primum resp. viderit plebem cum nobilibus ex æquo agere, & regia mandata sacrosancta haberi. Nam homo priuatus regio nomine in viros summos animaduertit, lites & controuersias, in quibus ingenia emolumenta verteabantur, & ob cauillationes, tergiversationes, & strophas aduocatorum remp. perpetuis simultatibus erant læfure, diremit. Magnorum patrimoniorum & censuum possessionem, velut Hercules clauam, è potentissimis manibus ablatam ad veros dominos transtulit. Omnibus reip. ordinibus, magna religione & potentia suum ius æqualiter distribuit, neque vnquam pacatiora tempora multis antea in Hispania sunt visa, & idcirco multo plus difficultatis & laboris duob. his annis, quam viginti prioribus, qui ab eius in Archiepiscopum creatione computantur, subeundum illi fuit. Mihi verò res ipsas scribenti via multo salebrosior & impeditior inuenda est. Nam velut vastum specum ingressi, quod magis à luce luminis recedunt, tenebris vndique crassioribus cinguntur, sic mihi ad metam properanti, extremus hic labor longè difficilior videtur, ob res grauissimas, & multiplici negotiorum diuersitate implicatas. Igitur postquam de morte Ferdinandi Ximenius per literas regii senatus certior est

factus, seque ab eo, ad reip. gubernacula testamento designatum esse, venerunt in mentem non solum beneficia maxima, quae Ferdinandus illi contulerat, & honores quos semper Ximeno detulerat, sed fors etiam humana moriendi, quae a quo pede summa & infima conculat. Obortae sunt statim lachrymae homini alioqui seueri & grauissimo: tantique regis morte, magna infligi plagam dixit vniuerso orbi Christiano, sed Hispaniae in primis. Ergo ne reip. deesset, quam statim nouis turbationibus concitandam nouerat, Guadalupum ad senatum properat. In mandatis quoque Didaco Lupo ad Chebrium Caroli nutritium dedit, potissimam festinationis causam fuisse inuenio, ne Ferdinandum puerum aliquod abducerent eius custodes, & motus tempore maximè incommodo excitarent. Vt Guadalupum peruenit, infantem Ferdinandum quamprimum adduci curauit, quem deinceps a se diuelli quantum diu vixit passus non est. Germanam reginam, atque eius foemineum comitatum omni obseruantia & cultu profecutus, ut omnia ei quam largissimè suppeteret, donec negotia componerentur, pecunia sua statim cauit. Cum ex testamento rerum summam vellet capessere, Adrianus Caroli mandata protulit, quibus si quid humanitus Ferdinando auo accidisset, Adrianum gubernatorem declarabat, & eius nomine ut possessionem regnorum caperet iubebat. Ximenius se id permittiturum negabat: unde non nihil controuersiae inter eos ortum est. Sed cum uterque reip. causa id ageretur, & pari consensu ad Caroli obsequia essent animati, facile omnis contentio fuit sublata. Nam cum ex regis Ferdinandi testamento Ximenius esset rebus praefectus, Caroli mandata expectanda esse videbantur, ut quid faciendum esset post eam Ferdinandi regis voluntatem, constaret. Porro cum ex Isabellae Reginae testamento, Ferdinando marito reip. moderatio relicta esset, donec Carolus nepos ad xx annum perueniret, isque a vita discedens Ximenium suo loco instituisset, quicquid Ferdinando viuente super hac re Carolus fecisset, irritum ex iure esse a nonnullis affirmabatur: praesertim cum ex Hispaniae legibus, atque antiqua morum consuetudine, nullus posset externus legi, qualis Belga Adrianus erat. Placuit Adriano Caroli sententiam ea de re expectare, & interea partitis curis regni molem ambo subierunt, publicis tabulis, & quibusuis libellis, vtriusque chirographo signatis. Ferdinandi regis morte, & Caroli principis absentia, procerum Hispanorum animi ad res nouas concitandas parabantur. Nam Petrus Portocarrerius cognomento Surdaster, Ascalonii ducis frater, cuius successores nunc marchiones sunt Villanoue, cum inter Lusitanos, qui trans Anam flumen sunt, & potentia & opibus valeret, ad Magisterium sancti Iacobi occupandum, quod morte regis vacuum esset factum, Areuates sollicitans, aspirauit. Is ergo prior coepit res nouas in Hispania moliri. Sperauerat eam dignitatem magnus Gonsaluis, sed post eius mortem Portocarrerius pontificis Romani diplomata comparauerat, quibus continebatur ut si is superstes Ferdinando regi esset, iure sibi illud magisterium vendicaret. Sed Carolus diplomata etiam a pontifice max. Bernardino Caruajalo curante obtinuerat, ad tria quae diximus magisteria possidenda, ut regi catholico concessum fuerat. Cuius auxilio id fecerit incertum, certe Ferdinando rege inficio factum esse, vel illud satis aperte declarat, quod is Ferdinando puero (ut diximus) legauerit. Cum ad Ximenium de Portocarrerii conatibus delatum esset, qui per tumultum & militarem apparatus conuentum commendatariorum ad se eligendum congregabat, de Adriani & Senatus sententia, Villafannam quatuoruirum ad eum comprimendum, regis tabulis & militari manu munitum, mittit: cuius aduentu, ut erat Villafanna vir industrius & sagax, Areuatum prouincia a nouis rebus tenrandis quieuit: & Portocarrerius sanior effectus melius sibi consuluit. Post hunc tumultum sedatum, Ximenius & regii senatores, de loco deligendo in quo domus palatina & comitatus regis consisteret, variis sententiis egerunt. At Ximenius, qui nihil unquam rectè fieri posse sciebat, nisi vnius arbitrio cuncta componeretur, suas partes esse videns, ut diuersas voluntates & paru firmos animos, paulatim ad unitatem reduceret & confirmaret, sic in omnium consensu dixit: Videtis viri summi, in quam ancipiti periculo pariter cum rep. versamur, nisi ad locum aliquem commigrauerimus, in quo liberè munus nostrum exequamur. In principio obstandum esse vel leuif-

leuissimis incommodis scitis: ne è parua scintilla, maxima (ut fieri solet) crescant incendia. Quare si nunc ista negligimus in tam praecipuo rerum cardine, vereor ne nostrum principem, & rempub. deseruisse videamur. Video plurimis ex vobis transmontanam regionem placere, quod propior Belgis sit: nam ita à regibus nostris factitatum esse dicitis, qui quoties Gallici motus accideret, aut alia externa negotia tractanda erant, illuc regium comitatum transtulerint. Rectè illi quidè & prudenter, qui cum regia maiestate praediti essent, ut rerum domini ad se potentiores alliciebant viarum comites, & nihil erat quod aliunde vererentur. Nobis tamen, qui hoc praesertim tempore dum res sunt ambiguae, nihilque adhuc à Carolo sit mandatum, precario regimus, longè aliud faciendum esse censeo: locumque eiusmodi deligendum, in quo liberè ius nostrum exercentes, reip. commodis prospiciamus. Quod si in vltimotanam proficiscamur, praeterquam quod multi reguli in ea sunt, quorum potentia, si nouum quid moliri studuerint, pares esse nequaquam poterimus: videtis totam meam ditionem cis montes constitutam esse, unde quae serò subsidia sint illuc peruentura, neminem vestrum ignorare existimo. Carpetani, Batici & Lusitani absentia nostra abutentes, difficulter in officio continebuntur. Porro rebus etiam meis consulendum esse duco: est enim mihi similtas cum viro principe, qui ut est celsi & erecti animi, vereor ne quid mihi absenti incommodet. Ob quas causas, viri sapientissimi, oppidum in hac nostra Carpetania ad eam rem assumendum esse iudico, vbi & mihi paratissima sint omnia ad cuiusuis contumaciam & insultum coercendum: & vobis nil defuturum, ut pro dignitate agatis, & me ut rectum clauum teneam, vestra prudentia adiuuetis. Vicit prudens Ximenii sententia: oppidum nullum quod Madrito esset commodius, aut magis aprum, inueniri potuit, quod statim profecti sunt. Interea Petrus Campus regius veredarius ad Belgas mittitur, cum literis ad Carolum principem, omnia quae post Ferdinandi mortem accidissent, & quo in statu vniuersae res essent, quidque ille moriens mandasset continetibus. Hunc est subsequutus iustis itineribus Rengifus Abulensis, vir ad res gerendas strenuus. Petit hic locus, ut quo pacto Belgicae res praesente Carolo se haberet, quorumve consilio aut arbitrio regeretur, exponamus: nihil enim post hac de Ximenii actis dici potest, quin de Carolo, & Belgis qui eius curam & custodiam gerebat, sit dicendum. Ergo Carolus princeps Gandau apud Belgas natus, & educatus fuit: Ferdinandus verò eius frater, qui infans Hispaniae dicebatur, Compluti. Quare in natali solo uterque ad haec usque tempora perseveras, alter Belgicis moribus, alter Hispanicis est imbutus. Vnde Ferdinandus rex maiori hunc indulgentia & caritate prosequitur, nec Ferdinandus modò, sed cuncti ferme Hispanorum principes. Carolum. n. longè sepositum, & alieno caelo, aliisque viuendi institutis assuefactum, nunquam in Hispaniam venturum esse, multi ex nostris, sed ante omnes Ferdinandus auus credidit. Quare ad Ferdinandum puerum, regnis vicaria potestate praeficiendum, atque omni ratione adaugendum & cohonestandum, in primis incitabatur. Erant in Caroli familia multi ex principibus Belgarum, sed hi potissimum ob nominis claritatem, & Caroli fauorem notissimi: Ioannes Saluagius Burgundii senatus praefes, qui magnus postea Cancellarius fuit: Hontenius Cufius, & Roefius consiliarii: Chebrius, Armastophus & Laxaus cubicularii: Laurentius Gorrebotus domus regiae praefectus, Carolus Lanoius hippagiorum administrator. Erat illi medicus, Bartholomaeus Marlianus Mediolanensis, suae artis peritia clarus, qui symbolum illud PLYS VLTTRA inter Herculis columnas adscriptum, in Caroli gratiam excogitauit, & Turedensis episcopus fuit creatus, inuito & reluctante Ximeno. Chebrius inter omnes Caroli fauore excellebat, neque id immerito: nam & a puero illum enutrierat, & prudentia ingenioque ad omnia versatili, mirè erat praeditus. Huic tamen ob certas rationes Ferdinandus rex infensissimus erat. Certè in fœderibus quae morti proximus cum Adriano iniuit, ante omnia cauit, ut Chebrius cubiculo cui praeratur, pelleretur, neque quicquam quod ad rempertineret tractaret. Hoc quantum Chebrius ingratisimum accidit, atque ea de re feuerissimè cum Adriano exposulauerit, nihil tamen potuit tempori accommodatus ab Adriano fieri, ut Ferdinandi animus, qui Carolo aliquot de causis infen-

fus erat, placaretur. Ex nostris Ioannes Emanuellus eminebat: qui inter Ferdinā-
 dum & Philippum generum lites disseminauerat: & cum viuente Ferdinando re-
 ge, à Margarita nuru Belgarū præfecta, in custodia detentus fuisset, post eius mor-
 tem à Carolo nepote liberatus, & in honore habitus est. Antonius etiam Astuniga
 Beiaris ducis frater, qui cum Didaco Toletō ducis Albæ filio, de prioratu sancti
 Ioannis contendebat: & Petrus Portocarreius furdastri, de quo diximus, filius: &
 Ludouicus Corduba, qui ob morum elegantiam, Carolo iucundus acceptus que
 erat: & Alphonfus Manricus episcopus Pacensis, qui postea Archiepiscopus Hi-
 spalensis factus fuit: Petrus etiam Mota egregius concionator, Carolo ab epistolis,
 Chebrio ob morum facilitatem & eruditionem carus, & Carolo principi nō vul-
 gariter commendatus. Quanta ingenij solertia is fuerit vel ex hoc patere potest:
 Cum variæ epistolæ ex Hispania, facta atq; infecta canētes (vt optimus poeta dixit)
 adducerentur, erāt apud Belgas Hispani, qui domi suæ literas scribebāt, affictis et-
 iam amicorū subscriptionibus, & ab Hispania allatas iactabāt, quib. quæ ipsi nun-
 tiata cupiebant, continebantur, & in vulgus spargebant. Ex horum fasciculis vnas
 aliquando literas nactus, rebus malè coherentibus inspectis, cōfictas esse suspica-
 tus, chartæ nota attentè considerata, Bruxellis scriptas esse liquidò deprehendit.
 Hic ergo erat aulæ Belgicæ status, quando Petrus Campus, & Rengifus ad Belgas
 profecti sunt, Ferdinādi regis mortem Carolo nuntiaturi, & Ximeniū cardinalem
 eius testamento ad reip. gubernationē designatum. Multa doloris indicia Carolus
 dedit, rectore optimo post homines natos se priuatū esse dicēs, suiq; amantissimo,
 & qui rudi eius ætati erat perneccessarius. Iacturam tamen hanc quanuis incom-
 parabilem, non mediocriter sarciri aui sui consilio, qui Ximenium cardinalem
 præfeciisset, cuius sapientiam multo vsu limatam, & mores grauissimos ex multo-
 rum relatione cognouisset: quanquam postremum aui sui de eo iudicium summe
 commendationis instar apud se erat. Hæc ergo literis ad senatum regium datis,
 verbis amplissimis declarauit. Scripsit etiam ad Ferdinandū fratrem, ad Reginam
 Germanam aui defuncti coniugem, ad Ximenium gubernatorem, ad episcopos
 & ad Hispanos regulos, quibus omnibus se propediem, sub primam scilicet æsta-
 tem venturū promittebat. Interim sibi gratissimum futurum, si libenter Ximenio,
 & senatui, perinde ac sibi ipsi parerent: se enim certum esse omnia quæ ad rei-
 publicæ commoda, & ad regiam dignitatem tuendam pertinerent, illos esse cura-
 tuos. Ad ea senatus, & reliqui omnes summa cum reuerentia cuncta pollicentes,
 officiosè responderunt: quorum exempla cum alijs nonnullis, quæ ad Ximenium
 summi viri & grauissimi scripserunt, Compl. Academia seruat. Interea Carolus
 apud Belgas funeris exequias multis equis phaleratis, qui regnorum insignia præ-
 ferebant, præcedentibus, & magistratuum ordinibus, & nobilitate subsequente,
 more patrio celebravit. Visebantur vexilla, & rerum gestarum monumenta, quæ
 speciem potius maximi triumphi, ni omnia atris vestibus tegerētur, præferebāt.
 Erectum etiam fuit cenotaphium, multis facibus per tabulata dispositis, sceptris
 & coronis regijs ornatum. Literæ consolatoriæ intermissis ob tam amplissimam
 hæreditatem gratulationibus, vndiq; ad Carolum quotidie mittebantur, quibus
 rex salutabatur: sed præcipuè Leonis x. Pontif. Maximi, & Maximiliani Cæsaris,
 qui illi auus paternus erat epistolis: ipse que iam eo se nomine appellari, ex Belga-
 rum familiarium consilio, quorum authoritati permultum (vt diximus) tribue-
 bat, destinauerat. In literis quas ad Ximenium & senatum dedit, Adriano quid-
 piam arcani, idque magni ponderis scripsisse se dixerat, de quo cum ipsis erat a-
 cturus. Expectare ergo se responsum auidissimè: quare operam darent, vt quam-
 primum quid de ea re sentirent, certior fieret. Id autem erat, vt quoniam viuente
 matre, ad quam regnorum possessio pertinebat, regium nomen à summis princi-
 pibus, per publicas literas, & legatos iam antè tributum, assumere decreuisset,
 ipsi liberè sententiam suam dicerent: & quid leges patriæ, & maiorum institu-
 ta decernerent. Nam apud Germanos & Italos nulla vtrique religio erat, libe-
 ros paternarum dignitatum appellationem vsurpare, parentibus etiam viuenti-
 bus. Ea consultatio insolens Ximenio, & senatui visa fuit: nam præterquam quod
 super-

superstitie matre, regis nomen legibus patriis Carolo interdicebatur, multæ aliæ
 causæ se offerebant, propter quas principi hæredi eo nomine abstinendum esset.
 Nam ob regis catholici mortem nihil iuris amplius acquirerat, neque eo in statu
 reginæ morbus erat, vt mentis inops omnino censeretur. Quare iterum, atq; ite-
 rum videndum esse, ne ea festinata regii nominis præoccupatio, in re alioqui
 tranquilla & quieta, principi molestias, aut negotia compararet. Nam parum, vt
 10 ipsi quidem videbatur, ad principis verè regiam potestatem intererat, hoc aut il-
 lo nomine vocari, si cuncta eius nutu moderanda erant, & nihil prorsus impedi-
 menti ex matris præsentia, aut mādatis esset habiturus: cum præsertim rerū noua-
 rum cupidus, nō mediocri occasio præberetur, ad motus in rep. cōcitandos. Neq;
 enim alius prætextus seditiosis hominibus conquisitus semper fuit, quo speciosius
 suorū principū imperia detrectarent, aut Remp. seditiosè læderent, quàm alterius
 regis, qui iure meliore se regnaturū contendat. Quæ cū ita esse vniuersi compro-
 20 bassent, de omnī sententia cōmunes literas quarto non. Martii ad principē dede-
 runt: quibus reuerenter, vt par erat, admonebatur, ne matre incolumi id facere
 tentaret. Sed Carolus, qui nō tam sibi consiliū eo in negotio dari cupiebat, quàm
 fenatus suffragationē habere, difficultatibus quæ proponebantur posthabitis, ex
 aulicorū quorundam consilio quibus id conueniens videbatur, regii nomen sibi
 vindicauit. Quod vt faceret, Pont. max. & patrum purpuratorum, Maximilianiq;
 30 Cæsaris auctoritate, atq; principū necessariorum efflagitatione, se propemodum
 coactum fuisse, ad Ximenium & senatū scripsit: idcirco curarent, vt id apud suos
 ratū haberetur. Ximenio verò priuatim mandat, vt quoniā sententiā mutare inte-
 grū iam non erat, suamq; in eo auctoritatē verti sentiebat, daret operam, vt absq;
 vllius intercessione ea res cunctis probaretur. Igitur cum necessariò parendū esse
 Ximenius videret, ne ipse solus rei insolitæ author esset, Adriano & Senatoribus
 regii ad auxilium assumptis, Antistites & regulos, qui eo tempore Madriti ade-
 rant, ad Lassianas ædes, in quibus ipse & Adrianus habitabant, ac Senatus quoti-
 die cogebatur, cætera que omnia palatii munia, more regio administrabantur,
 per sceptriferos & accensos cōuocat. Conuenerunt autem ex regulis, Anricus Al-
 40 mirantus, Fadricus Albanus, Paciecus Ascalonius, Rogius Dianensis. Ex præ-
 sulibus Rogius Granatenfis, Senatus regii præfectus, Fonseca Burgenfis, Fadri-
 cus Seguntinus, & Franciscus Abulensis, aliquotque alii, qui tunc in regio comi-
 ratu aderant. Postquam Ximenius Caroli mandata coram omnibus exposuit,
 proceres rei magnitudine perspecta, quid responderent dubitantes, Laurentium
 Galindum Carauajalium, virū rerum antiquarum & legum nostrarū cum primis
 peritissimum, qui vnus è Senatu palatii causis, & cubicali regii cognitionib. præ-
 erat, vt quid super ea re sentiret ingenuè exponeret, rogarunt. Ille verò, qua erat
 in sententiis dicendis securitate, ad hunc modū differuit: Neminem vestrum illu-
 strissimi principes, in hoc amplissimo confessu esse arbitror, cui si res pro arbitrio
 50 gerenda fuisset, non vehementer principem adhortaretur, vt quemadmodū le-
 ges diuinæ & humanæ exposcunt, reginæ matri spiritum ducenti, honore omnem
 & reuerentiam exhiberet: & regis nomē tantisper differret, donec dies ipsa, quod
 proximū futurum est, vltro id quod modò efflagitat, offerret. At cū post eam ad-
 monitionem, qua illū ne quid huiusmodi in præsentia conaretur obsecrauimus,
 palam sibi nomen & regiam dignitatē desumpserit, maxima cura dispiciendum
 nobis est, quo pacto id, quod multi in fluxum & insolēs esse censuerunt, rectum &
 fieri solitum ostendamus. Nam eo in statu negotia esse constat, vt sine dignitatis
 principis nostri imminutione, atque totius reip. damno, infecta fieri non possint.
 Hoc in primis mihi, & omnibus vobis verissimum esse constat, principem no-
 strum inuitum id fecisse: nam ab eius miti ingenio, mansuetis & religiosis mo-
 ribus, nihil est magis alienum, quàm vis & tyrannis. Sed cum matris morbus a-
 pud omnes mortales notus sit (neque enim regū casus vllō modo in occulto esse
 possunt) duo reipub. Christianæ culmina, Pontif. Max. & Romanus imperator,
 vt regis nomen vsurparet monuerunt: sic enim publica negotia poscere. Nō po-
 tuit Carolus tantis principibus non parere: nec nos quidem debemus principis

noſtri iuſſa, in re præfertim non inhoneſta neq; inſolita, vt mox oſtendemus, quã-
uis multis aliter videatur, recuſare aut deprecari. Quod vt planius intelligatur,
primùm aliqua mihi de cauſis ipſis, deinde quòd nihil noui fiat, dicendum eſt. Si
Ioanna regina Caroli mater, Dei immortalis voluntate, ſuæ mentis & iudicii cõ-
pos, ditionem Hiſpanam gubernare idonea eſſet, ea eſt imperii noſtri amplitudo,
ea maietas, & prouinciarum regerendarum moles, vt in conſultationem & dubi-
um vocaretis, an tantarum rerum conſilia tutò fœminæ, quanuis illa capaciffima
eſſet, tutò committerentur. Nunc verò in tam manifeſta mentis offenſione, in
tam claris animi emoti iudiciis, ei conſortem dare dubitabimus? Nihil earum re-
rum quæ per nos geruntur, qui principe hærede tanto inferiores ſumus, ad eam 10
deferimus, & Carolum imperio eius parere, & principis nomine contentum eſſe
volumus? Non hæc fanè cohærent, aut honeſtam aliquam excuſationem ha-
bent. At ſi, quod omnes ſentimus, dixeritis nomen tantum illi denegari, rerum ſum-
mam, atque ad eò imperium vniuerſum concedi, in errore verſaremur: putantes
regio nomine illi denegato, quicquã geſturum, quod vel reip. vtilitatè, vel ſibi de-
cus aut gloriam comparare poſſit: quicquid enim tentauerit, precariò obtinebit.
Quod ſi precibus agendũ eſt, magno quicquid impetrauerit illi conſtabit. Princi-
pis nomẽ iure noſtro, priuatũ quid ſonat: & quãdiu hæredis ſpem tantũ habet,
neſcio quo pacto eius mãdata vel ſerui negligẽtius peragunt. Nomẽ illud regis, to-
taq; illa palatina cohors, & imperiũ non aliunde pendens, humanos animos tacita 10
quadã reuerentia afficit, & ad debitum cultũ & obſequium inducit. Iam verò, vt
demus ſubditos imperata facturos, cũ externis regibus, qui eum ad tot regnorũ
imperium vocari taciti dolent, nihil ex æquo aget, neq; illis titulis & honoribus
Carolus proſequentur, quibus ipſe in mutuis officiis, illos vt pote reges, decora-
uerit. Neque enim alterius dignitatis æmulus, aliquid cupidius aut ſtudioſius cap-
tat, quàm in re minima ſuperiorẽ cenſeri: vt eo ſaltem prætextu vel ſuam cauſam
æquiorẽ eſſe probet: vel illum alterum, vt pote imparem, ſibi nequaquam oppo-
nendum eſſe efflagitet. Videte igitur inclyti proceres, ne dũ nimium regii nominis
cultores eſſe vultis, atq; id in regina mentis & cõſilii caſſa conſeruare cõtenditis,
maieſtatem reip. nõſtræ minuatis. Et hoc quidem de cauſis ſatis eſſe arbitror: ne- 30
que enim omnia in ſapientiffimorum virorum conſeſſu, qui ea quàm ego multò
melius nouiſtis importuna oratione ſunt dicẽda. Illud, quod magis vrget, & quod
rerum antiquarum imperitos inſolenti nouitate perturbat, filiũ regnorum hære-
dem futurum, regii nominis conſortẽ fieri, & imperium cum matre ex æquo mo-
derari, ſi vos pauliſper attentos præbeatis, externorum exemplis præteritis, quæ ex
priſcis hitoriiſ apud omnes reſp. ſed præfertim in Romana ſeſe offerunt, ex an-
nalib. noſtris ſolẽne eſſe declarabo. Primùm enim Gothorũ temporibus, quãdo
res Hiſpanæ frequẽtib. Episcoporum coactis ſynodis ſunt ſtabilitæ, Cindaſuin-
dum regem, quem Ciſnandum nonnulli vocant, poſt temp. religioſiffimè mode-
ratam, poſt cõcilium ſeptimũ Toletanũ celebratum, poſt legationẽ ad ſummum 40
Pont. miſſam, qua beati Gregorii moralium opus, in Hiſpaniã deferẽdum cura-
uit, & poſt mille alia optimi & ſanctiffimi principis exempla edita, quatuor annis
antequam moreretur, Recinſuindũ filium regni participem aſſumpſiſſe legimus,
atq; cum eo communicata poteſtate nihil id facere formidauiffe. Sed hæc nimis
veruſta mittamus. Poſt miſeram illam vaſtationem, quam Hiſpania Iuliani pro-
ditiõne à Mauris pertulit, Veremũdus diaconus patrio Mauracato tyranno mor-
tuo, cũ anno à partu virginis DCC. LXXXIII. rex electus eſſet, ac duobus annis
rempub. ſtrenuè adminiſtraſſet, reſcolens ſe olim ſacris ordinibus initiatum eſſe,
Iurelione vxore dimiſſa, quam prolis quæ in regno ſuccederet ſuſcipiendæ cauſa
proceribus ac populis adhortantibus duxerat, Alphonſum conſobrinum cogno- 50
mento Caſtum ex Nauarris, ad quos Mauracati timore cõfugerat, reuocatum, re-
gem ſecum pariter conſtituit: & nullis ſeditionibus intercedentibus vitã dulciſſi-
mam, & tranquillitatis plenam, quatuor & amplius annos cum eo traduxiſſe hi-
ſtorix nõſtræ referunt. Huic Alphonſo qui vitam cõlibem & purã egit, Ranimi-
tus Veremundi filius ſucceſſit: qui ex Iurelione, quã diximus, cum fratre Garſia
olim

olim ſuſceptus, ſub Alphonſi tutela paruulus relictus, cũ iam adoleuiſſet, Al-
phonſo id in primis curante, regno præficitur. Hic Ranimirus inter cætera virtu-
tis ſuæ præclara documenta, tanta fratrem Garſiam beneuolentia complecteba-
tur, vt ſiue pacem ſiue bellum gereret, nullam ſibi gloriam ſine eo conquiſiuerit:
& tandem eius fide & amore perſpectis, regni gubernaculis admouerit: atque ita
imperii conſortem effecerit, vt rerum noſtrarum annales dubitent, an & is quoq;
inter reges habeatur. Sed ne, dum omnes enumerò, orationem in immẽſum pro-
ducam, vnum aut alterum addam. Cum matre Vrraca parum ad rem publicã mo-
derandam apta, Alphonſus Raimundi Tolofatis filius regnauit. Ferdinandus, Hi-
10 ſpalenſis vrbs recuperator, quem res piæ, & præclare geſtæ diuorum adſcribunt
numero, & cælo aſſerunt, poſt patris Alphonſi mortem, in Legionẽſem regem aſ-
ſumptus, cum matre Berenguela fœmina alioqui prudentiſſima, regio nomine, &
paribus ſceptis, poſſeſſionem maternam (hoc eſt) Caſtellæ regna, annuentibus po-
pulis rex it. Igitur cũ tot exempla viri principes adducta videatis, quibus nõ mo-
dò nõ nouum & inſolens, ſed conſuetum, & penè patrium eſſe demonſtrauimus,
& ad regni communionem, non modò filios hæredes, ſed fratres, aut fratrum filios
aſſumi: non eſt cur tranquillitatem reipub. fruſtra perturbare velimus. Nam nec
Carolus regis nomen dimittet, nec ſi ille, quod optimo conſilio uſurpauit, mutare
vellet, nos eramus vllò modo permiſſuri: ne in rege noſtro vlla inſtantia nota
20 hære re poſſet. Porrò hæc ſumma eſt, non petit Carolus à vobis conſilium, ſed cau-
ſas cur id fecerit, hiſ literis declarat: atque eam ob rem ad nos ſcripſiſſe dicit, vt
poſtquam ſuam ſententiam viderimus, de nomine regio ſuſcepto nobis gaudea-
mus, & illi graulemur. Hæc cũ dixiſſet, literas regias è ſinu promit, quas omni-
bus audientibus recitauit, grauitate & imperio plenas. Diu intra ſilentium princi-
pes viri ſe continuerunt: nam quanuis Galindi oratio eos acriter pupugerat, pri-
uata voluntate & concepta ſemel, ob ſeditiones quas futuras putabant, emolu-
menta, aliud proſus faciendum ſuadebant. In duas ergo partes ſunt diuiſi: nã Xi-
menius cum ſenatu, & qui aderant Antiftites, aliquotq; item ex minoribus prin-
cipibus, Galindi ſermonibus ſtatim aſſenſerunt. Anricus almirantus, & Fadricus
30 Albanus in contrariam ſententiam inclinantes, minimè id conuenire clamarunt:
neque enim exempla à Galindo adducta aliquam vim ad præſentem conſultatio-
nem, aliquòdve momentum habere. Quando multos ex illis quos cõnumeraue-
rat, non tam veros reges, quàm uſurpatores, rem neceſſariam & iuſtam feciſſe, im-
perio ad proprios dominos delato. Vltimos verò, qui magis ad rem propoſitam vi-
debantur pertinere, ob exiguam regum noſtrorum ea tempeſtate potentiam, fa-
cilè à principibus qui tunc in armis erant, potuiſſe cogi ad res nouas moliendas,
ob præſentem vtilitatem. Nunc tamen cũ Dei opt. max. beneficio, tantum Hi-
ſpani ſceptri maietas creuiſſet, & res omnes tranquillæ & pacatæ viſerentur, non
eſſe legum ſanctiones immutandas, neque ius aliquod, in re præfertim tam graui
40 violandum. Eſſe enim ominofum, regni ineundi exordium facere à legum irritio-
ne, quas cuncti reges illis initiis ſacroſanctas habent, idque verbis conceptis, ſacra
Dei myſteria tenentes, & ſibi dira increpando ſi ſecus fecerint, aut tentauerint, iu-
rant. Idcirco ſatis eſſe principi noſtro, ſi matre viuente, gubernatoris nomen obti-
neret. Omnes ad Ferdinandi memoriam conuerſi, eiusque in reipub. maiestate
conſeruanda ſolicitudinem & curam laudantes, quanuis Galindi dictis per oppor-
tunè prius viderentur confirmati, Caroli tamen factum non admodum probabãt:
adeò vt Paciecus, qui Ferdinandi rebus inſenſus, Caroli partes deſenſurus crede-
batur, multò magis in Almiranti & Albani ſententiam declinans, cũ quid ſenti-
ret eſſe cogere, effugium potiùs quaſiſſe, quàm ſententiam vllam apertè di-
xiſſe viſus fuerit. Quando quidem (inquit) Carolus à me conſilium, vt dicis Galin-
50 de, non petit, neque ego importunus dabo. Murmur illico per omnes cũ cœpiſ-
ſet oboriri, veritus Ximenius ne inde re infeſta diſcederet, indignabundo & ſe-
uero vultu & voce vehementiùs & acutiùs intenta: De re (inquit) minimè dubia,
neque ſuffragium veſtrum expoſcente, in præſentia principes agitur: neque enim
ſubditorum conſenſu Carolus rex ad vota ſua eget: ſed idcirco huc à me cõuocati.

estis, qui commodis vestris semper studui, ut regem gratissimo officio demerere-
mini. At vos homines agrestes imitati, leges parum urbanas attendentes, quod ex
comitate quadam datum fuit, iure vobis deberi existimatis. Hodie Madriti sine
vlla mora, publica solennitate fiet, ut reliquæ vrbes exemplum id sequantur. Vo-
cemque illam præclaram edidit: cui ego regium quod assumpsit nomen nega-
rem, nec parere quidem in animum induxissem. Atque illico concilio dimisso, Pe-
trum Corream Madriti præfectum ad se vocavit, & ut Carolum de Hispaniæ mo-
re, in prætorio primum, deinde per oppidi vicos gratulabundus & exultans regem
proclamaret, decurionibus præeuntibus, & vexillis sublatis, iubet. Tubarum & præ-
conum strepitus exaudiri cepit, cunctique proceres ad vnum congregati præfe-
ctum certatim comitantur, & cunctis mortalibus acclamantibus, Carolus rex Cas-
tellæ vocitatur. Facta est Madriti ea proclamatio, sub extremum Maium. Post tri-
die eius diei ad conuentus Pintianum, & Granatensem, & ad alias Castellæ vrbes,
ad regulosque omnes publico sigillo literæ sunt missæ, quibus quid Madriti per Xi-
menium & regium Senatuum gestum esset, declarabatur: iubebantque, ut exem-
plum hoc secuti, ipsi quoque Carolum principem statim regem proclamarent. Sen-
tentia autem literarum hæc fuit. Carolum regem Pont. Max. & aui sui imperatoris
suasu, regnorum Castellæ & Hispaniæ possessionem simul cum regis nomine, ma-
tre Ioanna serenissima superstiti, ob causas maximè conuenientes, de quibus ad
Ximenium Cardinalem, & ad regium Senatuum scripsit, suscepisse: quod in totius
reipub. commodum cessurum nihil dubitabant. Quare ea reuerentia à se suscipi,
quæ subditos decebat: ut matris reginæ nomen omnibus regis tabulis, officii de-
biti, & obseruantia ergo prænotetur: neque in his solum, sed vbiq; in regis mu-
neribus, reginæ tanquæ præstantiori, omnes honores & obsequia deferantur. Nam
tantum Carolo cordi esse, eius imbecillitati suppetias ferre, & aliqua parte laboris,
quam in tanta mole regnorum sustinebat, subleuare. Igitur quod faustum se lixque
esset, nomen regis, quod iustis de causis & consilio excellentium virorum sibi as-
sumperat, Dei numine primum inuocato, deinde Iacobi apostoli tutelaris diui,
lætis vocibus passim personarent: nam regem ipsum primo quoque tempore adfu-
rurum, cuius præsentia, & optata voce plenius eius propositum essent intellecturi.
Cuncti protinus obtemperarunt, tantumque habuit Ximenii seueritas momen-
ti, ut sine vlla populorum cunctatione, id ab omnibus approbatum sit. Reguli qui
Madriti aberant, Ximenii & regii Senatuum autoritatem veriti, nihil moliri sunt
ausi. Sed ante omnium procerum & ciuitatum officia, Toletanæ ciuitatis studium
enituit. Nam simulatque literas Ximenii, & Senatuum regii accepit, incredibili ar-
dore, & veluti quodam numine afflata, maxima omnium gratulatione, & infi-
gni pompa, vexilla per præfectum & Senatuum sunt sublata, primariis equitibus,
& nobilibus, cæteros ciues egregiè cohortantibus. Aragonii legum suarum ob-
seruantissimi, quibus ex Ferdinandi catholici testamento, Alphonfus Arago-
nus Cæsaraugustanus Antistes præerat, contrariam omnino sententiam secuti,
Carolo regium nomen denegarunt: atque in eo perseverarunt, donec Ioanna è
viuis discessit. Dum hæc à Ximeno Madriti gerebantur, aliquot regulorum tu-
multus, primò Bæticam, vbi exorti sunt, deinde veluti pestifero contagio Tarraco-
nensem omnem peruadebant. Nam statim ut regem Catholicum obisse fa-
ma vulgavit, Petrus Gironius Vrennatum comitis maior natu filius, militum
manu non ignobili coacta, in Assidonensem ducatum irruens, Luzerum mariti-
mum oppidum occupare conatus est: vnde si prospere succederet, ad reliquam
ditionem capiendam procederet. Causam huius seditionis hanc fuisse inuenio.
Ioannes Guzmanus Assidonensis dux, duas sorores diuersis temporibus duxit,
Astunicæ ducis Bejatenis filias: ex quarum prima Enricum & Metiam, ex al-
tera Aluarum liberos suscepit. Gironius Metiam viuentem Enrico uxorem habuit:
at quod Enricus frigida corporis constitutione (ut apparebat) natus, sterilitatem
perpetuam præ se ferret, Ferdinandus rex Annam Aragoniam, ex Alphonso An-
tistite neprem, Aluaro Ioannis ex secunda vxore filio, tantum principatum habi-
turo, collocauit. Interea Enricus absque liberis è vita discessit: atque Ferdinando

patro-

patrocinium & fauorem præbente, Aluarus dux Assidonensis sufficitur, quantum
multum Gironio reclamante, qui Aluarum spurium esse contendebat, & ad Me-
riam eius uxorem principatum pertinere. Nam diuinis legibus, & pontificiis de-
cretis vetari aiebat, ne quis duas sorores duceret. Quod si aliquando summi Pon-
tif. hoc condonauissent, id ob maximum reipub. emolumentum fuisse factum:
in præfenti tamen negotio, nullam huiusmodi facultatem à summo Pontif. Ioan-
nem impetrasse. Sed quoniam regis potestas Aluarum tuebatur, & diplomata pon-
tificia ostendebantur, quorum autoritate secundum Ioannis matrimonium ce-
lebratum fuerat, Gironius parum intercessione sua profecerat. At Ferdinandi mor-
te vulgata, sperans se armis superiorem fore, & quod iure nequiuerat per vim
obtenturum, ad Luzerum oppidum obsidendum se parauit, suis inceptis ob vi-
cinum mare cum primis opportunum. Sed Pontius Arcobricensis dux, electo
præsidio oppidum præoccupans, & Gometius Solisus sancti Iacobi commenda-
tarius, qui regis iussu arcem oppidi custodiebat, quod in maritimis priuatorum
principum locis, Hispano more fieri consuevit, Gironii impetum strenuè propul-
santes, ne oppidum eo tempore caperetur effecerunt: & Ximeno, quid Gironi-
us tentauisset nuntiarunt. Qui de Senatuum regii consensu, Hispanensibus & Cor-
dubensibus finitimis populis, ut Pontio & Solisio præfesto sint iubet: & paulò post
Antonium Fonseca, militarem virum, cum exercitu aduersus Gironium mittit,
atque cum eo Cornelium quatuoruirum, qui fontes, more Hispano, ob læsam ma-
iestatem, securi aut laqueo plecteret. Horum aduentu Gironius perterritus obsi-
dionem deseruit, & sic illi motus consopiti tunc fuerunt. Postea tamen simulatque
hæc quæ de titulo regio diximus, rursus Gironius tumultuari cepit: & Velasco co-
mestabili auunculo vindice, quem alia quoque priuata causa stimulabant, sese Xi-
menii potentia opponere, & cognatos regulos conuocare, iuuenili ausu non du-
bitauit. Quæ de causa è Bætica in Tarraconensem veniens, ad eius prouinciæ prin-
cipes omni conatu sollicitandos, per Madritum, vbi Ximenius cum regio senatu
erat, iter faciens, à publico abstinens factionis suæ proceribus conueniendis mo-
ratus est. Vbi parum reuerenter & ciuilliter egisse, vel amici eius fatebantur, qui cum
eum adesse cuncti resciuissent, ad Ximenium salutandum non accesserit, regis per-
sonam eo tempore gerentem. Quinimo hoc non contentus, nuntium ad Ximenium
misit, qui se illac venisse certior faceret, ad suos amicos & cognatos visendos,
quasi palam illi simultatem indiceret, & Tarraconenses principes in eum concitan-
dos minaretur. Ad quod Ximenius nihil aliud respondisse fertur, quam ut bonis
auius iter illud officiosum faceret. Sunt adhuc alia in Ximenii epistolis, quæ iu-
uenilem Gironii temeritatem, & parum sana consilia declarant. Nam Madriti à
viris probis & prudentibus rogatus, cur eam seditionem tam manifesta Ximenii
& regii Senatuum contumelia mouendam tentaret: quoniam (inquit) nullam gratiam
nobis rex, quod illi paremus, est habiturus, si eo absente, eius vicariis ex æquo pa-
ruerimus. Quæ eo magis vana censebantur, quoniam nec pecuniarum, nec militum
præsidii, aut ipse, aut regulorum quisquam cum Ximeno erat conferendus: qui
suis duntaxat priuatis opibus iustum exercitum alere poterat. Ille tamen in propo-
sito persistens, ad Inachum Velascum auunculum est profectus. Nam Velascum
iam dudum malè habebat, quod Ximenium imeditari audierat, ut quicquid prima-
tes sine titulo manifesto in regii census præiudicium possiderent, regis fisco & pa-
trimonio cederet. Nam cum ipse ex maritimis vestigalibus non mediocres redi-
tus perciperet, timebat ne Ximenius quoque eam rem conuellere velleret: quare eius
potentiam imminutam cupiebat. Ne hanc rem temere aggrediretur, regulos o-
mnes, qui priuatis de causis Ximeno inensu erant, conuenire statuit, ut coniu-
ris opibus & viribus, in perniciem Ximenii conjurarent. Præcipui inter hos fuerunt,
quos facile in eius sententiam venturos arbitratur, Pimentellus Benauotanus, qui
Cigaliis præsidium extruere prohibitus, cuius opportunitate vniuersam Cæpensem
regionem, quoties liberet, facile infestaret, iniquo erat in Ximenium animo: & Cueva
Alburquecius, & Cerda Metinensis: qui Vrenati affinitate ac cognatione proxi-
mi, censibus item temporariis à regibus donati erant: & Portugalius Seguntinus

P iij

Episcopus, qui capiti suo timebat, ne si locus Ximenio daretur, Carauajaliū quod iam dudum agebatur, in pontificatum Seguntinum restitueret, & ipse rursus in ordinem cogeretur, facile in suam sententiam pertrahendos confidebat. Sed ante omnes Mendozium Infantatus ducē, ob Velennatum cum comite Cluniensi controuersiam, indignatum esse sentiebat: quem si vnum ad partes suas pellicere posset, facile Ximenium ē tam lata & ampla potestate deturbandum sperabat. Igitur literas statim ad Pimentellum dat, quibus se Guadalfajaram ad Mendozium proficisci scribit, de reip. commodis cū eo tractaturus: quare aut ipse protinus, quod consultius esset, ad eos veniat, aut si causis necessariis impediretur, fidelē aliquem ministrum pro se mittat. Interea Velascus nulla mora interposita, primū Cuel-
 10 lar oppidum ad Alburquecium, deinde Buitracum ad Mendozium properat: Gironius ad Cerdam Medinensem accersendum, cum mandatis regulorum perrexit. In epistolis, quæ per arcanas notas ad Carolum dabantur, scriptum inuenio, Mendozium ad regulos venire recusasse: simulque internuntius dixisse, in his quæ ad reip. negotia pertinerent, nihil se aduersus Ferdinandi testamentum, aut regis Caroli voluntatem tentaturum: in aliis verò paratum sanē esse ad necessariorum iniurias vindicandas. Ob quod Guadalfajaram Velascum, & qui eum comitabatur profectos, illic cum Mendozio re disceptauisse: vbi Velascus multa de Ximenii insolentia, multa de eiusdem temeritate egit: nec tolerandum villo pacto esse, vt noui hominis & nobilitati infensi, inimica gubernatione Hispani principes re-
 20 gerentur: quibus æquius multo & decentius erat, vt cucullatus homo pareret, quàm vt ipse potentia abutens, optimates per ludibria agitare. Quod si Ferdinandi regis testamento ad regni moderamen relictus dicebatur, sat seruitutis Ferdinando viuente, se pertulisse: desinerent tandem vana mortui imperia pertimescere. Quare facultatem quam à Carolo suscepisset, Ximenius ostenderet, aut se ei aliter nequaquam pariturum. Hæc cum Velascus repetendo exacerbaret, cunctantior habebatur. Sunt mihi non mediocres (inquit) aduersus Ximenium odiorum causæ: nam & per summam fidei violationem, pactum cum fratris mei filio neptis suæ coniugium irritauit, & nunc demum patrimonio meo, ne quid grauius
 30 dicam, malitiosè insidiatur. Sed illud priuata res est, ipseque suas excusationes obtendit: hoc verò regii Senatus iudicio inter me & propinquum Cluniensem dirimeretur. Atque ita apud me statui, nihil turbarum, quandiu abest rex noster, mouere. Noui ego utpote vicinus, Ximenii huius, magis quàm vos, naturam & ingenium: nihil cuiusquam gratiæ aut authoritati dat, neque vllius terroribus mouetur. Amplam, vt videtis, ditionem possidet, amplissimam potentiam resp. illi dat. An existimatis ignauius quàm soler in præsentia se gesturum? Non arbitror: imò multo acrius in nos populi vires excitaturū, cui iamdiu odio sumus. Quare aduersus rempub. nil esse tentandum censeo: eam autem necesse est lædi, si Ximenium offendamus. Aliam vos rationem cogitate, qua causas nostras apud omnes probemus:
 40 & tunc gloria maiorum me indignum iudicate, si non me primum nobilitatis vindicem aduersus huius contumaciam præstitero, & vos propinquos, affinesque meos omnibus meis viribus prorexero. Id cum Mendozius grauius simul & prudenter dixisset, illorum impetus nonnihil infracti sunt, & mitius aliquid consultare cœperunt. Visum est Aluarum Gometium Mendozii generum, Aranzonis & Piozii oppidorum dominum, virum prudentem, & studiis literarum amcenioribus deditum, cum mandatis ad Carolum mittere: qui illorum principum quos recensuimus nomine, Ximenium munere commisso priuari peteret, & causas apud eum eloquēter & copiosè exponeret. Interea Mendozius eos splendide, lauteque tractare: & quæ est eius gentis principibus, veluti quodam hæreditario iure, magnificentia insita, omni genere ludorum oblectare, variaque illis spectacula
 50 exhibere. Ximenius qui vires eorum abunde nouerat, terrores Panicos illos vocitabat: nihilque idcirco magis mouebatur, quàm si homines aliquot priuati conuenissent, quorum nulla ditio, nullaque authoritas aut facultas esset. Nam luxu semper nobilitatis comite, aliisque minimè necessariis sumptibus, adeo eorum census

census exhaustos esse dicebat, vt solūm voces possent, & minas inanes spargere. Sed cum publicā quietem nonnihil turbari priuatis regulorum consiliis animaduerteteret: dedit operam, vt à certis hominibus monerentur, in rem illorum esse ab incepto desistere. Quod si persisterent, se quidem posse, nullis regiis siue pecuniis, siue militibus, sed propriis dūtaxat auxiliis, facile ostēdere, quātō eo inferiores essent futuri, si manu aliqua, aut militari exercitu agendū esset. Cū verò legibus ac regis in primis imperio parendū esset, viderent in quæ pericula se coniicerent. Sensim igitur cōuentus est dimissus, ne quid tentasse videri possent, quod regis animū offenderet. Paulò post vt se in Ximenii amicitia insinuarent, singuli curarūt.
 10 Nam Mendozius literas ad Ximeniū dedit officii plenas: Velascus intimos suos, qui illū eius verbis salutarent, à Rexis oppido misit, causatus etiā valetudinē, quominus id præsens faceret. Frequentissimus nostrorū sermo est, post Mendozii orationem, proceres illos constituisse, vt à Ximenio facultates peterēt, quas post regis Ferdinandi testamentum à Carolo ad remp. gubernandā habere se dicebat, atque ea de re legatos fuisse missos: quibus Ximenius, vt postero die ad se veniret, iussit: & duo millia armatorū hominum, quos per vicos Madrito proximos simulatque illuc venerat, in stationibus cōtinendos curauerat, multiplices bellicorū tormentorū machinas, ingentē pecuniæ tum priuatæ, tum regiæ vim, stupētibz ostendisse: & vt suis renunciarent mandasse, se nullas alias facultates præter illas
 20 à Carolo habere. Sed cum nihil tale in epistolis inueniam, vbi de Velasci conatibus, & de Mendozii responso agitur, potius hoc vulgo iactatū crediderim, & effectū ad simile Scipionis responsum in Hispania, vt tradunt Romanarū rerū scriptores. Quanquā eo tempore Didacū Lupum ad Belgas missum esse sciam, qui de his omnibus Carolū certiorē faceret: & facultatē quam amplā ab eo peteret, qua ab huiusmodi ausis regulorū animos, quoties opus esset, deterreret. Ipsi etiā reguli ad Carolū suos nuntios miserunt, qui mores Ximenii grauib. verbis criminarentur: & reip. interesse dicerent, ne ille rebus moderandis præfectus esset: quod homo contumax & vniuersæ nobilitati infestus, semper nouas cōtentiones & lites cōcitaturus esse crederetur. Sed his cauillationibus peropportune paulò antè re-
 30 gius Senatus occurrerat: longa epistola ad Carolum missa, de tumultibus in Beticā, magno regii Senatus contemptu, & regiæ maiestatis offensa, ac totius reip. turbatione, à Petro Gironio factis: vbi multa quoque obiter sunt dicta, de regulorum consiliis. Ximenius, qui si Carolus aduentum differret, sape ad eundem lapidem offendendum esse præuidebat: neque enim in tam latis regnis, variis negotiis subinde exorientibus, occasiones regulis defuturas aduersus eum coniurandi, vt nouas turbas quotidie concitarent: cœpit secū attentè inquirere, quoniam pacto eorū motus & tumultus cohibere posset. Erat (vt diximus) Ximenius natura ad res bellicas propensus: vnde si quando sermonibus militaribus intererat, studiosè magnos duces percontabatur, qua ratione populus in officio contineri facilius posset: qua re milites melius cogerebantur & allicerētur. De castrametationibus, expugnationibus etiam, & oppugnationibus oppidorum libentissimè audiebat. Igitur cum aliquādo de his rebus cū rege Ferdinando priuatim ageret, qui tum prudentia, tum rei bellicæ cognitione & laude, inter ætatis suæ principes excellebat: regi in animo esse intellexit, militarem exercitum quem semper ad manū haberet, ex cuiusque ciuitatis incolis comparare & instruere. Dicebat enim experientia bellorū edoctus, delectus qui ex ignotis & vagis hominibus, more maiorū haberentur, perniciem potius, quā vtilitatē in remp. inducere. Nam obscuro illi, & immodesti, atque impuri homines, pessimisque exemplis famosi, quocumque accederēt ex rapto viuerent: vicos & agros miserè vastare: infimam plebē & rusticos homines affligere, milleque alia scelera patrare. Quod si per singulas vrbes certi quidam ciues nomina sua ad militiam sacramento darent, qui quotiescunque à rege vocarentur, bellica supellectile instructi, ad omnes casus prompti, & præsto essent, innumera incōmoda cessatura. Hos. n. melius & liberalius educatos, atque morib. ciuilioribus præditos, liberis, vxoribus, & penatibus timentes, nihil indignum, aut atrox aufuros, sed potius totis viribus, pro focus & aris depugnaturus,

Quin commentarios, quibus rei gerendæ forma tradebatur, aliquando per otium Ferdinandum scripsisse aiebat, & singula capita, per partes digessisse: sed molestiis & agritudinibus subinde obortis impeditum, efficere nõ potuisse quod tantopere moliebatur. Quæ ne fortè aliquis in re ancipiti & à multis improbata, ad Ximenii sententiam cõfirmendam conficta putet, hæc eadem Ximenium ad Carolũ scripsisse inueniet, literis quas hoc de quo agimus anno pridie idus Decemb. Madrito ad eum dedit, quarum autographum Compluti asseruatur. Hæc igitur cùm Ximenius in memoriam reduxisset, & præter reliqua emolumenta, summum inde præsidium parari animaduerneret, quod reipublicæ securitatem adferre, & præsentem rerum statum mirum in modum recreare posset, de huiusmodi instituenda cœpit illico acrius cogitare. Nam nullam fortiorem aut potentio-
torem machinam esse intelligebat, ad omnium animos sedandos, & in officio continendos, quàm huiusmodi exercitum ex propriis ciuibus & incolis constantem, per ciuitates singulas dispositum. Sed priusquam rem vniuersis proceribus inuidiosam, populis verò nouam attentaret, Didacum Lupum Aialam, virũ experientem & strenuum, cuius fidissimam operam in negotiis quæ cum rege Ferdinando tractauerat semper expertus erat, ad Belgas transmittere necessariũ esse duxit, vt Carolum de omnibus quæ in Hispania gererentur, assiduis Ximenii literis admoneret: & vt eadem opera, regia diplomata publico sigillo & proprio regis chirographo nõtata, à Carolo peteret, quibus facultas reipub. moderandi Ximenio confirmaretur. Nam quanuis per priuatas epistolas, id iam Carolus abunde declarauerat, tamen in te tam graui, & proceribus odiosa, necessarium cum primis erat, vt omnia ritè & ex maiorum instituto, prout leges nostræ exposcunt, gererentur. Hunc ergo Lupum de rebus quæ cum Carolo essent agenda, probè & diligèter instructum, ineunte Aprile proficisci iubet. Mirari Lupus, quod nihil de literis gubernationem regni confirmaturis cum eo egisset, cùm id maximè ad omnium animos comprimendos, & ad res quas parabat cõficiendas per necessarium esse videretur. Sed prudèntissimus senex, ad Lupum qui pridie Madrito profectus fuerat, cursorem itinere citato mittit, qui hanc ei epistolam propria manu scriptam tradat. Ximenius Cardinalis Didaco Lupo Aialæ S. Quod longi istius itineris præcipua causa fuit, & cuius ante omnia monitũ te esse oportuit, tot negotiis & curis districtus oblitus fui. Sic est profectò, quod maximè meminisse volumus, solitudine ipsa impediende, primũ memoria elabitur: atq; interdũ nimia sedulitas & importuna cura, plusquam ignauia aut socordia nocent. Facultatem perquam latam, ad cuncta reipub. munera per me obeunda, à rege Carolo in primis petas volo: in qua nominatim ab eo declaretur, non modò ad regnorum moderationem concedi, sed ad tribunalia, & vrbanas præfecturas, iuridicos cõuentus, & ipsum ad eò regium senatum, pro voluntate mea componendos, & immutandos: ad fiscũ & censum regium explorandũ, atque omnium pecuniarum, quæ per præfectos coguntur, ad obolũ rationes exigendum. Nam quanuis hæc omnia
parcè à me, & non nisi summis de causis tentabũtur, huiusmodi tamen facultatem penes me esse, permultum ad reipub. commodum & quietem interest. Hanc ergo vt erit impetrata, primo quoque tempore ad me mittes. Nihil enim interea, siue publicum siue priuatum à me posse fieri, regi indicabis, ad quod non statim velut validum arietem, diplomatum de hac facultate solennitatè abesse, regii nominis aduersarii non opponant. Quod si quid hæcenus egisse videor tantæ moderationis præfecto dignum, nõ tam epistolis translatiis tribui potest, quas facili opera à regibus obrineri intelligunt, quàm nostræ authoritati & dexteritati: me enim infensum habere reformidant. Nolim hanc nostram petitionem Caroli familiaribus ambitiosam videri: nam ea de causa Deum obrestor, qui cuncta nõ-
uit, diu ac multum dubitauĩ, an mihi esset postulanda huiusmodi facultas: nihil enim æquè odi, atque huiusmodi res quæ ambitionem olèr requirere, quantumuis ad publica negotia sint necessaria. Sed quid agerem, cùm ad id curandum, diuina me primũ instituta, regis deinde maiestati debitum obsequium, & reip. tranquillitas, quæ hac potissimũ ratione stabilitur, prorsus dubitantè & inuitum
coge-

eogerent: Vale, Madrito III. non. Aprilis M. D. XVI. Sic ergo animos eorum, qui parum beneuoli erga ipsum erant, suspensos & dubios per id tempus tenuit: qui dubitare poterant, an ille tædio negotiorũ correptus, reip. curã deponere meditaretur. Quod si hac de re corã cũ Lupo egisset, vt sunt homines in rebus alienis curiosi, facile diuinassent, & re patefacta, omnes adhibuissent machinas ad huiusmodi concessionẽ impediendam aut retardandam. Nam vt Caroli adolescentiæ præfecti, quid cõducibile esset diutius consultarèt, facile effecissent: atq; interea resp. tumultibus vexata, multum detrimenti capere potuisset. Qualiter in eo negotio Lupus se gesserit, Ximenij testimonia partim ad Carolum, partim ad alios scripta declarant. Nam cùm secundam legationem anno xvii, sub mensem Augustum, Ximenius per Baracaldum instituisset, isque, vt erat ingenio vafro & parum syn-
cero, clancularijs sermonibus nõnihil Lupi fidem apud regem, de pensione Pontificatui Cauriensi in gratiam Episcopi Abulensis imponenda, labefactasset, idque tandem Ximenius ex Lupi relatu cognouisset, literas ad regem commendationis plenas, & perquam honorificas dedit, vt ita se rem habere crederet, quem admodum ei Lupus dixisset: ijs enim maioribus prognatum esse, vt nihil eorum claritate indignum vllo vnquã tempore commissurus foret: quare non minorem eius sermonibus fidem habere posset, quàm si à Ximenio corã dicerentur. Memini me in Oranicis schedis epistolam quandã deprehendisse, in qua hæc ad verbum Ximenius ad Lupum scribit. Quod verò excusas, quorundam sermonibus ad me delatum, hæc negotia parum diligenter à te curati, equidem quantum ad hanc rem pertinet, talem te semper iudicauĩ, vt vel rerum tuarum negligentem esse potius existimem. De alijs verò, hoc est, fide, & taciturnitate, atque honoris mei perpetua obseruantia, caue dubites quicquã alicui me crediturum, quod nostram erga te caritatem labefactet: eademque prorsus de Petro Aiala Canariensi Episcopo sentio, quem meo nomine multum salutabis. Quãquam ni ego fallor, id est Ferdinandi regis ingenium, vt nullius vnquã persuasione egeat, ad id quod semel proposuit agendum, quemadmodum nullis vnquam verbis moueri solet, vt quod semel animo non sedit, rursus probet. Hæc omnia declarant, quanti Lupi fides apud eum fieret, quòve in pretio & opinione hominem haberet. Sanè ijs negotijs gerendis apud Carolũ præfectus fuit Lupus, isq; ad eum quotidie aditus, vt si morum seueritati, potius quã genio, vel ad tempus studere maluisset, proculdubio honoribus auctior locũ in rep. haud obscurum tenuisset. Verũ sua vnumquenq; voluptas trahit: & modò animo suo mos geratur, reliqua omnia à plerisq; contemnuntur. Ergo Ximenius, cui omnis cunctatio in rebus propositis molesta semper fuit, minimè ad id quod animo cõceperat, Lupi responsum, aut Belgarum decreta expectare visum est: sed exercitum, quem parare instituerat, quam ratione cogeret, meditari cœpit. Igitur post diutinam consultationem, quam partim in Senatu, partim cum viris earum rerũ peritis habuit, edictum ad omnes Castellæ ciuitates misit, vt quicunq; ex earũ incolis, præsertim qui ius ciuitatis & penates haberent, nomen ad delectum quem parabat darent, multis immunitatibus fruerentur. Hĩ nũlites reip. futuri erant, & quotiescunque necessitas ingrueret, ad eam protegendam præsto: cum armis futuri, & singulis quibusque dominicis diebus aciem bellico prociñctu sub populorum conspectũ exhibituri, quam transuersionẽ vocant. Duces se illis, & qui lituis canerent, ac tympana pulsarent, reliquosque exercitus ministros pecunia publica exhibiturum: militibus verò peculiaria priuilegia iure susceptæ militiæ concedi, vt ab exactioibus & tributis, quibus pendendis plebs & pagi circumuicini obnoxij sunt, putà hospitij regio comitatui præstãdis, & de multis alijs oneribus & angariis subeundis, ad quæ vniuersalis conditionis homines tenentur, immunes essent. Nihil principio eo edicto plausibilius, aut gratius vniuersæ plebi memoria nostra accidit. Nã ea ratione facile ad nobilitatẽ viam sibi paratã sentiebat, cũ præsertim tam paruo labore, intra proprios penates, cũ filiis & vxoribus ea se munera obituros intelligerent, & non solum reip. saluti consulturos, sed hostibus cunctis formidini futuros. itaq; paruo temporis spatio, plusquam triginta millia selectorum militum, ex singulis vrbibus

coacta sunt: qui per omnes bellicas artes sese in oculis ciuium quotidie exercen-
 tes, iucundo spectaculo erant. Rursus iuuentus, quæ nisi rebus honestis occupa-
 tur, continuo voluptatibus diffuit, à quibus plus periculi quam ab armatis homi-
 nibus imminet, vt facile parentum exemplis incitatur, cursu & saltu, & missilibus
 iaciendis, omniq; armorum genere, & pedibus & equis mirum in modum exer-
 cebatur. Denique ludus quidam militaris aperiebatur, quo nihilo optabilius, aut
 iucundius Ximeno vnquam potuisset accidere: qui eo olim instituto, fortissimas
 nationes à viris non perinde validis superatas & domitas nouerat. Nunc verò pri-
 uatim sua permultum referre videbat, huiusmodi exercitiū ad omnes casus, nullo
 regis aut reip. impendio, in procinctu paratum habere. Cùm Madriti, per portam
 quæ Maurorum appellatur, Ximenuus & dux Ascalonius ad aciem instructam vi-
 scendam egredierentur, & extemplo milites bombardis & sclopetis, fumum sulphu-
 reum & fragorem cōcitassent, ab Ascalonio ciuili & beneuolo sermone monitum
 ferunt, caueret tetrum fumum, tonitruaque illa sulphurea, ne subita rerum parum
 assuetarum incurfione, noxam aliquam contraheret. Cui Ximenuus, pone metū,
 (inquit) ô dux, hic enim fumus & sulphurea nubes, iucundius mihi & gratius olet,
 quam Arabum pretiosissimi odores. Huius militiæ notitia postquam ad finitimos
 reges, & remotiores nationes peruenit, cuncti Ximenii consilium magnificare, &
 prudentiam viri ante omnia admirari, qui mirabili instituto Hispaniam non mo-
 dō ab externis incurfionibus tutam reddidisset, sed cunctorum mortalium facile
 dominam posset constituere. Certè regi Gallorum Hispaniæ potentiæ æmulo, ni-
 hil ingratius per id tempus accidit, quam de huiusmodi militibus, non quidem ig-
 notis, aut collectitiis, sed ex ipsis ciuitatum ordinibus, sine vilo reipub. sumptu a-
 lendis, à Ximeno susceptam curam. Vincerus Guisæ Cardinali, qui apud Carolū
 erat, propinquitate coniunctus, mense Iunio ad Ximenium salutadum Madritum
 diuenterat: qui totius reipub. Christianæ nomine, pro ea cura & instituto, gratias
 illi egit, atque sponte currentem incitauit, vt tali disciplina & rei bellicæ studio Hi-
 spanos populos in officio contineret, quō hostibus perpetuō essent formidini. Er-
 rat Vincerus militarium rerum peritus, & Maximiliano imperatori à consiliis, qui
 tunc Bauriæ principatū æqua cum duce potestate regebat. Qua de causa eo tem-
 pore in Hispaniā venerit, nihil certi quod affirmem, in epistolis vbi de eo agitur,
 inuenio: sed creditum est, à Maximiliano imperatore dissimulanter ad nos mis-
 sum, vt quid in Hispania per Ximenium gereretur cognosceret: aut ipsum nostræ
 regionis lustrandæ studio iter tam longum sponte suscepisse. Illud certè constat,
 Ximenium eius præsentia impensè oblectatum, omne genus lautitiarum, & om-
 nem comitatem illi exhibuisse. Dicit non potest, quantum hæc noui exercitus
 institutio, seditiosos homines, & rerum nouarum cupidos malè habuerit: qui om-
 nem aditum ad tumultus excitandos sibi interclusum videbāt, atq; illam quam
 ex regis absentia viuendi licentiam præsumperant, hac potissimum ratione eua-
 nuisse. Idcirco omnibus machinis & consiliis, si quomodo eam labefactare pos-
 sent, aut calumniis & criminationibus inuidiosam & ingratham facere, laborarūt,
 Illico hæ voces ab incertis authoribus spargi sunt cœptæ, acerbitatis & odiorum
 seminaria. Quorsum hæc insolens exercitus forma? Quid hæc noua armorum or-
 stentatio? An tædebat Ximenium pacis? an homo sanguinarius & Martem spi-
 rans, tantam concordiam & tranquillitatem iniquis oculis conspiciebat? hoc v-
 num nempe absente rege defuisse, vt populus ignobilis autoritate publica ar-
 maretur, ad nobilitatem euertendam & vastandam. Videret quid faceret homo
 ceruicofus, & propriæ sententiæ tenax, qui vulgo ferocis nationis tantam vim tri-
 bueret, vnde eas turbas propediem erat excitaturus, quas nulla industria coer-
 cere posset. Addebant etiam, hæc militia factum esse, vt florescentes ciuitates & suis
 muniis ea potissimum ætate intentæ deformarentur, & ad priscum squalorem re-
 diredent, quando incultis & barbaris moribus palantes homines viuebant. Omnes
 enim opifices (vt sunt homines à labore ad libidinem natura procliuēs) desertis
 officinis in quibus sese exercebant, militaribus studiis intenti, id vnum tantum-
 modo erāt curaturi, quod illis licentiā quiduis faciendi indulgebat. Quare rebus
 ad

ad vitam necessariis ciuitates sensim priuatas, tandem inopiam sensuras, & vix ad
 pristinum statum multo post tempore redituras esse. His atq; aliis sermonibus ad-
 uersus Ximenij conatus passim iactatis, Legio Burgi, Salmantica, Metina Cam-
 penfis, Arealum, Matricalium, & Olmetum, vltromontanæ vrbes, delectus qui
 fiebant impedire tentarunt. Sed quæ magis acri & pertinaci animo, atque ma-
 iori cum tumultu & seditione, Ximenij imperio sese opposuit, neque à vocibus
 etiam petulantibus temperauit, Pintiam fuisse, tam Carauaiij annales, quam
 Ximenij epistolæ produnt. Nam cùm Tapia Segouienfis ad delectum faciendum
 illuc venisset, Pintiani contumelijs affectum in vincula coniecerunt: & vt in re-
 bus humanis fit, vbi error errori succedit, ita paulatim animi eorum exacerbati
 sunt, vt nulla Ximenij ratione habita, sese præfidis omnibus, tanquam contra ho-
 stes munierint, vallum & fossam circum urbem duxerint, excubias etiam de no-
 cte & vigiliis fecerint, palamque Ximeno restiterint, vt libertatis oppressori, &
 res perniciosas per vim tentanti. De his omnibus quæ Pintia gerebantur, per ali-
 quot ciues regij nominis studiosos Ximenuus certior subinde fiebat, sed potissi-
 mum Zaratenfis & Leguzami nuntius, qui cùm Pintiani conuentus quatuoruirii
 essent, dum Ximenii mandata studiosius exequuntur, grauiā perpeti sæpe sunt co-
 acti. Dux potissimum causæ hanc Pintianam seditionem cōcitarunt, altera quōd
 Antonius Rogius Granatenfis antistes, qui senatui regio præerat, aliquotque i-
 tem amici senatores, peculiari quadam contentione gubernatori Ximeno infe-
 sti, quicquid ab illo fiebat calumniabantur. Hi si quando Pintiani ad senatum le-
 gatos mittebant, priuata colloquia & clancularios sermones cum illis habebant,
 & Ximenium tyrannum appellabant. Quōd si hoc de viro iustissimo minus cre-
 dibile legatis futurum putabant, dementem illum esse & temerarium, nihilque
 pensi in rebus habentem asserbant. Ea enim omnia nulla senatus regij autori-
 tate, qui rem non modò inutilem, verumetiam perniciosam, eas militares co-
 hortas videbat, sed Ximenij solius voluntate geri. Quæ cùm à legatis apud suos
 nuntiarentur, animi ad Ximeno resistendum augebantur. Nam virorum, qui re-
 giæ maiestatis assertores videbantur, testimonijs audacia confirmata, effræni qua-
 dam libidine crescebat. Non ergo ignobile documentū illud fuit: vnde quantum
 noceat gubernantium diuisio, & in reip. rebus tractandis priuatarum simultatum
 causa, diuersas partes & sententiā tueri, planum fuit. Altera porrò causa ab vltra-
 montanis regulis data est, qui omnem sibi potentiam, per circunvicinam regis di-
 tionem, in qua paulò antè regnabant, auferri dolentes, simul etiam ne quid inde li-
 centiæ ad propria oppida dimanaret timentes, assiduis dictis & cohortationibus
 Pintianum senatum instigarunt, ne vilo pacto apud se permitterent delectus illos
 seditiosos fieri: non enim eos ad aliud armari, quam ad reipub. vastitatem & per-
 niciem. Quare si saperent, suis vxoribus & virginibus prospicerent, & suis facul-
 tatibus & pecunijs cauerent, quorum nihil tutum aut certum, inter milites arma-
 tos possessuri essent. Qui id maiori sedulitate apud Pintianos egerunt, Anricus
 Admirantus, & Oforius Austuricensis episcopus fuisse dicuntur. Habebat Ad-
 mirantus Pintia ius ciuitatis, vbi ob antiqua & peruetusta maiorum merita, qui-
 bus oppidum vniuersum Admiranto deuinctum est, autoritatem minimè vulga-
 rem, veluti hæreditariam habet. Is cùm fortè per id tempus apud Ximenium Ma-
 driti ageret, cuius amicitiam semper coluit, vbi Pintia delectum esse faciendum
 intellexit, posthabita amicitia necessitudine, priuatis commodis consulendum
 ratus, se id minimè permitturum dixit: atque extemplo Pintiam profectus, fratri-
 bus & propinquis conuocatis, eos motus autoritate qua pollebat, excitauit. Ofo-
 rius verò, qui parum æquo in Ximenium animo erat, postquam à Ferdinando
 puero, cuius ipse pueritiam instituebat, Ximenii diligentia & cura nihil spera-
 re potuit, simul etiam vicinis Pintia municipijs, quæ partim propinqui, partim ipse
 possidebat timens, prætextu oppidi emendi Madrito discedens, clandestinis cō-
 cilijs Pintianos etiam irritauit: quorum exemplum Burgenses, Legionenses, ac re-
 liqui omnes, quos paulò antè diximus, vicinis regulis curantibus, sunt secuti. Hæc
 Ximenij animum acriter angebant: nam quanuis in cismontana regione omnia

ex eius voluntate gerebantur, & in Batica Hispalis, Corduba, Giennium, Vbeda, Beata, aliaq; itidem nō in celebres vrbes; in Carpetania verō Tolerum & Madritum, atq; iis ipsis subiecti populi (nam Guadalaiara Mendoziorum domicilium, eorum tunc imperio obtemperabat) In Celtiberia Seguntia, Oretum, Villenates, & Murgitani, ac tota demum trans Anam prouincia, promptissimis animis delectus fecissent: quin apud transmōtanos ipsos Zamorense, Taurini & Abulenses, cis montanos imitati Ximeno paruerant: multi quoque ex Campensibus secuti essent, ac propemodum prāter illos paucos, vniuersa Castella: tamen quandiu Pintiani, ac Burgenses, atque ceteri conurati populi in sententia diuersa persistenter, vt sunt incerta multitudinis studia, perseveraturos Ximinius non putabat. Nā quoties aliquid quod publico imperio & auctoritate iubetur, à nonnullis 10 quamlibet paucis impune contemnitur, ceteris quoque occasio datur, in eandem partem paulò post peccandi. Qua de causa Ximinius omnia cum Pintianis mansuetè agere, & ne sibi in re cum primis vtili & necessaria impedimento essent admonere. Quòd si concessionibus regū vti priuilegia, quib. ab huiusmodi mandatis immunes esse iuberentur, apud se haberent, curarent vt in publicum ederentur: nihil enim se per violentiam, sed omnia ex æquo & bono facturum. Illi tamen elatis animis, vicinorū regulum patrocinio confisi, nihil ex æquo velle agere respondent, parumq; curare quid ipse faciat. Nam Pintiana ciuitas pro virili conatura erat, libertatē suam tueri aduersus eius manifestam tyrannidem, donec Carolus in Hispaniam veniat. Porro in ea sententia, cū Ximinius nihil ex summo iure 20 agere decreuisset, donec quid Carolo sederet intelligeret, vsq; in annū sequentem durarunt. Ex Navarra iam pacata octingētos equites accersit, eosq; ad Pintiam in proximis locis circūcirca collocat. Sed ne Pintiani contra se vocari existimarent, Navarra recreandæ prætextu, quæ incursionibus exhausta erat, ad Campensem regionē transtulisse, tactatū est: in qua ob rerum omnium abundantiam, annona multò erat vilior. Lupum verò per literas monet, vt regia, quā diximus, facultas, hæc etiam quæ ad tumultuantes ciuitates pertinerēt cōplecteretur, & primo quoque tempore ad se mitteret. Rem. n. ante omnes necessariā impediri: quā si regis 30 approbatio non firmaret, necesse erat, vt suæ existimationi consuleret, gubernatoris munus deponere: quod se facturum non dubitaret. Porro, quoniam inuidiosq; regulum legationes ad Carolum, & Chebrium, reliquosque principes missas esse cognouerat, quibus delectus nouitatem, & militarem licentiam criminabatur: ad Carolum scribit, vt de delectibus quæ per Castellā sunt, nihil grauius propter quorundam calumnias existimaret: nil enim magis è reip. vtilitate vnquam in Hispania fuisse constitutum, vt leges seruariantur, & magistratus legum ministri colerentur, & regia maiestas nulla ex parte minueretur. Nam quòd malculi dicerent, rem esse nouam & insolentem, non ob id esse reiiciendam. Quanquam si quis nostrorum regum annales euolueret, à Gotthorum temporibus ad regem 40 Enricum quartum, longa & perpetua quadam serie, duo millia equitum cataphratorum apud se reges tenuisse, quos custodiæ cohortem vocabant, reperiret: vnde regium nomen terrori fuit, & nihil indignum per seditiosos vnquam est tentatum. Postquam verò Enricus, aut animi focordia, aut potius procerum vafritie, eam custodiam, vt parum necessariam, dimisisset, illis miseris & ærumnis, quas eius historia produnt implicitus, potestatem omnem amisit. Igitur morem illum aliquanto copiosorem, quòd ita tempora exposcerent, à se reuocatum esse, quòd ipse citra vllas impensas regnum auitum, quietum teneret: & hostibus formidini & terrori esset. Curaret igitur ne vllis factiosorū hominum dictis auscultaret, & se totum Ximeno permitteret, cuius fidem & voluntatem tot in rebus haberet exploratam. Suam verò sententiam esse, vt ad ciuitates quæ iussis minus parentes fuerunt, literas quamprimum mittat, sic acri acero adspersas, vt posthac suas res 50 quietè agant, desinantq; quidquam noui in rep. moliri: nunquam enim leue accipiendum esse, si subditi vel in re minima facere imperata nolint. Et quoniam ob bellorum defuetudinem, post Granatense & Africanum bellum rara erant arma in Hispania, petit vt è Belgarum officinis magnam vim telorum, & thoracum ferreorum,

reorum, primo quoque tempore transmitti iubeat. Persuasit fidelibus cōsiliis Ximinius, & omnia ex eius voto sunt facta. Vt regis mandatū cum literis quas diximus, delatū est, rebellatium populorū tumultus quieuerunt: & Pintiani, qui pertinacius & durius resistebant, positis armis, & portis apertis, Ximenii fidei se commiserunt. Ximinius, vt illis gratificaretur, concessit vt populus Pintianus publicos quosdā procuratores haberet, qui quoties senatus egeretur adessent: & ne quid aduersus regis, aut reip. emolumentum à senatoribus fieret, vetaret: quòd si 10 persistenter, illico regē admonerent. Hoc Pintia maximè necessariū esse Ximinius duxit, quoniā multi tã ex decurionibus, quã ex ciuibus primariis, Almiranto & Beneuentano familiares & clientes erant, quorū industria & cōsilio multa interdū parum reip. vtilia in patronorū gratiam fiebant. Plusquam quatuor millia Pintianorū ciuium chirographa de huius rei petitione ad Ximeniū feruntur missa: multa item sacerdotum, ac cœnobitarum, & eorum præsertim sodalium, qui delicta desertis in locis commissa puniunt, quorum sodalitas vulgò fraternitas appellatur. Hunc exitum delectus habuerunt, quibus adiutus, munus reip. moderandi susceptum, quanuis acerrimis aduersariis reluctans, sine reip. offensa obire potuit. Nostra ætate rex Philippus, huiusmodi delectus & cohortes Ximinius, de summo senatus cōsilio instaurauit, vt sibi & reip. vtilis. Nam & duces in 20 singulis vrbibus constituit, & immunitates militibus concessit, anno huius seculi M. D. LXV. mense Octobri. Sed quoniam frustra exercitum terra parat, qui mari etiã sit potens non laborat, triremibus quas eo tempore resp. obtinebat, viginti adiungendas curat: atque ita classem instruxit, maritimis regionibus benignè quæ ad eam armandam necessaria erant suppeditantibus: qua à littoribus nostris hostium arma, & piratarum incurfus depulit. Nam statim sub mensem Iulium, cū prope Alicantum, ad insulam non longè in eo littore sitam, quinque longas Turcarum naues classis nostra obuiam habuisset, acri prælio cum illis commisso, sexcentis hostibus fortiter occisis, fusæ captæq; sunt, & ad Alicantum captiue remulco ductæ. Qua de re Leonis x. Pont. max. gratulationes ad Ximenum sunt missæ, animi præstantiam, & singularem prudentiam, qua in his rebus vtebatur, comendantis. Est apud me epistolæ autographæ exemplum, Cardinalis S. Mariæ in porticu, in qua hæc verba leguntur. Superioribus diebus, cū à magnifico D. Benedicto Hurrado sanctissimus D. N. literas vestræ reuerendissimæ dominationis recepisset, eumq; diligenter ac copiosè, madata quæ ab eodētulerat exponentē audiisset: libentissimo animo eius sanctitas intellexit, tam Christianas, tamq; dignas viro principe cogitationes, animo vestræ reuerendissimæ dominationis insistere: scilicet quo pacto & edificari, & armamentis instrui, & continenter teneri clas- 30 sis necessaria posset, contra acerrimos Christi nominis hostes: summoq; opere eius beatitudo vestrā reuerendissimā dominationem cōmendauit, quòd ad tam egregia & gloriosa opera animū adiecerit. Quæ vsunt maximè principibus Christianis digna, maximeq; pro fide Christi necessaria, ita etiã non mediocre paritura sunt nomen vestræ reuerendissimæ D. cui nec tenuis à summo Deo est expectanda ex hac re merces: sed quemadmodū ex ea summū percepit, ita etiã ei minimè deesse vult, quantum in ipsa erit, quin ad optimum finem deducatur: vt vestra reuerendissima dominatio poterit exploratè iudicare ex breui quod ab ea scribitur eidem. Inuenio etiam in epistolis, anno insequenti antiquum apud Hispali- 40 lim nauale (quod nostri Atarazanā vocant) incuria temporum deformatū & neglectum, à Ximeno instauratum, armamentisq; iterum resectum fuisse: ne fortasse nauium apparatū inopia, nostri ad littora conseruanda imparati essent, sed potius omnium animi ad naualia munera alacriores, vt solebant, efficerentur. Sed hanc solertis & prouidi hominis curam, posteri studio incredibili adauxerūt, tam late patentibus terris trans Atlanticum Oceanum cōrinenter adiuuentis: in quarum regionum semotas gentes, ne quid ad Ximenii magnitudinem deesset, eius quoque imperium penetravit, atque ipse prudentia & industria, rei necessariæ & pietatis plenæ, de Insulanis in libertatem asserēdis, principium datum est. Per hæc tempora Didacus Columbus, Oceani maris Almirantus, Madriti morabatur: 50

qui anno antea cto, ob graues æmulum accusaciones, à rege catholico fuerat in Hispaniã accersitus. Post regis autem mortem, reip. gubernatione ad Ximenium deuoluta, eius decretũ & imperium expectabat. Fuit is Didacus Christophori illius Columbi filius, qui magis diuina voluntate & consilio, quam vlla hominum diligentia aut peritia, nouum illum orbẽ patefecit, qui tot innumeris gentibus habitatus, tot lacissimis fluminibus irriguus, tot animantibus à nostris dissimilibus, tot plantarum generibus nunquam in orbe nostro visis refertus, tot metallis & gemmis ditissimus, aliis deniq; sideribus, aliõq; cælo suppositus, per tot annos latuerat. Igitur cum crebris, tum Almiranti, tum Insulanorũ petitionibus Ximenius cõpellaretur: videretq; vir prudentissimus, ad eas lites trans Oceanum componendas homines aliquot integerrimos mittendos, qui non tam auri & argenti cupiditate, quam religionis & reip. studio ad eum laborem capeffendum inuitarentur: nullibi eos commodius posse reperiri existimauit, quam in monachorũ cenobis, sed potissimum Hieronymianorum, quos rei priuatæ tractandæ industria, & negotiorũ agendorum prudentia, inter ceteros pollere palam erat. Ergo Ludouicum Figueroam, & Alphonsum S. Ioannis, illum Melioratæ apud Olmedum, hunc Ortegæ apud Burgos administrationi præfectos, & tertium cum his Bernardinum Manzanedum, qui olim magnis muneribus perfunctus, tunc emeritus erat, viros probitate & prudentia insignes, vocari iussit. Habere enim se nonnulla reip. negotia, quæ illorum consilio essent peragenda. Hocce igitur tres, post multos cum illis habitos sermones, de magnitudine rerum ad quas destinabantur, & communi vtilitate reipublicæ Christianæ e sua opera emanatura, si vt sperabat segerent, cum summa potestate ad Lucaiorum insulas mittit, sed potissimum ad Haytinam, quam alij Hispanicam, alij sancti Dominici promiscuè appellant, ab vrbis nomine quam Columbus in ea condidit, quæ sola per id tempus imperio nostro cesserat, ad Almiranti & Hispanorum controuersias cognoscendas, ceteraque omnia, quæ ad indigenarum quietem & vtilitatem necessaria forent, perspicienda. Post diligentem verò cognitionem habitam, cuncta ex bono & æquo componenda, omni vi nostrorum militum & tyrannide inprimis sublata, sed ante maximopere commẽdauit. Datus est illis comes ad fontes puniendos, & reliqua munia obeunda, Alphonsus Suazus, ob vitæ sanctimoniam & iuris peritiam Ximenio notus: cuius excellentem virtutem, ærumnosum illud naufragium, quod anno eius seculi M. D. XXXIII. apud insulas Scorpionum fecit, abunde demonstrauit. Igitur Hispali soluentes, ad sancti Dominici urbem sub extremum Decembrem monachi peruenerunt, Suazus verò sub primum Aprilem insequentis anni. Hieronymianis apud Frãscanos diuersari placuit: qui dũ pridie natalis domini horis matutinis cum hospitibus Franciscanis interfuit, eo calore ex regionis situ, quæ non longè à circulo æquatore distat, correpti sunt, vt sudare & æstiuare cogentur. quo die vix e vitibus recens demessæ, atq; itidẽ maturæ ficus primis mensis fuerint appositæ. Horum imperio cum multa sint prouidenter facta, illud potissimum memorabile est. Insulani, quos rex Ferdinandus quibusdã qui in Hispania degebant, veluti patronis protegendos commendauerat, vnde & cõmendatarii vocantur, Ferdinandi actis rescissis, prorsus sunt absentibus ablati. Erat. n. omnino iniquum, vt homines absentes, otio & deliciis in Hispania dediti, potiores haberentur, quã fortissimi viri, qui post vastũ mare emensum, magnos labores in armis tolerarunt, ob religionis & Hispani imperii prorogationem. Itaque Insulani veteranis militibus pro cuiusq; labore & meritis sunt attributi. Tunc vulgò pro certo habebatur, Insulanos iure belli seruos esse: quare non solum illis imperabant vt mancipiis, sed ad onera vehenda, vt iumentis, vtuebantur. Hieronymiani Christiana pietate id indignum & alienum esse intelligentes, quanuis non omnino in prima illa censura opinionem inueteratam abstulerint, tamen vt Insulani in vicos redigerentur, atq; vt oppida incoherent effecerunt. Nã prius nullum illis municipii ius, nullum coloniæ, aut priuararũ legum cõcedebatur: sed dominorum tantum voluntate aut stabant, aut cadebant. Curatum est ergo, vt diuinis my-

mysterijs, & Christianæ religionis documentis per sacros ministros probè imbuerentur, & tyrannica militum seruitute qua oppressi tenebantur, non nihil liberati, quoquo modo tandem respirarent. Actum id fuit magnis contentionibus, & vt in rebus nouis & incertis cõtingit, non ad eò claro & euidenti operæpretio. Nam cum aliæ Insulanorum diuisiones, partim per Columbium Almiratũ, partim per regios ministros iam olim factæ essent, atque nunc idem per Hieronymianos nouam hanc tentari nostri milites intuerentur, coniectantes quod postea fuit, alias atque alias superuenturas, donèc Insulani solida libertate donarentur, multi malis animis & mentibus præditi, immodicis laboribus Insulanos diuexantes, e vita tandem migrare coegerunt. Horũ patrum potissimum industria arundinum mellitarum, totamq; illam sacchari conficiendi rationem mirum in modum creuisse aiunt. Quare in Hispaniam reuersi, magno in pretio & honore sunt habiti, vt multarum rerum vtilium auctores. Sed quoniam ad dulcium arundinum officinas robusta seruitia necessaria erant: nam mollia Insulanorum corpora labori cecidentia prorsus fatiscabant: nonnulli ex nostris in scio Ximenio, sequenti anno à rege Carolo apud Belgas impetrauerũt, vt ex Æthiopicis mancipijs, quæ ex Nigritarum regione à Lusitanis in Hispaniam aduehuntur, quadringentos aut aliquanto plures ad nouas insulas trajicere liceret. Id postquam Ximenius rescieuit, rem esse perniciosam palam dictauit: atque illico ad Carolum fucum illi factum in ea re scripsit: neque satis à Belgis animaduerti potuisse, quantã seditionis materiam & tumultus, nouis illis regionibus dedissent. Esse enim Æthiopes illos bellicis studijs aptos, neque omnino animis destitui ad egregiè plerunq; dimicandum. Scire itaque scelerum ministros trans Oceanum misisse, à quibus rudes populi gladiatoriam audaciam condiscerent, & qui aduersus Hispanorum imperium seruile bellum aliquando concitarent. Neglexit prudens cõsiliũ eo tempore Carolus, aut Chebrius potius, per quem omnia gerebantur: & non tam ad reip. commodum Ximenij monita spectare existimauerũt, quam ad tacitam aliquam querelam aut dolorem, quod eo in scio ad quem reipub. cura pertinebat, traiectio illa Æthiopum esset facta. At post eius mortem, anno eius seculi M. D. XXXII. in hac ipsa 30 Dominici de qua agimus insula, quadraginta Æthiopum conspiratione, bellum seruile excitari cceptum est. Quod nisi diuina ope, atque duorum fortissimorũ militum, Melchioris Castri & Francisci Abulensis præstatiã, sub primis initijs repressum & extinctum esset, ingentes motus & strages edidisset. Nam cũ Castri villam non longè à sancti Dominici vrbe Æthiopes primo incurfu inuasissent, eamque hostiliter deprædatis, vltra animis ferocibus procederent, ferrum & ignem Hispanis minitantes, sibiq; alios ex conseruis adiungerent: Castrus quem damni suscepti dolor premebat, non expectato Almiranti aduentu, qui lentis itineribus, vt Castro videbatur, aduersus Æthiopes cum exercitu veniebat, vndecim equitibus, quos sex pedites comitabantur, noctes diesq; festinans rebelles seruos ad Ozoam 40 Suazi prædium consecuti sunt, qui infestis mucronibus nostros expectabant. Sed equitum impetu bis aut ter dispersos, atq; rursus coeuntes, tandem fugere ad montes compulit: indeq; Almiranti aduentu deiecti, furcis ad vnũ suspensi sunt. Quod si fortè Castro Almiratũ expectare libuisset, Suazi villam serui proculdubio expugnauissent, & ceterum alios Æthiopes, qui in operis illius cõrinebantur, sibi adiunxissent. Deinde Azuam oppidum properare, & vi captum, quod fecissent, præsidijs munire constituerant: indeque bellum aperto Marte dominis indicere, deq; insulæ imperio cum Hispanis contendere. Sed nunc in Hispaniam redeamus: vbi eũ Alebritensis Nauarra pulsus, auiti regni cupiditate teneretur, simulatque regem Ferdinandum obiisse cognouit, occasionem peropportunam ad Nauarram 50 recuperandam (vt arbitrabatur) nactus, Gallicis præsidijs & militibus fretus, perualles Pyrenæorum Roncalem & Iannam instructo exercitu Nauarram ingreditur. Id non mediocriter Ximenii animum, quanuis intrepidum & constantem, perculit. Nam rebus, propter recentem Ferdinandi mortẽ nondum planè vt oportebat constitutis, imperium planè exercere non poterat, & regulum aliquẽ in Nauarram mittere, qui prouinciam illam teneret, & Alebritẽ si sese opponeret, Nam

Fadricus Acunius Bondiani comitis frater, qui Nauarris eo tempore præerat, imparfanè esse credebatur, ad Gallorum impetus comprimendos & propulsandos. Non quòd animi robur, aut militaris industria ei deesset, sed vnus aliquis necessarius erat, qui patrimonii & propriæ ditionis viribus, hostium ferociam sustinere posset: sed nemo sese offerebat ad rem difficilem adeò subeundam. Tãdem Antonius Manricus Naiarensum dux ad eam prouinciam tuendã sese obtulit, vir consilio & manu strenuus, & qui suam ditionem finitimã Nauarris, loco satis idoneo ad comneas & auxilia comparanda habebat. Id Inachum Velascum, Castellæ comestabile, propter antiquas cum Naiarensi similtates, Agramontensiu factioni timentem, quibus cū sibi apud Nauarros necessitudines multæ intercedebat, male habuit. Quocirca recusationibus solenniter apud Ximenium interpositis, & impedimentis obiectis, adeò res protrahi cœpit, vt parum abfuerit, quin Nauarram Alebrentensis præoccupauerit. Quod proculdubio euenisset, nisi Ferdinandus Villalua Placentinus, qui tunc tribunus militaris cum pedestribus manipulis in Nauarra erat, incredibili vigore & præstantia hostes interea irruentes fregisset. Nam cum eos in montium angustis esse cognouisset, vbi vepribus & rubis, atque præruptis saxis, semitæ fallentes & impeditæ erant, locorum difficultatibus, & suorum virtute militum adiuuantibus, Gallorum cohortes profligauit. Ex Nauarris verò omnes principes viros, qui exercitum Gallorum ducebant, Alebrentensis necessarios & fautores, paucissimis exceptis qui per loca inuia euadere potuerunt, captiuos duxit. In iis fuerunt Petrus Nauarræ Marcalcus, & eius frater Didacus. Vellez, qui apud Alebrentem rebus incolumib. in magna quondam æstimatione fuerat: Garri præterea, & Gamboæ, & Vicani oppidorum domini: qui omnes Ximenii iussu ad Atienzæ præsidium, arcta custodia asseruandi, sunt abducti. Inde Marcalcus, qui inter reliquos principem locum tenere videbatur, ad Simancæ arcem translatus, vitæ captiue tædio, cum nihil rebus suis bonæ spei affulgeret, in grauissimum mororem incidens, anno M. D. XXXI. vitam exosam abrupte ferunt. Alebrentensis, qui dum Marcalcus cū Gallorum exercitu per saltus Pyrenæos in Nauarrã ingredi curabat, S. Ioannis oppido, quod in citeriori Pyrenæorū radice est, per vim capto, arcem obsidebat, cum stragem suorum resciebat. Ergo Hispanum militem in arce defendenda constantem videns, spe omni abiecta de Nauarra capienda, in Galliam est reuersus, obsidione arcem liberans. Præfectus arcis à tergo recedentem vigēs, extremos male multauit, & oppidum receptum fossa & vallo muniuit. His de rebus Ximenius certior factus, Villaluz per literas gratias agit, quòd cum res sub nouacula esse videbatur, tam fortiter & strenuè operam nauasset: & illum deinceps beneuolentia non vulgari cõplexus est. Quare si quid grauius in re bellica accideret, eius etiam absentis sententiam requirebat. Huius consilio & persuasione, aliquot Nauarræ præsidia, & nonnullorum oppidorum muros Ximenius diruit, vt nonnulli affirmant. Certè nil potuit aptius & vtilius pro tempore excogitari. Nam cum Nauarri regem suum omni studio restituere vellent, aut singulis in oppidis præsidia militaria erant imponenda, quod infiniti sumptus fuisset, & nostris littoribus noui milites quærendi ad hostes Africanos propulsandos, aut muri soloæquandi, quod factum est: sic enim indigenæ facilius cohiberi poterant, si res nouas molirentur: & Galli non erant in apertis vrbibus duraturi contra nostrorū vim & impetum, quem quotidie à munitis oppidis erant facturi. Hoc Nauarri ægerrimè tulerunt, quibus miserrimum spectaculum fuit, in eorum oculis oppidorum muros euerti, & arces validas ac præsidia, quæ aliquot in locis rebus nostris incommoda habebantur, à fundamentis omnino excindi. Nam tunc se debellatos, & omnem rebellandi occasionem amisisse intellexerunt. Igitur siue à Villalua incitatus, siue suo opte ingenio ductus, vt erat consilii semel probati tenacissimus, rem arduam & difficilem, dicto citius confecit. Marzilla fortissimum & arte & natura præsidium, altera ex parte Aragone flumine ambiente, & muris latissimis vndique, non sine profundis fossis cinctum, & spatiosa in planitie collocatum, sine vllis tumulis aut monticulis quibus hostes occultari, aut machinæ imponi possint, hanc cladem prudentia & virtute Annæ Velascæ euasit: quæ absente marito Falconsi

6ens Marchione, cuius id præsidium erat, moenia ne diruerentur curauit. Nam cum Ximenius huic rei conficiendæ Acunium præfecisset, & is à Velasca regis nomine, præsidium illud posceret, pòte ligneo sublato, aditum Acunio negauit: & se optimam præsidii custodem, donec Carolus rex aliud iuberet, futuram proclamauit: quare Acunius infecto negotio discessit. Datus est locus Ximenii æmulis obloquendi, quem præcipiti & temerario iudicio, siue potius animi furore, ad res perniciosas patrandas actum esse dicebant. Accedebant Nauarrorum quærimoniæ oppida sua deformata contemplantium, quæ non secus ac trunca cadauera iacere dicebant. Onerabatur etiam violatæ religionis calumnia: cui non satis fuisset vetustis & nobilibus oppidis eam cladem intulisse, nisi etiam sacram diuo Francisco cum cœnobio ædem, multos per annos religiosissimè ab indigenis veneratam, quæ apud Olitum oppidum erat, solo quoque vt cætera exæquasset. Tot denique ea de re ab inuidis & maleuolis, in peiorem partem cuncta rapientibus, sunt iactatæ calumniæ, vt post Ximenii mortem, colorè aliquè quærentes ad pecuniam Vzedanam occupandam, eam dixerint regè iubente intercipi ad Nauarræ moenia instauranda. Sed hæc omnia euauerunt, & quantum ea Ximenii prouidentia vtilitatis & quietis attulerit, suis primum temporibus cognitum, qui eo admirabili stratagemate Gallum coercuerit, & postea eo mortuo, populis in Hispania seditiones cõcitantibus, prorsus Nauarra ad Gallos defecisset, nisi murorū præsidio destituta, nihil noui moliri ausa esset. Audiui aliquando Nauarros aliquot primarios viros de hac re disputantes, quib. Ximenii factū partim laude, partim reprehensione dignū videbatur. Nã Tafallã, Olitum, Tudellã, & si quas alias ad Aragoniæ atq; Castellæ confinia sitas, & à Gallis semotas, potuisse saluas manere, quæ facili opera à nostris defendi poterant. Et quanuis Pompelo vrbis Nauarri regni caput, quæ vnam Ximenius & præsidio militari firmandam, & muris, & fossis muniendam curauit, in potestatem hostium venisset, hinc nostri resistere & hostes profligare potuissent. Non enim aliam ob causam Viannæ præsidium, quod non longè à Lucronio est, incolume esse relictum affirmabant. At Lumbierum, Mendigurriam, Hirundinanzum, aliquotq; itè in eo situ arces, prudenti quidem consilio dirutas, quod nimirum Pyrenæis montibus vicinæ faciliè capi ab hostibus poterant, nec tam paratis auxiliis defendi. Sed nonnulli qui in sermone aderat, mihi postea declararunt, hos Viamontensis factionis odio, harū quas diximus euersionem collaudasse, quòd Viamontensibus dominis parerèt: illarū verò quòd Agramontensium possessiones essent, quorum illi partes tuebantur, culpasse. Nam in has duas factiones, Nauarræ regnū odiis admodum inueteratis diuisum esse, res notior esse quàm vt in ea declaranda immoremur. Non multò post Alebrentensis factis concessit, non sine suspitione veneni, Gallorum rege, post spem Nauarræ capiendæ depositam, ne assiduis Alebrentensium flagitationibus vexaretur, cui se obnoxium esse videbat, id procurante. Sub idem tempus Ferdinandus Villalua, xi. Calend. Augusti, domum ad prandium reuersus, subito quodam stupore sensuum correptus, quem apoplexiam medici appellant, in gremio vxoris animam efflauit. Creditum fuit, & hunc veneno interiisse. Nam ob consilium de muris diruendis Ximenio datum, maximo odio apud Nauarros laborabat, Ximenius rerum ab eo gestarum memor, Stellæ oppidi in Nauarra percelebris præfecturã, atq; cū ea arcis custodiam, & vrbis Placentinæ decurionatū, quæ singula regis Ferdinãdi beneficio Villalua obtinuerat, in eius filium transtulit. Quod vt ratum & immortum haberetur, ad Carolum scripsit: & inter alia regum nostrorum eã semper cõsuetudinem memorabilem fuisse dicit, vt quæ inclytis factis beneficia parentes meruissent, ea quoq; illis decedentibus ad eorum filios transferrentur, præsertim si dum regi seruirent morerentur, quod Ferdinando Villaluz contigerat. Nam ira homines alacriores ad munera commissa fidelius obeunda redduntur, si suæ quoq; virtutis præmia ad liberos esse transferenda intellexerint: quos naturali quodam affectu quàm maximè ornatos, & prouectos cupiunt. At cum ea quæ diximus Ximenius filio contulisset, tribunatum conferre noluit. Erat enim in hac sententiã, vt militares tribunos (quos Coronellos appellari diximus) ab exercitibus

crederet auferendos: quoniam multorum dominium ab omnibus merito damnatum, in exercitum inducebatur. Prestare itaque vnus imperio cuncti obtemperarent, quam in tot tribunos potestate diuisa, impensa, tumultui, atque demum obedientiae locum dari: cuius ille rei magnam in bello Oranico experientiam ceperat. Erat Villalua corpore valido & compacto, nec minus manu quam iudicio strenuus. Altero oculo dum gladiis exercetur, ab aduersario orbatus esse fertur, quod viris fortibus, veluti fatale quiddam esse nonnulli arbitrantur. Aiunt, Romae Villaluam bis eodem die singulari certamine pugnasse, atque victorem in vtroque pronuntiatum. Nauarorum ergo motibus nondum sedatis, literae quaedam arcanarum notarum, quas Lusitanus veredarius ad Gallum deferebat, per Salitanam arcis custodem interceptae, minimè quidem negligendum esse quod Lusitanus moliebatur, declararunt. Agebatur de sponsalibus & foederibus incundis in nostri imperij damnus & offensam. Præterisset veredarius, nulla facta literarum exploratione, si, postquam Perpennanum transiit, epistolam quam ad illius praesidij custodem afferebat, rupisset. Nam Salitanus aliquid monstri ali ex non redditus literis suspicatus, integrum fasciculum ad Ximenium misit. Accidit autem vt ille Compluti tunc esset: quare fasciculus Adriano Cardinali, vt gubernationis participi, est traditus, paulo ante solis occasum: qui rei grauitate (vt par erat) commotus, vt ad Ximenium statim properet, & sine mora literas in manum tradat iubet. Multa iam nocte nuntius Complutum venit, & vt Ximenius a somno excitaretur curat: afferre enim se negotia magni momenti, & quae dilationem ferre nequeant. Ille verò literis perlectis nulla vultus aut vocis mutatione, præterquam quod non nihil molestiae propter intempestiuum hominis aduentum cepisse, præ se ferebat. Renuntiato (inquit) Adriano, me operam daturum, vt incommodis, quae imminere videntur, obuiam eatur. Deinde ad Carolum regem de omnibus diligenter scripsit: & quid deinceps Lusitanus gereret, per exploratores sollicitè obseruabat: atque Aialae Fonsalitano apud Lusitanum oratori, vt eum de omnibus quae illic dicerentur, aut fierent, magno studio certiores faceret monuit. Id Fonsalitanum accuratè fecisse Ximenij epistolae declarant. Dum hæc gerebantur, lites sunt compositae inter Velascum & Manticum, qui ad praefecturam Nauarorum obeundam præclaris conditionibus est profectus. Multum id remp. iuuat, & bonam Ximenio occasionem obtulit, alia negotia ex dignitate administrandi. Complura sunt quae Naiarensis præclarissimè gessit, dum Nauarorum regionem à Gallis tutatur, sed illud in primis memorabile, quod ad Carolum Ximenius scripsit: sic enim fiet vt ingenia Gallorum cognoscantur, & quantum inter sit viros magnanimos, nec auaritia morbo laborantes prouincijs præficere, intelligamus. Lethensis regulus, qui in Gallia Aquitanica principatum tenet, ad Naiarensium scripsit, vt ad se fidum aliquem hominem mittendum curet: habere enim, quae iure boni vicini nuntiare vellet, non sine magno eius commodo. Missus est Gonfaluus Pizarus centurio, ob bellicam virtutem Naiarensi carus, illius Francisci Pizarri pater, qui Perhuanam ditissimam regionem, post subactum à Cortesio Megicum, nostris patefecit. Ergo Lethensis, post longum cum Pizarro sermonem, vt Naiarensi renūtiat maxima fide & taciturnitate commendat, se illi, Galli regis nomine, triginta millia coronatorum, aliaque neuiquam reijcienda munera daturum, modò Gallis dissimulanter faueat, aut saltem, ne omnino se Alebriterum aduersarium ostendat: cui pro antiqua vicinitatis necessitudine, ad recuperandam auitam possessionem, qua per summam iniuriam turbatus esset, omnis fauor aut dissimulatio officiosa debebatur. Pizarus mirari se dicit, quo pacto id rex Gallus esset præstaturus, qui fidem fregisset, quam non ita pridem Hispano dedisset, de pace seruanda. Lethensis, adhuc (inquit) Pizarre ignoras, nulla re melius, quam iurifurandi religione cōtemptra mortales falli? An tibi leuia esse, aut toleranda probra videntur, quibus Gallos Hispani quotidie afficiunt, & non quauis ratione vindicanda? Quae postquam inter se collocuti sunt, atque de homine mittendo, qui responsum à Naiarensi referret, conuenisset, in Nauarram Pizarus est reuersus. Vt Naiarensis hoc rescieuit, nō mediocriter se esse offensum existimauit, quod de proditione à Gallo esset appellatus.

pellatus. Quare grauitè est minatus in nonnullorum conspectu, ita vt posset ad Lethensem dimanare, se sceleratae legationis internuncium, aut infami suspendio puniendum, aut carenis confictum ad Ximenium missurum. Ad Pampelonis custodiam Ferrera quidam Aragonius per Ferdinandum regem designatus fuerat, à cuius vrbs defensione totius Nauaræ asseruatio pendere videbatur: hæc etiam vt ad Naiarensium pertineret Ximenius omni studio contendebat. Quare ad Carolum scripsit, Aragoniis & Nauarris ob veteres iam olim inimicitias & discordias, malè conuenire, & se in hac sententia esse, vt Ferrera Pampelone dimoueatur, & vir aliquis è Castellanis tam nobili vrbi præficeretur, qui Nauarris esset gratiosior: alioqui merito timeri posse, ne Nauarris cicatrices nondum obductae recrudescerent, & res nouas cogitarent. Ferrera hac de causa Pampelonis praefectura se abdicauit: sed cui tradita fuerit, certum quod affirmem non habeo: certè Naiarensi tradita non est. Nauarorum prouincia Ximenio rempublicam capefenti satis negotii facefserat, cuius tranquillitati probè consultum fuerat, Naiarensis rebus praefectio: sed, vt imperiis recentè partis solet euenire, nouae subinde difficultates suboriebantur. Supremus Nauaræ senatus ad quem totius regni moderatio pertinet, pari ex vtraque factione senatorum numero (in tot enim regnum Nauaræ diuisum esse diximus) more maiorum constare oportebat. Is autem qui princeps senatus deligebatur, quem illi regentem, nos praesidentem appellamus, in quo maximum momentum ad res gerendas inest, quoties ex factione Agramontensi erat, Viamontensibus omnino iniquus, eorum commoda multipliciter lædebat: tātundem etiam, si Viamontensis praesens erat, in aduersarios designabat. Quamobrem Ioannes Alebriteris Nauaræ quondam rex, atque post eum, Nauarra subacta, Ferdinandus Catholicus, praesidem externum, Senatui esse proponendum decreuerunt: qui conuentu publico celebrato, communibus crearetur suffragiis, vt leges patriae iubent. Hoc sub illis regibus Nauarri tolerarunt. Sed Ximenio remp. moderante, Belgarum principum fauore & auxilio vsi, vt Caroli voluntate ad praesentem consuetudinè reuocaretur, magno studio contendunt. Id cum Ximenius ex amicorum relatione cognouisset, ne id Carolus permitteret, multis causis in medium adductis effecit: addēs etiam, nulla in re Carolum, aut Ioanne Alebriteris, aut Ferdinando auo inferiorem esse, vt eo imperium adepto aliquid Nauarri licentius conarentur. Emerfit aliud grauioris curae, de Cardinale Alebriteris in Pampelonis Pontificatum, quo pulsus fuerat, restituyendo. Nam vt id per Ximenium fieret summus Pont. contendebat, aliquotque etiam ex purpuratis patribus. Consuluit ea de re Naiarensium Ximenius: cui ille nequaquam reipub. conuenire respondit, hominem alienissimum prouinciae prouentibus in nostrorum caput armare, vnde proculdubio motus perniciosi erant emerfuri. Quare consultius sibi videri, eam pecuniarum summam militibus alendis tribuere, ne prouincia exactionibus vexaretur. Et hæc quidem de Pontificatus restitutione, pro sua in regem fidelitate sentire, Nuuardanensem verò arcem, quae ad Antistitis Pampelonensis curam spectat, quanuis tunc Caesaraugustani Archiepiscopi diligētia viro probò demandata erat, diruendā cēsebat, aut sibi custodiendā tradi: ne si casu in Alebriteris potestate veniret, incommoda quae experti iā fuerant, renascerentur. Vtrunq; ex Naiarensis sententia factum fuit, tam felici & strenua cura, vt Nauarorum negotia, Ximenii animum ab aliis rebus tractandis, post hæc non auocarint. Postquam externi motus cōquieuerunt, intestini cōtinuū sunt exortu. Nam cum Malacitanū iam olim cum Anrico Almiranto de iudiciis maritimis exercendis contenderent, post regis catholici mortem, qui Anrico cognato patrocinabatur, occasionem nacti, tribunal, furcam, & quicquid huiusmodi potestatis insigne, in ora maritima illè retinebat, in consilio Ximenio, neque vllam Senatus regii sententiam expectantes, apud quem causa tractabatur, demoliti per rumultum sunt. Nam Castellæ Almirantus, vetusto quodam maiorum instituto, orae maritimae & naualibus praeliis praefectus est, & ius in nauticos homines habet. Quod si quid controuersiae naucleris inter se, aut eum vectoribus accidit, eius consilio & iudicio dirimitur. In cunctis ergo maritimis regionibus, & locis

portuosus, atque rerum commercii frequentibus, quales Hispalis & Malaca sunt, furcas & iudices constituebat. Id illi indignum, & contra publicam disciplinam esse proclamabant. Nam cum semper ad eas vrbes propter maris opportunitate, homines moribus corruptis confluant, assidueque noua flagitia patrent, quoties per publicos lictores in ius vocabatur, Admiranti tribunal appellabant, ad que eorum cognitione dicebant pertinere: quare poenas frequenter euitabant, quas alioqui sub iudicibus regis erant daturi. Accedebat etiam, quod militares cohortes, quae ad maritimam oram tuenda in his locis sunt, si quando ob aliquod crimine erant puniendae, nunc ad Admiranti nunc ad regis tribunal confugientes, iudicia eludebant. Quamobrem maritimi incolae, vt tam graua incommoda euitarent, 10 hanc Admiranti potestatem prorsus tollere, & euertere studebant. Sed ante omnes Malacitani in Admiranti iudices tumultuosissime inuecti, omnem potestatem illis ademerunt. Admirantus grauius apud Ximenium vim & contumelias conquestus est: qui acriter Malacitanos per literas obiurgat, & vt a violentia abstineant, iubet. Quod si quid aduersus Admirantum habeant, ius esse & iudicia. Quod si potestatem aduersarii verebantur, se aduersus regulorum potestatem populorum assertorem & vindicem, quantum per leges liceret, futurum. Malacitani paucis quibusdam ciuibus credentes, qui eos ad tumultus ciendos missis ad Belgas criminationibus inducebant, auctoritatem Ximenii contempserunt: & se nihil 20 ex iudicio cum Admiranto, donec Carolus adueniat, acturos respondent: a quo mandata habebant, vt suo iure interdum vterentur: moremque illum tyrannice inductum, a litoribus suis depellerent: statim vniuersam multitudinem ad defectionem incitantes, ciuitatem in armis esse iubent. Sed ne quid hostile Ximenius tentaret, tormenta & machinas bellicas, per vrbes moenia dispositas, ad omni conatu resistendum appararunt: idque tanta contentione & ardore, vt singuli ciues plurima vasa aerea in vno congregantes, ingens tormentum conflauerint, hoc titulo superscripto: MALACITANAE LIBERTATIS ASSERTORES F. C. Augebant animos eorum, epistola quaedam a Belgarum proceribus missa, quibus vt in libertate sua ruenda perstarent monebantur, se enim apud Carolum effecturos, ne eis fraudi ea rebellio esset. At Ximenius quem inter caeteras occupationes tranquillitatis 30 publicae cura in primis sollicitabat, Antonium Ceuam, Atratae oppidi dominum, virum bellicis studiis clarum, delectu ex publicis militibus momento temporis facto (hic enim primus militiae institutae fructus gratissimus Ximenio fuit) cum sex millibus peditum, & quadringentis equitibus aduersus Malacitanos mittit. Illos primum vt regis mandatis obediant per facialem moneret, mandat: quod si rebelles imperata facere nolissent, tunc vt in reipub. hostes seruiendum esse, & vrbe capta factiosos puniendos, & ciuitatem ad solitam quietem reducenda. Proce- 40 debat magnis itineribus Ceuam, iamque ad urbem Antequeram venerat, quam nonnulli Singiliam esse putant, & bidui itinere a Malaca distat. Sed Malacitani consilium mutantes, & fortunis suis consulentes, cum Admiranto iure agere, totamque rem ex Ximenii voluntate quem iusti amantissimum esse nouerant, transigere decreuerunt: nam plebs vniuersa rerum omnium egestate premebatur, Duos ex sua ciuitate iurisperitos ad Antonium Ceuam legatos mittunt, qui ne vltra in armis pergat supplices deprecentur: se enim paratos esse ad Ximenii mandata exequenda: quem nunquam permitturum (qua est religio) sciebant, vt Malacitana littora ab Admirantorum iudiciorum ministris, tanquam a praedonibus miserime infestarentur. Certiorem de omnibus Ximenium Ceuam facit: ille vero quando quidem ita animati essent, iubet vt sine sanguine negotia componat, omniaque illis polliceatur iubet, quae salua regiae personae qua sustinebat celsitudine, tolerari & condonari possent. Quinque tantummodo punitis, qui seditionis 50 auctores fuerant, caeteris publice venia est data. Ad Carolum Ximenius eam ciuitatem ex sententia sua, absque ferro & caedibus pacatam esse scripsit, serius tamen ob Belgarum literas, quibus Malacitani fidebant, vt quiduis audere & sperare possent. Quarum literarum exempla ne vanum esse quod a se dicebatur arbitraretur, cum suis mittebat: vnde etiam illud intelligere posset, multum damni reip. creati,

creari, si res magna diligentia & consilio prouisa, facile a suis Belgis irritarentur. Belgas enim tam longo spatio ab Hispania semotos, parum quid nostris cōducatur nosse. Quare (inquit) si meae auctoritati prospexeris, cui tua etiam hac in parte cōiuncta est, mirum in modum remp. iuueris, quae sola existimatione & auctoritate gubernatoris semper stetit. Tunc etiam Velasquides Cuellar, rationum regiarum praefectus, & quaestor maximus, Guterii Velasquidis iurisperiti filius, Mariae Velascae vxoris suauis Areualum Vaceorum municipium per vim occupare conatus est. Eius oppidi ditio attributa fuerat Ioannis secundi regis vxori post mariti mortem. Porro Guterio Velasquidi viduae reginae cura est demandata, & simul arcis Areualensis custodia, quae post eius mortem ad Ioannem filium deuenit. Tunc vero Caroli regis iussu, Areualum, Vimetum, Matricalium, sanctam Mariam niueam, cum horum municipiorum territoriis, Ximenius Germanae reginae tradiderat: quibus quandiu viueret, vt frui liceret. Nam cum Ferdinandus catholicus testamentum cauisset, vt triginta millia nummum aureorum Germanae reginae, ex Neapolitana regis pecunia singulis annis penderentur, & illa in Hispania diuersari maluisset, visum est Carolo, de Ximenii consilio conditionem accipiendam esse, vt quae multo honestior & vtilior esset. Id cum Velasquides agi cognouisset, se Areualensis arcis praefectura, quam sibi & posteris in perpetuum acquirere meditabatur, ea ratione deiiciendum animaduertit. Quare cum Maria Velasca vxore 20 negotio communicato, clām Areualum proficisci instituit, & oppidum praesidiis militaribus munire, vt nullo vnquam modo Areualum in Germanae potestatem veniret. Fuerat Velasca reginae intima, sed tunc ob priuatas rationes illam pessime oderat, vnde Velasquidem maritum, ne id permetteret, vehementer instigauit. Accedebant ad haec aliquot regulorum cohortationes, qui Germanae reginae res male procedere cupiebant: Velasquidi vero optimo & ornatissimo viro, atque quibusdam illorum affinitatis propinquitate coniuncto omnia bona optabant. Quare ad hoc cōsequendum, fauorem & auxilium pollicebantur. Ximenius qui non tam illum propria voluntate, cuius integritatem & placidos mores iam diu nouerat, quam vxoris suauis ad eam rem incitari videbat, primum literis, & amicis per 30 internuntios sermonibus, deinde regis epistolis, quas a Belgio ad eum beneuolentiae plenas, dandas curauerat, reuocare a proposito laborauit: minas etiam interposuit, de reipublicae iniuriis vindicandis, si minus dictis pareret. Sed plus apud Velasquidem ponderis habuerunt assidue vxoris obiurgationes, & Admiranti promissa, quam Ximenii humanae & viles monitiones. Nam eo ipso tempore Admirantum ad Areuali muros accessisse certum est, & municipii primarios viros ad se vocatos dictis grauissimis monuisse, ne sibi ipsis villo pacto per ignauiam deessent, nec villo modo a ditione regia ad muliebrem imperium, & impotentiam transferri paterentur, eiccto Velasquide, cuius mansuetudinem & lenitatem nouerat: praesertim rege absente, qui si omnium incommodorum, quae ex hac re suboriantur, certior factus esset, longe aliter regnis suis consulisset. Quibus etiam, vt 40 magis ad resistendum Ximenio confirmarentur, literas nonnullorum regulorum, puta Velascae comestabilis, Pimentelli Benauentani, Mendozii Guadalafarensis, propriis chirographis notatas ostendit, quibus liberos suos cum militaribus copiis, ad Areualenses protegendos se missuros promittebant, si quid violentum, aut hostile a Ximenio tentari animaduertent. His dictis permultum animati, Velasquidem vt in sententia permaneat adhortantur: se enim potius fortunae & vitam amissuros, quam sustineant vt sua libertate spoliati, alterius quam regis potestati tradantur. Ergo Ximenio omnia prius experiri cupiente quam ad arma esset veniendum, multos menses ea Velasquidis contentio durauit. 50 Quam cum nulla tandem mitiore ratione finire posse videret, Cornelium quatuoruirum cum armatis cohortibus ad Areualenses comprimendos misit. Is pro Areuali portis consistens, per praecones inclamari publice iubet, si statim regis mandatis parerent, contumaciae & laesae maiestatis veniam se polliceri: sin prauipropositi tenaces persisterent, bellum cruentum, vt eorum insania merebatur, illis indicere: & contumeliam reipublicae illatam, multis damnis esse vin-

dicaturum. Velasquidi verò defectionis auctori prodicionis infamiam denūciare, quæ ad liberos genusque suum, vt sempiterna turpitudine deriuetur: & eius in super bona vniuersa proſcribere & publicare: se enim piè & iustè legatum venire, è quatuoruiris regijs vnum, ad eam controuersiam dirimendam. Id cū aliquot diebus quæ ad eam clarigationem solennes sunt fecisset, cū neque Almirantus, neque alius ex regulis quos commemorauimus, auxilium Velasquidi ferre, aut clientes suos, vel copias mittere, vt promiserant, ausi fuissent: tandem ille ad seipsum rediens, & malis quæ interim familiæ suæ acciderant, & rebellionis rædio fatigatus, militibus quos ad Areuali præsidium congregauerat dimissis, Cornelio se dedere necessarium esse duxit. Referantur extemplo Areuali portæ & maxima totius populi acclamatione Cornelius quatuoruir in oppidum recipitur, cui arcis præfecturam, iuxta regia mandata, obtinendam tradidit. Tunc si quando aliàs, claro exemplo & manifesto documento innotuit, quantum momenti regis nomen in Hispania teneat, modò comites secum habeat, prudentiam & magnanimitatem, quæ in Ximeno inueniebantur. De his omnibus ad Carolum Ximenius scripsit: & ne sibi aduersus omnes pugnandū esset, ipsius priuatim literis Almirantum cum primis comprimendum esse monuit: nam vbique, sed in Hispania præcipuè, omnia exemplis constare aiebat. Porro, obediētiam quæ regibus debetur, rem esse fragilem, nisi ad sit timor quidam & reuerentia: iam enim per omnes angulos iactari, regi Almirantum opponi in Areualensium immunitate protegenda. Quæ cū probè Carolus considerasset, omnia ex Ximenij voluntate confecit. Venit sub mensem Iunium sequentis anni ad Ximenium Velasquides, quem inter cæteras calamitates, filij Guterij Velasquidis mors, qui maior natu, successioni destinatus, ineunte Februario obierat, non mediocri dolore affixerat: seque & omnes fortunas suas, eius fidei & humanitati cōmisit. Ille verò miserum ac supplicem, qua melius potuit ratione seruauit: & se apud regem sua negotia & salutem, non secus atque hominis amici & necessarii, curaturum pollicitus est: de qua tunc sanè non laborasset, si eius fidei adhortationibus potius, quàm aliorum vanis consilijs obtemperare maluisset. Ergo Madriti expectare iussus, omnibus in rebus Ximeno adesse, nihil superbum aut elatum ostentare, quæsture suæ munus exercere, se regi obsequentem præstare, & omnia sobriè admodum & modestè agere visus est. Dum hæc geruntur, morte paulò post præcūctus fuit. Quare votorum compos, id Ximeno sedulo curante, fieri non potuit. Veneni propinati suspicio, propter præproperum eius obitum (vt sunt sinistra mortalium iudicia) oborta est, sed quæ inter prudentes temeraria & inanis sit habita. Nam quod aliud præsentius venenum, quæ vel lues pestilentior, aut grauior, quàm tot molestiæ in Areualensi rebellionē deuorata? Tam fallax amicorum ad eam instigantium patrociniatio? Anxius & incertus in capitis periculo euentus? qui quoties animos mortalium sollicitat, dici non potest, quàm acerbè discruciet. Accessit filij hæredis, quem dignitatibus & opibus ornauerat, mors immatura: qui fecialis maximi, quem nos præconem dicimus, sacro magistratu, & Membrillana commendataria præfectura per regem Ferdinandum donatus, atque patris Velasquidis pecunia Vaquerilli oppidi possessione adauctus, gradum sibi ad ampliores dignitates & opes parauerat. Cæterum Velasquide mortuo, Ximenius multò diligentius à Carolo contendit, vt vxoris & liberorum cōmodis prospiceret, quos omnino destitutos videbat, ni solita regiæ celsitudinis beneficentia, domus viri optimi, deque rege ipso benemeriti subleuaretur, conferendo in adultos filios, quæcunque pater à rege beneficia suscepisset. Nam se iudicij sui testimonium Velasquidi dare, ante seditionem Areualensem, ad quam partim vxoris iurgia, partim regulorum suasiones reluctantem & inuitum perpulerant, optimi & præclari ciuis documenta semper dedisse: post sedatum verò tumultum summa fide munera regia, quibus est præfectus, obiisse, & præsto quoties reipublicæ vsus poscebat sibi fuisse. Solebat autem Ximenius huiusmodi testimonia rarissimè cuiquā præstare. Res verò Areualenses, quæ Velasquide sublato, in Germanæ reginæ potestatem protinus concessuræ videbantur, meliorè libertatis asserendæ, Ximeno vindice, occa-

occasionem habuerunt. Nam cū Germana in mariti defuncti gratiam, Ferdinandum puerum, atque ad eò diuersam factionem complecteretur, Ximenius de Areualensium, & Vlmetanorū immunitate seruandā apud Carolum agere cepit. Neque enim tutum esse, antiqua & valida municipia loco commodissimo ad offendendum posita, inquietæ mulieri concedere. Et vetus verbum in Hispania esse, qui Vlmetanis & Areualensibus potiri posset, totius Castellæ dominum futurum esse. Idque non solum ex nostris historiis, sed viuientium etiam memoria, ne rem admodū vetustam se afferre putet, comprobari posse: qui Ioannem Nauarræ regē, hac potissimum fiducia, quòd Vlmetū ditionis suæ esset, Ioanni II. Castellæ regi bellum toties indicere ausum meminissent. Nam reginæ commodis è testamento Ferdinandi satis consultum esse, Matricatio celebri oppido cum circumiacente territorio, pro Neapolitana commutatione dato: cuius animū iam ipse pertentauerat, & optimis rationibus effecisse, vt sibi satis esse factū credat. Nec sententiam mutasse videri posse, quanuis nuper Velasquide viuo, ea oppida reginæ condonanda censebat. Tunc enim Caroli regis litteras ad se totius negotij inscium fuisse delatas, quibus Areualum, & reliqua quæ diximus municipia, vt reginæ traderet iubebatur. Quòd cū Velasquides impedire conaretur, se omni tandem ratione effecisse, vt Caroli mandata sacrosancta essent. Nunc verò cū & Velasquides vitro paruisset, atque è viuus esset sublatus, omniāque ea loca à regis ministris cum præidiis tenerentur, sententiam suam apertè declarare: & pro regia quā sustinet persona, quid sit factū vtilius consulere. Præsertim cū Areualenses & Vlmetani, vetusta regum præcorum priuilegia, sed potissimum Ferdinandi quarti, quæ à Carauajalis fratribus ad diuinum tribunal vadatum apud Giennium obiisse aiunt, in scrinijs publicis seruent, quorum exempla ad eum mittebat, in quibus propter antiqua eorum oppidorum merita, magnæ ad hoc pertinentes immunitates cōcessæ sunt. Vifa sunt Carolo ea omnia, quæ à Ximeno scribebantur, regis rationibus perquam necessaria. Quare vt ipse quæ essent vtiliora prospiceret, rescripsit: se enim rata habiturum omnia. Interea regina quorundam consilijs in diuersum mutata, clam Ximeno Vlmetanos sollicitat, vt se eius imperio subiiciant, mitius multò sub foemine lenitate, quàm sub alterius potestate experturi. Sed cū illi vnanimes repugnassent, rursus Ximenium, vt priorem conditionē iuxta Caroli mandata exequatur, petit: dummodo manum aliquam militarē aduersus Vlmetanos repugnantes mittat: sibi enim ingentem fraudem fieri, dum rem altius cōsiderat, sensisse, soli Matricalenſis collatione. Adaugebat hac in re Germanæ animum legatorum Belgarum consensus: nam iam quoque Laxaus Adriano quoque focus venerat, qui vt erant iuxta gentis ingenium, simplicioris cuiusdam naturæ, atque rerum nostrarum ignari, facilè dictis aliorum mouebantur: & magis Ximenium natua quadā seueritate, quàm rei ipsius animaduersione ad ea omnia impedienda concitari, arbitrabantur. Ille tamen propositi constans, in re parum necessaria non multum esse laborandum statuens, placidis responsis tempus eximebat. Et quoniam Carolum & Belgarum principes querimonijs assiduis regina fatigabat, vt eæ parum curarentur, sibi que vni citus rei exequutio mandaretur, admonēbat. Nam quanuis Germana indignata Galliam petere destinauisset, multò minus offensa, aut damni ex quouis loco inferre posse, quàm apud nos inter factiosos agens, & fomenta seditionis ministrans. Itaque res Areualenses & Vlmetanæ in Caroli aduentū dilatae sunt. Non minori molestia Ioanna regina Caroli mater, morbo durissimo conflans, Ximenii animum afficiebat: ea enim (vt diximus) atræ bilis commotione miserrimè vexata, Turcessilis Vacceorum oppido vitam difficilem transigebat: vbi pater Ferdinandus, loco certè amœno & peraccommodo, sedem agræ & dolenti dederat. Ludouicus Ferrerius Valentinus, qui eius curæ & custodiæ præfectus erat, aut senectutis vitio ad res exequedas tardus, aut ignarus quo pacto grauem reginæ morbum tractaret curarētve, nūquam ab illa obtinere potuit, vt ex obscuris & tetris cubiculis, quæ morbum contumacem insigni offensione adauxisse credebantur, ad lætiora & luminibus reudentia, atque auris salubrioribus afflata, habitationem mutare vellet. Lecto molli, & blandis loquacibus,

qualibus reginæ vtuntur, somnum capere prorsus recufabat. Humi, aut tabulis, in summâ obsecrantium gratiam, desuper stratis cubitare, delicie magnæ erât. Hyeme rigente, vestes pellib. pretiosis suffultas, aut alio quouis modo ad tēporis iniuriam propulsandâ munitas, pertinaci sententia auerfabatur. Triduo omni cibo & potu persæpe abstinebat: neq; vllis familiarium pre cibis ad escam sumendam adduci poterat. Nonnunquâ quòd regni gubernaculis priuata, in illa custodia afferuaretur, còquerebatur. Doluit Ximenius reginæ vicem, & vt rei iuxta honesta & piæ nõ deesset, cum ex Ludouici custodis negligentia, tantû incrementi morbum reginæ suscepisse pro certo haberet, Ludouico Ferrerio iam ætate graui, vacationem laborum concessit, & in eius locum Fernandus Ducas eognomento Strata, Talabricensis ciuis subrogatur. Hic illustri loco natus, & rerû prudētia & industria valens, dum efferatû fœminæ animum arte quadam perapta tractat & demulcet, tandem effecit, vt cubiculo prorsus expurgato, & labris sicilibus, quibus carnes in prandium & cœnâ afferebantur, eiectis, ad humanitatem pristinam rediret. Nam cum huiusmodi vasa quotidie mensis apponerētur, nulla efferri patiebatur: vnde putrescentibus obsoniis, tererrimus odor sentiebatur. Quare lecto cubas quietem capere cœpit, & ad rem diuinam audiendam foras prodire: & se reginam esse sentiens, vitam illam grauem & inhumanam relinquere. Id gratissimum Carolo accidit, proq; tam diligenti & officioso erga parentem reginam studio, gratias per literas Ximenio egit. Ferrerij senis incommoda, Ferrerius filius Toleti præfectura amotus adauxit. Nam cū eius negligentia omnia confusa iactari, & quorundâ priuatorû libidine potiusquam vlla legû obseruatiã fieri Ximenius nouisset, qui ante alias Hispaniæ ciuitates Toletanam curam gerendâ sibi esse peculiari officio existimabat, præfectura Ferrerium amouet, & Portocarrerum Palmæ comitem, virû magna laude & magnanimitate clarum, eius loco paulò pòst substituit. Sed cum nostra ciuitas in factiones duas iam olim sit diuisa, Syluiam & Aialanam: hæc Portocarrerum ad eum magistratum assumi priuatis de causis recufabat. Iam cunctis ferè eius factionis primarijs viris ad id violentia & armis prohibendum animatis, comes Fonsalitanus veritus, ne ea factio, in qua ipse primas tenebat, parum obsequens Ximenio esse videretur, quem vnice semper coluerat, Fonsalita Toletum venit, & eos motus facile repressit, atque ita cunctis approbantibus Portocarrerus receptus est. Inter cætera quæ in epistolis de Ferrerij iunioris amotione facta reperio, vnum sanè est memorabile, & quod magis antiquis maiorû temporibus, quando morum rigor & seueritas vigeat, quam nostrorum temporum licentia gestum videri potest. Gallecus iuris peritus, qui Toletum in acta Ferrerij cogniturus venerat, rebus omnibus accuratè inquisitis, de Ximenij sententia aliquot ex publicis ministris, quibus Ferrerius in præfectura vsus fuerat, quòd iustitiæ exequendę prætextu, nihil non iniquû gessissent, per vicos ciuitatis, præcone præeunte, atque eorum peccata proclamante, flagellis cædi de more iussit. Simili seueritatis exemplo, grauiori tamen vindicta, in Arroium Calatrauæ cruciferum, ni sibi fuga consulisset, animaduertere iam meditabatur. Hunc enim in Zoritana commendataria præfectum, potius libidines suas explorare, quam munus cõmissum ex dignitate obire, multorum sermonibus & querelis cognouerat. Nam honestis virginibus inuitis parentibus vim intulerat: nuptas per summâ iniuriam stuprauerat: atq; assidua peccandi cõsuetudine liberos etiam ex illis suscepit. In eius locum Sanctium Cabrerum, virum probum, Ximenius suffecit: & ad Carolum cõtinuò scripsit, si fortè Arroius ad Belgas venisset, scelus suum mēdacio & summa impudentia excusaturus, eius gulam laqueo frangi imperaret. Calcenam sanctæ inquisitionis Senatus secretarium, & Aguirrum è iudicibus vnum, aliquot ex causis grauiissimi ordinis consortio eiecit. Aguirrus verò, quòd multis in rebus reip. vtilē sese præstitisset, non multò pòst in Senatum supremum transfertur: in quo ad extremam vsque senectam durauit. His atque alijs exemplis fortitudinis & constantiæ suæ per Ximenium editis, tantâ sibi auctoritatem apud omnes cõparauit, vt nemo esset qui non impensè cuperet, in eius se beneuolentiam & amicitiam insinuare. Vniuersi penè Hispaniæ reguli, simultatibus & dissidijs posthabitis, vltro illi obsequen-

sequentes fuerunt, pactis etiam conuentis de eius dignitate tuenda, non secus ac sua, & propinquorum. Ex Bæticis Fontius Arcobricensis, ex quo Vrennas res nouas moliebatur, Ximenii partes secutus est. Ipse Vrennatum Comes, cū Petro Gironio maiori natu filio, depositis odiis, quæ aduersus Ximenium vana spe conceperant, rebus suis prospicientes, se neque vnguem tranuersum ab eius mandatis discrepare instituerunt: in eoq; vsq; ad motus Villafraeos sine fraude perduraerunt. Ex Carpetanis Paciecus Afcalonius, qui ob Toletanæ vrbs vicinâtē, nunquâ à Ximenii voluntate discesserat, eo tēpore magis cõfirmatus, assiduus ad eum itionibus, omnē obseruantiam & culturâ exhibebat: atq; vt idem faceret Georgius Vrennas, illi propinquitate coniunctus, ante omnes curasse certû est. Ad eam nouam animorû coniunctionem, quanuis Afcalonius spõre sua bene erat animatus, Ioanna Anriquesia eius vxor, fœmina lectissima, & diuis ob ingentem pietatem cara, permultum momenti attulisse dicitur. Illa enim cum absentiam mariti tolerare non posset, qui apud Ximeniû continuè agebat, Madritû venit: & coram sanctissimis Ximenij consilijs, & actionibus consideratis, intellexit diuinû honorem ab illo tantû captari, & à summo Deo tantû pendere, illiq; vni fidere. Quare hoc apud coniugem frequenter commemorans, effecit tandem vt Afcalonius simulatione, si qua fortè vtebatur, reiecta, sincero & amico pectore hominem sanctissimum complecteretur. Ex vltromontanis, Astunigana familia, cuius dux Beparentis princeps est, multis de causis Ximenio obstringebatur, sed potissimû ob prioratus sancti Ioannis controuersiam, quæ inter ipsum & Albanum ducem erat. Admirantus, qui nisi Velasquidis negotia intercessissent, in Ximenio colendo Afcalonio inferior haud fuisset, rursus ad eius beneuolentiam rediens, Beneuentanum vnâ coniunxit. Hos Asturicenses, & Gallecia omnis sequebatur: Lemosio, & Andrata comitibus, id apud suos sedulo curantibus. Pauci quidam priuatis de causis, adhuc infensi Ximenio persistebant, primarij illi sanè & principes viri, Mendozius Infantatus dux, Velasus Comestabilis, Fadricus à Tolero Albanus dux. Hi enim cum ad suas voluntates, Ximenii animum pertrahere nequirent, vi & potentia qua multum valebant, non tam reip. quid ille iuberet contemnebant, quam se id facere verbis ostentabant. Nam quoties ad rem ventum est, taciti & quieti inter suos desidebant, quemadmodû Velasquidis negotia declararunt. Igitur cum omnes motus compressi essent, atq; nihil sibi negotij ab illo ex regulis facefferetur, multa partim ad reip. vtilitatem, partim ad regij census incrementum necessaria facere est aggressus. Nam primû ne tumultus denuo exorirentur, ipseq; securus & liber, rebus quas proposuerat animum intenderet: tormenta bellica, & aeneas illas ac operosas machinas, quæ propter ponderis immanitatem nequeunt loco facile moueri, tribus potissimû Castellæ regionibus, cū priuatis magistris & præfectis, collocare instructissima decreuit: in vltromontanis, ad Metinam Campensem: in Carpetania ad Complutenses: in Bætica ad Malacitanos. Ita enim si qui tumultuarētur, aut alio quouis modo aduersus rem publicam iniurijs essent, non spectatis aliunde præsidijs, facile sub ipsis principijs coerceri & infringi posse. Hoc tamen ad Metinam factum tantum esse, in epistolis reperio. Nouam item pecuniam percutere, illiq; diui Francisci imaginem ex altera parte insculpere, tentasse aiunt, sed Senatoribus regijs multum dehortantibus consilium mutassè. Deinde ad regia vectigalia cognoscenda conuersus, totamq; aulæ priuatam rationem, quæ regis catholici diutino morbo multipliciter offensa, atque perplexis ambagibus confusa erat: edictum à Carolo eius nomine promulgandum postulauit, ad tabulas omnes siue publicas, siue priuatas, quæ de rebus regijs tractarent, à quibusuis hominibus extorquendas, siue ij in supremo Senatu iudices, siue apud principes aut respub. legati, siue domi cubiculo præfecti, aut deniq; munerî cui libet per Ferdinandum regem olim delecti, aut præpositi fuissent: vt eæ in publica scrinia reconditæ, quoties vsus posceret depromerentur. Fuisset hæc res cum primis fructuosa, & ad reum nostrarum cognitionem vtilis: nescio enim quo sinistro fato, rerum apud maiores actarum negligentes, illorum instituta contemnimus: & quid illi egerint, aut qua ratione vixerint, no-

fr̄is tantummodo cogitatis contenti, parum percipere aut inquirere curamus: unde parte ad nostras actiones instruendas commodissima, vitam nostram priuamus. Nihil enim securius discitur, quam cum alieno periculo sapimus. At hæc scrinia facta non fuisse satis constat: nam cum tot rebus Ximenius distraheretur, in quibus reipub. incolumitas versabatur, nemini mirum videri debet, si omnia quæ animo proposuit, tam paruo tempore ad exitum non adduxerit. Cæterum tabulas permultas rerum publicarum, & libellos rationum à ministris illis exegisse, certum est: ex illorum enim notitia in ordinum Senatum inquisiuit, hoc est, de militarium magistrorum censibus, de sportulis, & mensæ magistralis (quam vocant) salariis, de commendatariis præfecturis, quæ rectorum custodia carebāt, 10 de iudicibus in eorum Senatum asciscendis, de quæ aliis multis ad eam rem attentibus prouidendis. Nam cum eorum magistrorum recens esset sub regibus possessio, nullibi minus notitiæ, aut plus fraudis & iacturæ erat. At ita in eo diligenter se gessit, vt in primo cognitionis triduo omnes trium ordinum leges, omnes sanctiones, consuetudines, & decreta, quibus obtemperare militares commendatarii tenerentur, peruiderit: simul etiam quæ ad censum pertinebāt, typo quoque in genere perceperit. Præfecti maximi commendatariorum, qui Ximenio in res eorum inquirenti, contradicitori proculdubio erant, aliqua interea opposuerunt, quibus se non modò à Ximenii potestate, sed à regia quoque si possent, vindicarent. Verum ea omnia tanta prudentia & dignitate à Ximenio 20 sedata sunt, vt vniuersis commendatariis parentibus, omnia ex illius voluntate sint confecta. Sed ne aliquis fortasse requirat, quæ sint illa quæ commendatarii opposuerunt, nos quæ propterea, nisi aliquid de eo dixerimus, negligentiam infumulet: Calatrauenses, & Alcantarani, quorum illi ad Oretum, hi ad pontem Rajani sacras suorum collegiorum ædes tenent, diplomata summorum Pontificum apud se habere iactabant, quibus eorum magistrorum præfecturæ, iuxta Cisterciensis ordinis ritum institutæ, nulli præterquam sui ordinis Antistiti, sine maximo piaculo subiectæ esse possent. Quæ omnia vana & futilia esse, prorsus quæ ad tēpus eximendum adinuenta, multis rationibus Ximenius declarauit. Nam ea quæ de diplomatibus Pontificiis ferebantur, cœnobitis Cisterciensibus, qui sacris adibus 30 inclusi, in solitudinibus delitescunt, quemadmodum & cæteris, qui ad eum modum viuunt, religiosorum sodalitatibus, sui ordinis Antistites habere à summis Pontificibus iure quidem concessum est, quibus alienos præfici rectores indignum & indecens esset: & sub externis & rerum suarum ignaris magistratibus, omnia sursum & deorsum miserentur. At militariibus hominibus, qui in luce clarissima apud regium comitatum, aut in castris viuunt, sacrum tantummodo Cisterciensium cognomen, certaque aliquot instituta quibus sese addicerent, data: nō autem arctam cœnobitarum normam, vnicamque illam abbatum iurisdictionem. Atque ita Ferdinandus catholicus Antonium Rogium Archiepiscopum Granatensem, tribus magistratibus aliquando præfecit: eorumque maioribus comitiis omnia 40 moderans Antonius interfuit. Quin etiam ne in primario tantum eorum magistratu accidisse id respondeatur: sancti Iacobi commendatarios, qui Augustinianum ritum sequuntur, apud Calatrauenses & Alcantaranos, multis muneribus obundis præfuisse. Heri verò & nudius tertius, nonnulla etiam per Adrianum Caroli legatum in eorum comitiis effecta esse, quæ hanc omnino dubitationem soluerent. Meminissent enim, nō ita pridem, præfecturam Calatrauæ maximam, sine solenni cruciferorum rogatione, Caroli duntaxat voluntate, quibusdam in speciem comitiorum congregatis, Petro Nunio Guzmano fuisse collatam. Quocirca multo sibi æquiora petenti, nullo modo si saperent, resisterent: neque enim posse ab incepto cessare, literis ad id efficiendum à rege missis. Quod si facerent, se operam 50 daturum, vt quod illi iam dudum cupiebant, Petrus Nunius Guzmanus, præfectura haud ritè obtenta deturbaretur. Id enim quod eorum priuilegia apertè imminebat, contra morem illorum inauspicatò factum esse, sibi quidem multum displicere. Scripsit quidem ad Carolum Ximenius hac de re sæpius: & Didacum Gueuaram, quem non ita pridem clauigerum creauerat, præfectum maximum eli-

gen-

gendum, suoque periculo alterum deliciendum susceperat, qui ferme cunctorum commendatariorum odiis magistratum illum gerebat: nihil tamē circa eam rem obtinuit. Igitur dum vniuersas magistrorum rationes euoluit, totumque illum militarem ordinem explorat, quadringentis centena millia nummum, commendatariorum periniqua dissimulatione, in singulos annos ex regis prouentibus intercipi inuenit. Nam cum illi ad bellum Mauris inferendum, limitesque nostros defendendos & tutandos, certum militum numerum propriis sumptibus tolerare teneantur, id omnino prætermittentes, regis curæ & impensis relinquēbant. Quare vt decebat prouisa duo Calatrauensis magistratui oppida, quæ ceteris milibus aureorum æstimabantur, ab Aragoniis iniuste occupata, per Touillā & Cabrerum Calatrauenses commendatarios, regis rursus ditioni vindicauit. Vim tentare principio Aragonii, litem sub iudice esse obicere, præfidiis & militibus oppida firmare. Sed re probè per Ximeniū cognita, ea quæ apud ipsos declarata, post longam sub rege catholico possessionem, licet inuiti oppidis cesserunt. Sed quoniam Touillæ opera in eo negotio conficiendo insignior fuit, volens Ximenius strenui hominis diligentiam beneficio aliquo condecorare, cum paulò antè Ciaconiū quendam fisco magistrorum Calatrauensis & Alcantarani præfectum, parum ritè creatum comperisset: neque enim facultatem vllam, tabulæve collatrices, ab ordinis sui principibus habebat, sed vnicum duntaxat Ferdinandi catholici chirographum, quo illi facultas concedebatur, arcem quandam cum decessore fiscali comutandi ob munus in Ciaconii gratiam relictum. Id autè non modò iniquum, & contra ordinem militarium consuetudinem, ab eorum Senatu dissimulatum fuisse aiebat, sed impium quoque & rei sacræ diuenditæ labe infectum. Proinde nullo modo amplius tolerandum, neque Ciaconium ad priuatas eius ordinis rationes procurandas, id est enim fisco nomen, sine magna religionis offensa, haberi posse. Inerat simul in Ciaconio parua muneris gerendi dexteritas, habitusque ipse totius corporis contemnendus. Ideo Ximenius de totius Senatus autoritate, fisci eum præfectura amouet, eamque ad Touillam transfert. Ne quid tamen fraudis Ciaconio fieret, qui arcem fructuosam pro obtinenda præfectura dederat, vt arx illa 30 sua redderetur cautū fuit. Doluit, vt par erat, Ciaconius, & grauè sibi iniuriam illatam apud Carolum conquestus, Belgarum tandem fauore effecit, vt amoto Touilla, Ximenii mandata irrita essent: ipseque rursus præfecturæ restitueretur. Quod quauis Ximenius ægerrimè tulerit, de quæ eo sæpius ad Carolum scripserit, nihil tamen impetrare potuit. Touillæ verò, quem præmio aliquo, vir rerum ab eo benefestarum memor, omnino afficere cupiebat, de Senatus decreto Saboticam custodiam contulit: & quadraginta millia nummorum sportulæ vice, ex communi ordinum militarium pecunia assignauit: atque vt id ratum haberetur, apud Carolum studiosè effecit. Quoniam verò iudicum inopia Senatus ille militaris laborabat, Tellum sancti Iacobi commendatarium, virum iurisperitia, & rerum earum 40 notitia percelebrem, Luxanum suum necessarium, doctrina & nobilitate clarum, Calueti loco in Senatum elegit. Hunc Caluetum Zoritanorum municipem, quod ad id munus parum aptum iudicaret, Senatu ordinum paulò antè amouerat: cuius rei dolorem Ouetenis Pontificatus, quæ illi postea Carolus contulit, leniuit. Voluisset ad eum modum cæteros qui aderant in eo Senatu iudices regis iussu Ximenius explorare. Nam Oforium Episcopum Asturicensem, qui Senatus præses habebatur, Alarconum quoque Senatorem Senatu pellendos iam meditabatur: proque Oforio Alphonsum Tellezium, colonie Montalbanicæ dominum substituendum, pro Alarcono Gonsalum Fernandum marchionis Plegiani fratrem. Neque in hunc tantummodo militarium ordinum Senatum, sed in alios quoque qui comitatum regium sequuntur, & pōst in Granatensem & Pintianum cōuentum esse 50 accuratè inquirendum proposuerat. Sed ne totam rei inuidiosæ molestiam, in se vnum duntaxat deriuaret, priuatas literas super eare à Carolo petit, quibus de aliis Senatoribus loco amotorum eligendis, aut nominandis à rege ipso demandaretur. Bæticæ prouinciæ, & Calatrauensis (quam campum vulgo appellant) administrationibus, quæ iam diu rectoribus carebant, Didacum Lupum Padillam, Fer-

R iij

dinandum Cordubam Capræ comitis fratrem, qui postea clauiger factus est, viros domi ac militiæ egregios, & qui eisdem regionibus aliâs præpositi operam non pœnitendam exhibuissent, gubernatores, hoc est, generales præfectos dedit. Erant etiam aliquot eorundem ordinum præsidia, sine commendatarii militaris custodia: quæ quoniam à factiosis, aut grassatoribus occupari poterant, si diutius præposito carerent, quanuis in Caroli aduentum res minoris momenti differre destinauerat, custodes quoque peraccommodos quæsiuit, quibus interea præsidia commendaui. Vnum tamen quod iam dudum secum cogitauerat, adhuc supererat, sed rei inuidia deterrebat: suspensus quæ aliquandiu fuit, an multorum simultates, & negotium odiorum plenum, sed tamen regiis commodis, ut sibi videbatur, necessarium capefferet. Id autem de salariis & sportulis, quæ ex publico ordinum militarium ærario dabantur, mensam vulgo magistralem (ut dixi) appellant, donec Carolus veniret auferendis. Sed tandem ad id faciendum duabus rationibus adductus fuit. Altera, quoniam regiis censibus per Ferdinandum multa pecunia obarratis, necesse erat ad reip. commodis subueniendum, ut militibus merces assignata in ære alieno neuiquam esset. Nam primum Germani milites ad Carolum à Belgio traiciendum, xx millibus aureorum conducti erant, totidem ex templo (ut postea dicemus) Gomecio Buitronio, viro inter Astures primario, deputatis: nam hoc ipso anno Carolus se vela facturum promittebat. Classi quæ oram maritimam tuebatur, reparandæ & instituendæ, octo millia numerabantur: præter multorum præsidiorum ædificia, præterque Nauarrorum prouinciæ stipendia, aliaque innumera impensarum genera, quæ in tam ampla regnorum possessione faciendæ quotidie offerebantur. Iis autem omnibus sufficiens, salariorum ablatione opportunè succurri posse, cum præsertim Ferdinandi & Isabellæ regum catholicorum morte, ea quoque simul cessassent. Altera verò quæ sibi haud inferior videbatur, ut Carolus in altera regione natus, atque rerum nostrarum profusus ignarus, dum singulis per Ximenium ablata restituit, nouis proceres beneficiis obligaret, seque cunctis amabilem redderet. Quæ planè re satis ille declarabat, qua caritate & obseruantia erga regiam maiestatem esset: quandoquidem modò regi suorum procerum, atque adeò omnium aliorum qui liberalitatibus regiis fruebantur, aduenienti applausus constaret, propria odia suscipere deque habebat. Sed dubitari potest, an hac in parte vir animi æqui & sinceri rectè statuerit: neque enim milites tantummodo commendatarios, sed aulicos nobiles, qui comitatum regum sequuntur, quorum ingens numerus est, salariis iam olim deputatis, & multa quæ regum beneficentia ex eorum censu proceribus quibusdam, priuatisque aliis collata fuerant, abstulit. Vbi ne affectibus suis indulgere crederetur, ex æquo amicos & alienos multauit. Nam hæredibus magni Gonsalii, quem vnice viuum semper coluerat, mortuumque itidem obseruantia profusionebatur, plusquam quingentes centena millia nummum, hac salariorum ablatione perierunt: idque Ximenius factum suum magni faciens in epistolis ad Carolum commemorat. Tello verò homini amicissimo, quem in ordinum militarium senatum elegisse diximus, ad Bætiam prope Hispaliæ frumentariæ molæ, quæ Pelagii Correx cognomen olim tenent, ante annos quadraginta à regibus propter eius merita donatæ, rursus regio censui restituta, occasionem dolendi attulerunt. Magnum incrementum regiis facultatibus, ea salariorum & militarium antiquatio intulit: cæterum Ximenio ingens odium & inuidiam conflauit. Nam si paria facere volumus: haud tanti apud Carolum eius diligentia & industria habita sunt, quantum apud eos conceptum est odii, quibus viuendi auxilia in speratò demebantur. Itaque immanes illæ regii splendoris, & vetustæ aulæ impensæ, atque largissimi & munifici sumptus sub frugi homine profusus accisi, & intra certos carceres coerciti, illique tantummodo relictæ, qui necessarii omnino erant. Quæ in re ne quis Ximenium omnino culpet, si modò hæc culpa & non potius laus censenda est, sciat Alexandrum Seuerum Romanorum imperatorem, qui inter optimos principes ab omnibus connumeratur, palatii maiestatem, & disciplinam restituere studentem, neminem in palatinis haberi passum,

sum, nisi necessarium hominem, malum pupillum imperatorem esse dicens, qui ex prouincialium visceribus, homines non necessarios neque reipublicæ vtilis pasceret. Supremæ igitur duntaxat curiæ senatoribus, priuatis palatii præfectis & ministris, militibus limitaneis & præfidiariis, quatuoruiris capitalibus, & comitatus regii licitoribus, vrbani hospitiorum metatoribus, prætorianæ etiam cohorti, & si qui alii ad regiones vsus necessarii erant, salaria & stipendia, quæ de more illis dabantur, reliquit. Vnde Petrus Martyr, & Gonsalus Ouetensis, temporum illorum scriptores, suis quoque salariis priuati, calamo iniuriam illatam vlti sunt. Nam cum Ximenii præclaram virtutem antea commendassent, postea dolore instigante parum æquè de illo scripserunt. Certè huiusmodi viris salaria vel de suo Ximenius dare debuerat, præsertim P. Martyri, qui in gratiam regum catholicorum Babylonica legatione functus fuerat, & multa quotidie scribebat. Sed Ximenius aliam rationem est secutus. Hoc quod de salariis, cæterisque honoribus sublatis diximus, non satis adhuc mihi certum est, an Ximenii tantummodo consilio, an Caroli iussu confectum sit. Nam cum frequenter in epistolis conqueratur, sibi ut malo genio aut cacodæmoni, partes auferendi concessas esse, donandi verò prorsus detractas: & Belgis in memoriam reducat, se eorum suafu in summo odio apud suos Hispanos esse: & rursus cum nihil apud Belgas, nisi ex Ximenii sententia gereretur, cunctique eum authorem fuisse crediderint, isque alicubi id ipsum confirmauerit, atque regiones census augendos omnino studio vbi que contenderet, de que eo seridè & crebrò multa verba faceret: res anceps & obscura redditur. Erat illi sanè cum primis persuasum, neminem principem neque bello neque domi res magnas, & reipublicæ salutare efficere posse, nisi census regii curam haberet: parumque illam opinionem probabat, qui regem quantumuis infumeret, prodigum futurum negat: siquidem opes quantumlibet immensas assiduis largitionibus dissipari, exhauriri que. Ideòque ut in donando cautè & consideratè se gereret, Carolo consuluit. Porro sibi accuratè disquirenti, quod patrimonio regio esset perutile, tandem visum esse ad res principis amplificandas maximè conuenire, ut sublatis quibusuis pecuniarum regiarum coactoribus, vnus tantum vir nobilis & industrius, quæstor maximus crearetur, ad quem res nummaria vniuersa perueniret, vnde ad publicas aut subitas quasque necessitates parata pecunia continuo numeraretur: quæ verò superesset ad liberalitates & largitiones, aliòve vsu prout regi liberet, apud eum asseruarentur. Hoc se & alias monuisse dicebat, nescire tamen qua de causa rem perutilem contempsisset, nihilque vnquam de ea consultasset. Interim certè se permissurum non esse, ut apud Ludouicum Sanctium Aragonium, qui ex curatoribus ærariis vnus erat, magisteriorum militarium prouentus, & quicquid ex orbe nouo aduehebatur, deponeretur: quoniam maritimæ oræ tutela, præsidia omnia, & cætera quæ supra sunt commemorata, ex ea summa prouidèda essent. Sed quoniam ex statis regni vectigalibus, xx. millia aureorum Germanæ reginæ iubebatur dari, id ne fieret etiam prohibuit, quòd ea ex Areualensi solo iuxta pacta conuenta essent petenda. Nihil enim damnosius regium censum lædere dicebat, quam huiusmodi rationum confusio, & solutionis semel destinatæ mutatio. Regulorum nonnullis, aliisque item aulicis hominibus, non contemnendas nummorum summas liberaliter à Carolo donatas, parum se probare declarauit: multumque considerandum monet, ne id passim & temerè fiat: semperque hoc vnum sollicitè dispiciat, quorumnam fidei & consilio se committat: multos enim se illi insinuatuos, non tam regis obseruantia causa, quam priuatorum commodorum ratione. Quorum nonnullis hoc duntaxat propositum esse, regem in egestatem & angustias redigere, ut eorum operæ necessariò imploerentur, quas quanti libeat locent. Quemadmodum iam olim euenisse, ex prisca historia, rerumque recentium monumentis facillè cognosci poterat. Ergo secum parumper cogitaret, quanti sumptus impenderent, in reipublicæ necessitates primo quoque tempore faciendi. Illud etiam insolens & intolerabile, intra quadrimestre tempus quo regnare cœperat, ex statis vectigalibus, centies & vicies cetera millia, ex aliis

viciò regis prouentibus, plusquã sexagies data esse: cùm reges catholici, totis qui-
 bus regnauerant quadraginta annis, quantũuis benefici fuissent, eam summam
 non exaquaissent. Quare ea omnia prorsus abscindenda esse cõsebat. Tabulas ve-
 rò, quas à rege Ferdinando datas Enricus Fortuna, Anricus Admirantus, & Pacie-
 cus Afcalonius ostendebant, in quibus decies centies, ex noui orbis redbitus sin-
 gulis donabantur, irritas & inanes esse iudicandas. Nam quæ tempore diurnæ &
 accrbissimæ ægritudinis parum consideratè promissa fuerant, præstari nõ debere
 ius est. Porrò Enricum Fortunam, qui cognationis vinculo Ferdinando regi per-
 quam coniunctus, id mereri magis videri poterat, hominem esse præcipiti natura,
 & qui Gallorum quæ sitis auxiliis, aduersus Carolum multa tentasset. Quòd si libe-
 10 ralitas, quæ reges in primis amabiles facit, exercere vellet, habere apud se no-
 bilissimos ministros, qui promptè & fideliter suis iussis assiduè obediissent, quos
 beneficiis, quoties facultas daretur, exornare posset: iustitiam verò erga reliquos
 omnes ex æquo coleret. Nam iustitiæ munera sine discrimine omnibus esse tri-
 buenda: liberalitatis verò ministris, pro cuiusq; fideli sedulitate & dignitate. Tria
 enim sibi magnopere necessariã semper fuisse visa, quæ regis imperiũ ante omnia
 stabilirent, primũ vt suum ius vniciuque tribuat, siue id æqualis cõditionis ho-
 mines à rege postulent, siue multum dissimiles. Deinde vt viroꝝ militarium, præ-
 fertim qui animi fortis & strenui præclara dedissent documenta, rationè inprimis
 habeat. Vltimum verò, quod magni momenti existimabat, vt censum regium dis-
 20 sipari non permittat: sed opes potius ex redbitus amplissimis continuò seponat,
 quibus res maximas & gloriosas adoriatur, & efficiat. Ipse enim experientia didi-
 cerat, quantum hoc referret, qui eo quadrimestri spatio, quo Carolo vicariam o-
 peram in moderandis sceptis præstiterat, tot res præclaras & egregias absoluerat.
 Nam Baticos motus sedauerat: terrores Nauarrorum compresserat: Malacitano-
 rum contumaciam coercuerat: limitanea præsidia armis & militibus communi-
 uerat: & oræ maritimæ reddiderat tranquillitatem: incursiones in Africam fece-
 rat, classe aduersus Algerium missa: Bugiam, Pegnonum, & Melillam, Horuscii
 Barbarossæ obsidione liberauerat: Lusitanus ad Argillam defendendã auxilium
 obtulerat: & demũ grande æs alienum, quod sub Ferdinando regius census con-
 30 traxerat, dissoluerat. Quòd si ipse alienas partes agens, & maleuolorum inuidia se-
 pe impeditus, hæc potuit efficere, à sumptibus superuacuis abstinens: quid cen-
 sendum esse crederet de seipso rege potentissimo, & cuius celsitudinem subdito-
 rum inuidia attingere non potest? Quod de classe ad Algerium expugnandam
 missa ait, quanuis prosper successus illi defuerit, tamen ob data constantis animi
 & inuicti signa, memorabile est. Non minus enim laudis ex ea re infecta reporta-
 uit, quàm quondam ex Orano capta. Algerium, quam nonnulli (sed vt opinor fal-
 sò) antiquam Cirtam, Iubæ & Syphacis regiam esse credunt, eo tempore sub Hi-
 spanorum potestate erat, quibus certum quoddam tributum quotannis pende-
 bat. Sed cùm interea Africana litora Horuscii Mitylenæus pirata, cognomento
 40 Barbarossa, cum fratre minore Haredino infestaret, Bugiamq; quam nostri tene-
 bant, occupare laboraret, & ab eius obsidione alterius brachii iactura repulsus es-
 set: ab Algerianis ciuibus qui Hispanicum iugum excutere affectabant, vindex
 libertatis accersitus fuit: atque intra vrbs mœniareceptus, totius iuuentutis ad-
 uersus Hispanos dux constitutus. Haredinus cognomento quoque Barbarossa,
 Christiani nominis acerrimus hostis, ille est, quem Carolus iam Romanorũ im-
 perator nostris temporibus Tunete depulit, oræ maritimæ securitate parata. Aiunt
 permultum opera Moraborum, ad persuadendos populariũ animos Horuscium
 adiutũ fuisse: qui assiduè proclamabant, nefas esse & rem indignissimam, genero-
 50 sos Mahumeti cultores, Christianis hostibus non solũ parere, sed etiam tributa
 pendere. Quare Horuscium virum fortissimum & Christiano nomini infestum,
 qui eos ab Hispanorũ seruitute liberare posset, regẽ capesserent: nam & occasio-
 nẽ peropportunam à Deo illis oblatã esse, rege Ferdinãdo per id tempus vita fun-
 cto. Ximenium verò non esse cur timerent: nam quanuis Orano capta Africam
 olim terruerat, iam ad eò graui senio oppressus, & multus negotiis è regnorum gu-
 ber-

bernatione impeditus erat, vt ceerrimè è vita illi esset migrãdum: Itaq; nec vires
 neq; otium Ximenio esse, ad res iterum Africanas inuadendas. His sermonibus
 persuasã turbæ, à Selimo Algerii principe deficientes, Horuscium regem creauere
 runt. Hic ergo vrbe Mauritanie celebri & littorali potitus, non solũ Hispaniam
 maritimam quotidie vexabat, sed etiam ipsos Africanos regulos, auitis imperiis
 deturbare conabatur: vt paulatim & Africam quoque ad Turcarum seruitutem
 traduceret, quorum armis & præsiis ex prædone rex factus fuerat. Inter hos cũ
 Albuzeuenum Tenezensibus regno præficatur. Is paulò pòst filio hærede relicto mor-
 10 tuus est. Hic continuis Horuscii incursionibus afflictus, timuit ne in eius manus
 incideret, & in Hispaniam tandem traicere decreuit. Ergo ad Ximenium accel-
 sit supplex, se eius fidei commendans, & contra communem hostem opem im-
 plorans: nam ob Hispanorũ amicitiam, in eas calamitates & miseras se incidisse
 dicebat. Maluisse enim maiorũ suorum exemplum sequi, qui Hispanie reges co-
 luissent, quã Barbarossæ piratæ adhærere. Ximenius humanè respondit, curatu-
 rũ se, ne amicitie cum Hispanis initæ vnquã illum poeniteret. Delectus militũ per
 Hispaniã haberi iubet, & naues quibus in Africã appelleret instrui, vt pirata à no-
 stris littoribus arceretur. Classi cũ Fernandum Andradam præficere vellet, im-
 petrare non potuit: quòd extumultuariis & rei militaris imperitis hominibus le-
 20 giones illas coactas esse diceret: vnde potius ex illorum opera ignominia, quã vlla
 gloria expectanda esset. Ximenius cui omnis repulsã molesta erat, ægreq; ad pre-
 ces descendebat, Didacũ Veram tormentorũ præfectum, cuius industriam & for-
 titudinem, in Oranica olim expeditione expertus fuerat, ad eam rem idoneũ ar-
 bitratus, legionibus traditis ad Algeriũ expugnandam misit. Nonnullis parum at-
 tentè Ximenius id fecisse visus fuit: quòd is militari arrogãtia inflatus esset, & ca-
 su potius, aut fortuna, quã prudentia consilio ve, quo carebat, victurus crederetur.
 Igitur octo millium armatorũ exercitu Didacus Vera ex Hispania soluit in Africã
 ad Algerii littus pridie diui Hiero, qui dies ante tertiuũ cal. Oct. est, appulit. Mauri,
 qui multo antè id rescuerant, finitimorum vndiq; euocatis auxiliis, ingenti Numi-
 30 darũ equitatu conducto, oppidũ probè munierant. Horuscus cũ sexcentis fortif-
 simis Turcis sagittandi peritis, quos ad sui corporis custodiã ex Asia adduxerat,
 pro muris stans magnos suis animos ad hostium impetũ propulsandum faciebat.
 Didacus Vera cũ milites suos ad oppidũ inuadendum prædæ cupiditate plus satis
 paratos videret, in quatuor partes exercitum diuisit, sic in officio melius cõtineri
 posse ratus, & vt à quatuor itè celi regionibus expugnationem Algerii adoriren-
 tur. Aiunt contentionem fuisse ortã de militibus diuidendis, inter Veram, & ali-
 quot tribunos: qui nil perniciosius fieri posse aiebant, quã exercitũ in tot minutas
 partes frangere. Omne. n. exercitus non numerosi robur, in omniũ militũ vnione
 positum esse: præsertim cũ pro certo accepissent, hostium præsidia quã instructif-
 40 sima & copiosissima parata esse. Bene consulentibus Vera nõ auscultauit, qua de
 causa illi contumaciores facti pugnam negligentius curantes, præcipitè consilio
 suo agi fuerunt. Nam nostri quadrifariã diuisi Maurorũ viribus impares fuerunt:
 qui siue quòd tribulos ferreos per vieos oppidi disseminassent, siue quòd scrobes
 passim fodissent, quas leuib. virgultis & arundinib. terra leui iniecta contextissent,
 portas oppidi patètes relinquũt. Nostri punicas insidias veriti, ingressu neglecto,
 muros audacter conscendere conantur: qui viribus Turcarum repulsi sunt, & ali-
 quot capti è pinnis murorum, in contumeliam & ludibrium suspensi. Horuscus
 Turcas & Numidas egredi iubet aduersus reliquas exercitus partes: qui copio-
 50 siores atq; etiam animis, ob ducis nostri manifestã imprudentiã, elatiõrib. irruen-
 tes, Hispanum exercitum continuò fugant, atq; stragem & interneccionem edũt.
 Didacus Vera consilio & militibus destitutus, fuga sibi & filio consulendum ra-
 tus, bonam (vt aiunt) eius diei partem, dum Mauri in nostros sæuiunt, in scopulo-
 rum cauernis delituerunt. Postquã in Hispaniam appulit, imprecationibus passim
 accipiebatur: & contumeliosus puerorum cantilenis proscissus longè debilior Ho-
 ruscio esse cantabatur, qui altero brachio carebat. Infausta ab eo tempore Algerii

expugnatio nostris semper fuit: nam littoris illius importuosi stationem, malè fidam nauibus semper experti sumus. Eius rei nuntium Ximenius sub Octobrem accipit, multa iam nocte, hominibus theologis de rebus sacris disputantibus affidens. Cùm dictum esset, cursorem ex Africa ad fores adstare, vt inmitteretur iubet: & nihil sciscitatus, postquam literas ad se datas tacitus legit, sereno vultu circumstantibus dixit: Exercitus noster in Africa victus & profligatus esse nunciatur: sed paruam iacturam fecimus, Hispania hominibus facinorosis & audacibus exhausta est. Et rursus ad quæstionem theologicam disputandam est cõuersus, qua absoluta ad corpora curanda discessum est, admirantibus cunctis Ximenij constantiam, & inuictum pectoris robur, qui nullum animi commoti signum in re aduersa & subita dedisset. Id autem, quòd Hispaniam malis hominibus exhaustam esse dixit, ex regis Ferdinandi consuetudine & conuictu traxit: qui sæpenuero expeditiones aliquas nõ alia de causa parandas esse aiebat, quàm vt furibus, sicarijs, ganeonibus, & perditis hominibus iuuentus Hispana expurgaretur: quæ maiorum confortio inutilis & vitiosa paulatim reddebatur. Hoc consilio iam olim in Atheniensium rep. Periclem clarissimum imperatorem vsum esse, ex historijs nouimus: qui singulis annis classem ornare solitus erat, vt ignaua, turbulenta, & seditiosa plebe ciuitatem suam leuaret. Æmuli qui ex euentibus acta æstimabãt, eam expeditionem tanquam parum prudenti consilio susceptam, parumq; apto imperatori commendatam, apud Carolum criminabantur. Qua de causa aliquot 20 epistolis cladis famã Ximenius extenuat: nam mille tantum homines ex vniuerso exercitu, adnumeratis etiam captiuis, desideratos fuisse ad Carolum scribit: & culpam in Didacum Veram aperte rejicit, tametsi iacturam nihili esse faciendam dicat: bonam tamen spem habere, magno cū hostium damno & detrimento se vindictam sumpturum. Ad Leonem verò Pont. Max. vt ex eius responsione per Petrum Bembũ edita apparet, grauius aliquid scripsisse certum est. Nam magna molestia se affectum esse Pont. respondet, quòd exercitus quem in Africam Ximenius transmisisset, magnã plagam apud Algerium accepisset: vna tamen re dolore suum leuiorem fieri, quòd ipse animo fractus non esset, neque quocquam de ipsius ardore & diligentia eam ob causam esse detractum: atque verbis amplif- 30 simis, eum ad alterum exercitũ comparandum, & ad rempublicam Christianam iuandam adhortatur: animumq; illum dignum eius virtute, dignum etiam auctoritate quam supremam Carolus ei dabat, diutius retinendum esse, atque adeo sapius aduersus communes hostes incitandum: cùm præsertim ex recenti, & mirifica Turcarũ regis contra Sultanum Ægyptium victoria, non dubium erat, quin insolens & exultans Turca, vere ineunte mare nostrum infestaturus esset, atque classe inimica repleturus. Quod commune malum cæteris quoque principibus Christianis se indefinẽter denunciaturum, vt communibus votis & præsidijs, hosti potentissimo vniuersi resisterent, bellumq; cum eo aduersus Turcas vnanimis capessant. Ex quibus sanè literis planè constat, Ximenij amplitudinem & aucto- 40 ritatem, non modò apud Hispanos clarissimam, sed etiam apud ceteras gentes illustrem fuisse. Sic enim Pont. Max. cohortationibus ad regios conatus suscipiendos instigatur, vt solent reges, & magni principes. Nimirum bonam negotij conficiendi partem, ex eius industria & robore pendere intelligebat. Fuit etiam sub hoc ipsum tempus edictum Ximenij, ex regii senatus auctoritate, aduersus mercatores Genuenses, qui nostras vrbes frequentes incolunt, per vniuersam Hispaniam promulgatum, quo iubebantur, vt intra certum dierum spatium, ex Hispania discederent, alioqui bonis priuandi, & capite puniendi. Tam acerbi edicti causam hanc fuisse apud Martyrem reperio. Ioannes Riuus, qui Didacum Veram ad Algerianam expeditionem inter præcipuos comites secutus fuit, modicis paren- 50 tibus Toleti ortus, sed bellicis artibus & animi præstantia per omnia insignis, longa & probè munita triremi piraticam interdum prosperè exercebat. Hic in mercatores Genuenses aliquando incidens, naues eorum & opes deprædatus, damna non mediocria (vt aiebant) illis intulerat: quare sedulò curabant, vt sese occasio offerret, qua prædonem vlciscerentur. Accidit igitur vt sub mensem Iulium, tres

oneraria: Genuensium naues apud nouæ Carthaginis portum, lanarum asportandaru causa in anchoris essent. Nam cū ouium Hispanarũ vellera, tenuitate & molitudine præstent, innumeri lanarũ sacci ad alias regiones ex Hispania quotannis traiciuntur. Aderat præsidij causa totidem naues, omni bellico apparatu, atq; militibus Genuensibus munita: quibus resp. iusserat, vt Ioannem Riuum prædonem interea quærerent, & meritas pœnas ab illo sumerent. Igitur dum ea de causa in anchoris sunt, ecce classis Hispana aduenit, cui præerat Catalonius Berenguellus Muschori dominus, vir in illa prouincia primarius, dignus qui propter generis nobilitatem, & spectatã sui parentis erga regẽ Ferdinandũ fidem, honorificis muneribus præficeretur, quanquã animo non nihil remisso, & ad pericula ignauo habebatur. Huic comes veniebat Ioannes Riuus, quem ex triremi longa Genuenses agnoscentes, eum sibi tradi multis obrestationibus à Berenguello petunt: cū præsertim ex fœdere cū Hispaniæ rege factò, si quis hostis alterutrius fuisset, vtriusq; præsidijs & armis, esset oblata occasione puniendus. Id cū Berenguellus arroganter despexisset, Genuensium præsidia irritata, quod iusta oratione impetrare nequiuert, Ioannẽ Riuum vi adoriuntur, & eius triremẽ tormentis penè subruunt. Commotus Berenguellus, satis inepto & degenero consilio præsidarijs nauibus relictis, quibus cū ob illatam iniuriam, confligendũ erat, in nihil cõmeritas onerarias tormenta sua hostiliter contorquet. Vim vi repellendam Genuenses decer- 20 nentes, cùm præsertim insontes impetiti essent, tres demittunt è nauibus scaphas, & singulis bina tormenta imponunt, & nostrã classẽ præfecto carentem (illico enim vt ad manus veniendum fuit, Berenguellus prælium deseruit, & classe neglecta terram petiit) assiduis idibus malè multat: & ex quatuor Hispanis triremibus, duas vi tormentorum confregerunt: quarum altera submersa fuit. Berenguellus interea tumultu vrbè complens, eam iniuriam quæ profus ad læsam maiestatem pertinebat, neutiquam esse ferendã clamitans, machinis tormentarijs in Carthaginis tutelam cõparatis, Genuenses esse repellendos admonet. Cœpit pugna grauius accendi, & vt in tumultu & seditione fit, cæco furore concitatis animis, nihil consilij vel remedij capiebat. Vtrinq; aeneæ glandes tormentis emittebantur: vr 30 bis tecta cõcutiebantur: eminentiores turres concidebant: nihil hostiliter ab immanibus Turcis misera ciuitas potuit expectare. Tandẽ magna vtrinq; edita strage noctis interuentu certamen dirimitur. Hoc factum Ximenij animum acriter commouit: neq; enim tanti faciebat Ioannẽ Riuum piratam à Genuensibus capi, quàm per summam iniuriam fœdus violari, & regis nostri maiestatem contemni: seq; eo tempore sceptrum moderantem, tam manifesta cõtumelia affectis. Hac ergo de causa in Genuenses edictum, quod diximus, promulgauit. Berenguellũ verò ita ex ea re oderat, vt eum classis præfectura priuare apud regẽ curauerit, & ad Ioannem Velascum virũ strenuum, & Bernardini comestabilis iã defuncti filium transferre. Sed Berenguelli patroni, id non tam Ximenium reip. causã, quàm affe- 40 ctui priuato indulgẽtem contendere, apud regẽ identidem affirmabant: quorum dictis fidem rex habuit, & Berenguellum ferme per Ximenium exauctoratũ rursus pristino muneri restituit, quatuor millibus aureis ad iacturas sarcindas insuper additis. Quapropter Ximenius acerbiore in Berenguelli ignauiam epistola ad regem data, id neutiquam faciendum esse scripsit. Quòd si Velascus propter paruam rerum maritimarũ experientiam impar esse præfecturæ credebatur, Barchionenses & Valentinos maritimos populos sese offerre, ad omnem oram Hispaniam tutandam, proprijs commeatibus & sumptibus vniuersã classi necessarijs: quorum promptam ad eam rem voluntatem, eo præsertim tempore, non esse reiiciendam. Nam postquam seculares induciã cum Genuensibus pactæ exierant, veteres sim- 50 ilitates, quæ ob Sardiniam Mauris quondam proditam inter ipsos intercedebant, capitali odio renouari videbantur. Porro mirari se dicebat illorũ inconfidentiam, qui Berenguellũ regia beneficentia adaugendũ curauissent, qui acerbiore custodia, quã eius conterraneus Quintus, qui apud Belgas oblæsam maiestatem in vinculis erat, puniri meruerat. Sed nihil apud Carolum promouit, Belgis aulicis Berenguello studiosè patrocinãtib. Eius causam tũc mirè adiuuit, quod

sub extremum Augustum, acri & cruento prælio, quod magna vtriusque partis contentione per solidum ferme diem durauit, quatuor Turcarum piraticas triremes Berenguellus nouem nostris probè instructis cepisset, Turcis ad vnum captis aut confossis: cum toto sexennio ex quo ille præfectus classi fuit, mare nostrum Mauris insolenter infestantibus, nihil egregium aut præclarum gessisset. Erat Ximenius suoapte ingenio fortium virorum studiosissimus: vnde magnum Gonsalum & Bernardinum comestabilem summè coluit: Fernandum Andradam non vulgari comitate tractabat: compluresq; alii hac vna ratione, quanuis infimo loco nati essent, apud eum in primis commendabantur. Quæ res eo tempore effecit, vt virorum fortium numerosa turba ad eum vndique conflueret: atque respublica 10 militaribus exercitiis florens, exteris principibus, rege absente, terrori fuerit. Berenguello verò indignabatur ob semel conceptâ de illo opinionem, quasi remissi & imbellis animi esset: à qua nunquam diuelli potuit. Genuenses verò, quos edicti promulgatio ob intercepta lucra & bonorum cunctorum proscriptione male habuit, illico ad Belgas traicientes, publica legatione apud Carolum regem sese excusarunt: molestissimum id suis ciuibus accidisse, quanuis Berenguelli temeraria insolentia occasionem iustissimam dedisset: Remp. tamen eius nomini deuotissimam parum Berenguelli imprudentiam curauisse, modò fœdera cū ea ista 20 conseruarentur: atque ita senatum decreuisse, vt nauium illarum præfecti capitis rei continuo haberentur, cæteris verò qui præfectis consensissent, vt quâ primum patriam terram appellerent, commeritas poenas reipublicæ darent. Verum Deum immortalem iustissimum delictorum vindicem, occasionem quâ quærebant præripuisse, qui naues illas apud Nicæam, in Villafrancæ portu consistentes, subito & insperato turbine correptas, & ruptis rudentibus, anchorarumq; retinaculis, miserabili spectaculo in gyrum actas, cum viris plusquam trecentis submersisset. Cuius rei atrocitatem & durissimam fortunam adeò nihil eos commouisse, vt potius grauitè tulerint, scelestos homines & fœderum violatores, diuina potius ultione periiisse, quàm reipublicæ vindicta, quæ in exemplum posterorum erat futura. Carolus illorum apposita oratione placatus, quicquid noxæ admiserat benignè condonauit, & Ximenii edictum abrogandum esse placuit. Ximenius contra seuerus 30 instare, in regiam maiestatem peccantibus haud ita leuiter ignoscendum esse, & nouas causas accidisse, propter quas Genuensium bona apud sequestros essent detinenda. Eæ autem huiusmodi erant: Petrus Nauarrus, quem ad Africanam expeditionem imperatorem Ximenius habuerat, cruenta illa apud Rauennam pugna, cum fortissimi militis & optimi ducis partes abunde præstitisset, à Gallis captus, & odio quorundam nostrorum, quos infensos habebat, in custodia neglectus, à rege Gallorum sollicitatus, classi Gallicæ hæc (vt aiunt) conditione præficitur, vt nauilibus & pedestribus copiis, consilio & præsentia sua consuleret, manus autem cum Hispanis conserere, aut regem suum apud quem in pretio habitus stipendia fecerat, aperto Marte offendere non teneretur. Is eo tempore sedecim nauium classe 40 Massiliam veniens delectus militum studiosè faciebat, nec dubium esse, quin ille totus apparatus aduersus Calabriam & Siciliam instrueretur. Nam Genuensium classis, quæ paulò antè Gallicæ adiuncta fuerat, Panormū adoriendi suspicionem dederat, Camarino & Goliscano eius vrbs primariis hominibus clam auxilium ferentibus, post Nauarri verò aduentum aperte rem gerentibus. Neque enim alia de causa, vir eius oræ peritissimus superuenerat, nisi vt eius ductu & consilio, qui Campana & Sicula littora tam probè nouerat, totam illam regionem infestarent. Periculum itaque esse, ne Maximiliano Cæsare aduentum suum in Italiam differente, Gallorum potestati Mediolanum & Neapolis cederent. Addebat etiâ 50 Barchionensium legationibus certiorum factum esse, quotidie in eorum portibus Genuenses & Gallos sese ostendere, omnemq; illum Catalonia tractum sub specie distrahendarum mercium illis hominibus repletum esse, qui vltro citroque commeantes, frequentes nuncios in Galliam mitterent, indeq; rursus acciperet. Quæ omnia belli quidem aduersus Neapolim præparati indicia erant: sed iam tandem literis per arcanas notas scriptis, quas Caucoliberensis arcis præfectus in-

terceptas ad se miserat, vniuersam rem deprehensam esse. Nam in eis Genuenses classis suæ præfecto imperabant, vt tam à Gallis quàm à cæteris confederatis, aduersus Hispanos præsidia peteret, beneq; deinceps sperarent: nam iâ fortunæ aspirantis principium sese ostenderat, celo ce Hispana apud Sardiniam capta, plusquam centum militibus instructa. Quare bono animo essent, neq; vllam rerum necessarium inopiam timerent: nam in duabus insulis Sardinia & Sicilia, omnia prouisa & disposita esse, quò si angustiis premerentur, tuti & securi se recipere. Adcirco sibi id sententiæ esse, vt ex supellectile Genuensi, quæ apud sequestros erat, nihil propriis dominis restitueretur, donec illi motus apertius innotescerent. Nâ si fœdus tandem violare nõ cessaret, propria pecunia oppugnari posse. Quare tanti sper suo edicto auctoritas danda, quoad de eorum erga nostros fide rei euentus testimonium daret. Neq; enim tantopere Genuensium negotiatione Hispanis regionibus necessariam esse, vt non parum multi prudentes homines reperiantur, qui non modò eorum commercia parū esse nobis fructuosa affirmant, sed vehementer etiâ pernicioza: quod tamè alterius considerationis esset. Porro legatos se Genuam misisse, qui de his omnibus agerent, atq; eorum animos explorarent. Hæc quidem Ximenius diligentissimè monebat: sed Genuenses fidem Caroli implorantes, tandem in pristinam conditionem, Ximenio etiâ approbante restituti sunt. Nâ legatis, quos ad eos miserat, benignissimè susceptis, omnem suspicionem quam 20 de Neapolitano bello conceperat, abunde ademerunt. Nauarrus quoque pro veteri amicitia per Taramonam presbyterum familiarem suum, se apud Ximenium expurgauit, maritimas illas copias, totumq; illum nauale apparatus, pro antiquo suo instituto aduersus hostes religionis parari affirmans: viresq; suas & solitos conatus se potius aduersus Africanam littora, quàm contra regnum Neapolitanum, aut contra Siculam oram intendere. Dum hæc aguntur, Naiarensis Nauarræ prorex ad Ximenium scripsit, Caroli literis iuberi, vt equestre præsidium, quod in Nauarrorum finibus tenebat, Maximiliano imperatori, ad Brixie obsidionem in Italiam descendenti concederet. Ille enim Gallicæ potentie infringendæ causa, nepoti prospiciens, in Italiam festinabat: quoniam totum illum Insularum tractum, 30 qui à Mediolano in Bononiam est, Gallus occupauerat: cuius copie in dies magis augebantur. Id vt diligenter faceret Ximenius rescripsit: sed per celeres cursores Carolum monuit, ne Brixie expugnationem imperator auus frustra tenter, esse enim, vrbe natura & loco munitissimam: sed Mediolanum continuo contendat, qua capta, non solum Brixie dominum futurum, sed vniuersæ Italicæ opulentie, quæ ex Mediolanicis negotiationibus & commerciis, propter regionis fecunditatem constat. Se verò nisi ei aliter videretur, si Neapolim Gallus intendat, validissimo ex Hispania coacto exercitu, Lutetiam versus in Gallias irrupturum. Et quoniâ nonnullos ex Neapolitanis regulis, qui priuatorum negotiorum causa apud eum erant, parum comiter à Belgis aulicis tractari audierat, & moras in rebus 40 quas efflagitant iniquo animo sustinere, meminisset Neapolitanorum mores, qui leuibus de causis nonnunquam acriter irritantur: & daret operam, vt omni beneuolentiæ & ciuilitatis genere deliniti, domum quam primum fieri posset redirent. Militum Hispanorum legionibus, quæ ad Neapolim eo tempore erant, in summa rerum inopia constitutis, subueniendum statim esse censere. Nam stipendia quæ meruerant numerari flagitabant, vt ex Arellano tribuno, qui à prorege eam ob causam ad se venerat, cognoscere poterat: nam in eo articulo res Italicæ positas esse, vt potius regie familiaris, quàm Neapolitanis militibus argentum sit negandum. Ad cæteros verò Italiae motus sedandos, Pontificis maximi animum captandum: de quo, quanuis ille omnia polliceretur, se non admodum securum esse. Nam cum non ita pridem Gallis ad conferenda cooprandaque sacerdotia liberali animo, certis sub legibus, ius concessisset, & condonationes item pontificias, quæ à crucis protectione, cruciatæ dicuntur, has à nobis sæpius flagitatas, nouas causas nectendo, denegauit. Id autem fieri, vt vires Gallo adaugeantur, certissimum esse: neque enim bellum cum religionis nostræ hostibus se gerere, aliâ- 50 ve publicam causam procurandam suscepisse, poterat prætexere: cum Hispani per

nongentōs annos, cum Mauris perpetua praelia conseruerint, sanguinemq; suum in defensionem crucis, & religionis propagationem effuderint, & adhuc effundat. Esse itaq; summum pontif. si opus foret interdum perterrefaciendum, quemadmodum a se quoq; nuper effectum: qui liberiori epistola eum admonuerat, vt se erga reges Hispaniæ indulgentius gereret, & multa alia que in hanc rem esse videbantur. Quare etiam atq; etiam videret, quem suo nomine legatum Romam mitteret: nam permultum in eo deligendo interesse, cuius ob Hispanorum in vrbe frequentiam magna autoritas & potentia erat. Ergo Petrus Vrrea Belgarum fauore apud regem commendatus, non quidem Hieronymo Vico successor datur, sed pari cum eo potestate Romam mittitur: quam aliquot mensibus non admodum concordēs, vt in imperii confortio solet fieri, gesserunt. Nam Martinus Cotillus sic ad Ximeniū, cuius cū Petro Arteaga negotia Romæ procurabat, scribit de cardinalibus, qui aduersus Pont. max. cōiurasse accusabantur. Sauli (inquit) & Vrfini cardinaliū causa, in portu (vt aiunt) est, & propediē liberandi creduntur: nā iam cōtrouersia ad clausulā perducta est, & vades Pōt. max. dati. Ingēs ad hanc rem fautor, noster orator Hieronymus Vicus est, egregieq; illorū partes agit: quo fit vt Petrus Vrrea eisdē aduersetur, & in contrariam partem inclinet. Neq; enim fieri vllō pacto potest, vt duo simul legati concordē operam, & regi nostro profuturam, apud Pont. vnquā præstent, nisi alter alteri cedat, à quo hi nostri longē absunt. Nam Petrus Vrrea regio fauore insolens, legati munus arrogantius exercet: Vicus cōtra ex suis opibus, & ex fratris Raimundi cardinalis dignitate animos sumit: præsertim quod tam rerū experientia, quàm iudicii acumine & grauitate, Petro Vrree præstare se videt: vnde attentius auscultatur in sententiis dicendis. Quare tempus esse expectandū existimat, neq; vllō modo Vrree cendendū. Qui Vrream propius nouerunt, multū eis virtuti deferunt. Nam cūm Caroli iussu Mediolanum in Maximiliani ducis auxiliū venisset, quem Gallus deturbare principatu contēdebat, atq; Heluetii, quos Maximilianus selectos apud se habebat, Hispanis anteponi niterentur, ille forti & præstanti animo Heluetiorū superbiam sese opposuit: illamq; celebrem vocē edidit: sæpe Hispanos Heluetiorū terga conspexisse, cū illi rarō Hispanorum vultus ferre potuissent. Hæc de legatis per regē mittendis. Monebat etiam, pari cura considerandū esse, quales legati in Hispaniam à Pont. max. mitterentur: nam totius reip. tranquillitatem ex eorum ad principes suos relationibus pendere: sæpeq; numero accidisse, vt illorū stultitia aut insolentia, motus grauiissimi coorti fuerint. Certiorem porrō factum se esse, nuncium à Pontif. max. in Castellam mitti Laurentium Putium, Laurentii Putii cardinalis nepotem: quare in rem nostram esse vt omni conatu rex intercederet, ne homo leuissimus, & futilis ad nos mitteretur. Nam Putium cardinalem superbum esse, & auaritatis inexplēbilis vitio laborare, ex suorum literis didicisse. Magnam itaque reipublicæ Hispaniæ perniciem euenturam, si hic Romæ, ille in Hispania ad res prohibito tractandas mutuam sibi operam dedissent. Dum externis rebus apud Carolum prouidentis Ximenius occupatur, multa reipublicæ nostræ propria sese interim quotidie offerebant, in quibus constituendis eius virtus etiam elucebat. Erat in Hispania numerus eorum frequēs, qui Iudæorum superstitione relicta, ad verum Dei cultū transferant: sed multū quotidie ob violatam religionem accusabatur. Et cū iudicia exercerentur, nulla testium publicatione facta, apud regem omni studio & arte cōtendebant, vt apertis testimoniis vniuersa negotia tractarentur, oblata interim ingenti quadam nummorum summa. Nam vt ex Mazuequi regii cōsiliarii ad Ximenium literis intelligitur, plusquam octingenta aureorum millia, eo tempore regi offerebantur: idq; iam confectum per Belgas esse crebris rumoribus apud nostros iactabatur. Rursus Cathalonii apud Pontif. max. altera ex parte instabant, hoc ipsum petentes: & fortasse impetrassent pecunia oppugnantes, nisi Laurentius Putius cardinalis, Hispani nominis studiosus haberi volens, regium legatum admonuisset, qui Ximenium certiorem hac de re fecit: cuius auctoritate & monitis, Cathalonii summum Pontif. sollicitare destiterunt. Ad Carolum verò mirari se Ximenius scripsit, quod ex sacrosancti Tribunalis legibus, que

per

per reges catholicos tam accurato consilio examinata & explorata fuissent, quicquam mutari (vt aiebant) permisisset. Priuatim quoq; doluisse, quod se adiutore & hortatore id esse factum à quibusdam iactaretur: cū apud Pontif. Maxim. Cathalonij, ne id consequerentur, ipse potissimum impedimento fuisset: & multo antè apud auum Ferdinandum rei nummariæ inopia laborantem, quando bellum Nauarrense gerebatur, intercessisset, ne sexcenta aureorum millia acciperet, quæ modò annuisset, continuo numerabantur: qui Christianæ religionis cultum & obseruantiam, atque in Deum immortalem insignem pietatem, pluris quàm diuitias & auri aceros faciens, illius tribunalis leges stabiles ratasque manere voluit. Haberet itaque in oculis tam præclarum & recens aui sui exemplum, ne quid mutandum in cognitione causarum, quæ ad religionem pertinent, censeret. Nam quicquid ab aduersariis obiciebatur, sub regibus catholicis in vtrunque partē satis disputatū fuit: & hanc vnicam viam fuisse repertam, qua religioni labanti cōsuleretur. Quare si à Deo Opt. Max. incrementa etiā suscipere, & exornari cuperet, eandē quoq; viam iniret, qua eius aui perpetuam sibi gloriā pepererat. Nam vt cætera exempla taceret, vnde satis constaret legem de testium nominibus non edendis immotam esse oportere: illud recensere velle, quod nuper in Talabricensi tractu acciderat: nouum quendam è Iudæo Christianum ad tribunal Inquisitionis appellatum, qui absolutus, cū in testis cuiusdā notitiam deuenisset, insidiis in solitudine dum iter facit circūuenit, & hasta transfixit. Tanta enim est ea ex re infamiæ acerbitas, & tanta turpitudinis nota inuritur, vt si hoc remedio non succurratur, permulti ad hunc modū non solum in solitudine, sed in foro ipso & iudicum subselliis, perituri atrociter sint. De quibus omnibus, si certior fieri accuratius cupiebat, habere apud se Alphonsum Manricum Cordubensem Episcopum, & Lupum Aialam procuratorem suum, qui rerum istarum magnam cognitionem tenerent. Carolus religiosissime se gerens, qua virtute ab illis adeo initiis ad vltimam vsq; ætatem semper enituit, Ximenij consilium secutus, sacrosancti tribunalis auctoritatem conseruauit. Agebatur per ea tempora, de Bernardino Carauajalo Cardinali, in Seguntinum Episcopatum restituendo: nam coniurationis in Iulium secundum Pont. Max. causa, cuius ipse princeps est habitus, sacerdotiis omnibus priuatus, insuper Senatu motus, vitam ignobilem & extorrem traduxerat. Cæterum Leonis x. benignitate, & Caroli regis fauore in Senatum iterum receptus, omnia ablata restitui postulabat, sedulo id Ximenio contendente. Successerat ei in Seguntina ecclesia Federicus Portugalius, regio Aragonum sanguine, & familiæ nobilitate perquam illustris. Magni nominis aduersarius Carauajali negotium dubium reddebat: nam quanuis & regis voluntas, & Ximenii conatus Carauajali causam tuebantur, aderat ex vniuersa nobilitate Federico patroni, qui rem per tumultum acturi credebantur. Nam Inachum Mendozium Infantatus ducem, qui nuper ingenti omnium, sed potissimum studio forū mœrore, quorum ille patronus & fautor semper fuit, anno m. d. lxxv. sub mensē Septembrem satis concessit, dicentem audiui, se eo tempore ad Ximenium à patre Didaco missum, atque cum eo multum expoſtulasse, quod in Federico exturbando tantopere laboraret, quem Isabellæ Aragoniæ quam nuper ipse vxorem duxerat, non vulgari propinquitatis gradu cōiunctum nosset. Quæ cū liberiori oratione à se dicerentur, Ximenium quantis irritatum, magno artificio responsum temperauisse: nam & illum seuera oratione corripuisse, & ita blando sermone intermisso iuuenili feruore excandescentem demulisse, vt inde Ximenij studiosissimus, quadamq; prorsus ingeniorum (vt Inachus aiebat) sympathia erga hominem amplissimum affectus discesserit: sæpeque mecum de eius animi magnitudine & constantia, singulari elogio, & honorifica & profusa mentione, egerit: cū alioqui grauis & excelſi animi vir, non nisi optimos & meritis homines testimonio suo, idq; parcè, cohonestandos duceret. Igitur dū de Carauajalo reducendo agitur, diœcesis Seguntina in diuersas factiones diuisa, nonnulli Carauajalo, alii Federico studebant. Hæc cū in dies pertinacius agitarētur, similitudinibus in odiū gliscentibus, ad arma & rixas deuentū est. Est in ea diœcesi Alma-

S ij

zanum, oppidum ditionis comitis Montacutani, in quo tumultum hac de re ex-
ortum, non aliter sedari posse visum fuit, nisi quaestore per regium Senatum mis-
so, qui in eius auctores seuerissime de more animaduerteret. Hic, ut plerunque
huiusmodi iudices carnificinam exercere solent, in miseram plebem, terrorem
(ut aiunt) incutiendi causa, non modò insolenter, sed crudeliter & inhumanè sa-
uire cepit. Comes cum ad Senatum de eius immanitate & dementia retulisset;
nichilque tandem ab his prouideretur, subditorum iacturis consulens, Ferdinan-
dum Calderonum (nam id erat quaestori nomen) Almazano per vim expellit. Se-
natus Montacutanum, utpote læsæ maiestatis reum, & Adrianus Ximenii socius
acerbissime accusandum decreuerunt: diemque illi continuò dicendum. Id Xi-
menius nequiquam permisit, iureque suo id Montacutanum fecisse dixit, qui to-
ties apud Senatum questus, nihil remedii attulisset. Hoc autem quod de Carua-
jali & Federici controuersia diximus, Guterrii à Toletò Placentini præfulis mor-
te diremptum est: nam ea ecclesia Carauajalo per Carolum data, Federicus Se-
guntinam retinuit. His ad hunc modum sedatis, cum sub Ferdinando rege, vr-
bium & oppidorum præfecturæ obscuris hominibus plerunque committeren-
tur, per paucos ex nobilitate qui eas ambirent inueniebantur. Quocirca Ximenius
in hac quoque parte reipublicæ consulens, prisca nostrorum regum consuetudine
reuocata, viros ex omni nobilitate selectos, moderandis prouinciis præfecit: quo-
rum catalogum non pigebit facere, nam nonnulla eis acciderunt, quæ si præter-
mitterentur, non nihil series historiarum læderetur. Comiti Lunæ Hispalensem re-
gionem tradidit: Fonsalitano Callaicorum fines: Palmario Toletanos: Falcen-
tium marchioni Baecios in Bætica & Vbetanos: Ioanni Velezio huius fratri Pax-
augustanos: quos ad remotissimas Lusitanæ & Bæticiæ partes amandasse dicitur,
ut longè illos à Nauarris locaret, quorum permulti Alebriensis, non ita pridem pulsi,
desiderio non vulgari tenebantur: Petro Reginoso Giennenses: Ioanni Zapata
Madrilenfem Astigitanos: Alcaratios Alvaro Luxano: Villenates Antonio à Cor-
duba: Bernardino Menesio, qui Talabricensium ad Oranum (ut diximus) dux fuit,
Murgitanos: Guterio Quixadæ Conchenses: Gaditanos Alphonso Guzmano:
Bernardino Astunigæ Molinenses: Petro Castillo Agredenses: Alphonso Syluæ
Toletano Trusillanos: Didaco Gomecio Aialæ Placentinos: Ioanni Sandio Ca-
rauajalo, Cardinalis fratri, Salmanticenses: Bertrano Gueuaræ Madritenses: Pin-
tians, cuius prouinciæ administratæ rationem eo tempore præfectus reddebat,
Lupum Zapatam, ut inuenio, designauit: Abulensibus Bernardum Matam Gua-
dalajarensem: Legionensibus Gonsalum Ayoram, de quo in Africana expeditio-
ne diximus: Sancti facundianis, & Carrionensibus Sanctium Brauum: Ioannem
Gaitanum Malacitanis. Qui quoniam sine honesta excusatione Ximenii manda-
tum, & regias tabulas de Gaitano recipiendo contempserunt, palam intermina-
tus est, se iterum aduersus eos militares cohortes misurum, quæ sine vlla veniæ
spe eorum fines hostiliter diriperent. Palantini tamen & Cantabri, quantum nobi-
libus præfectis caruerunt, duos insignes iuris peritos fortiti sunt, Leonem & Cal-
laicum: quorum secundus in examinanda Ferrerii præfectura, quæ Toleti aliquot
annos sub Ferdinando tenuit, præclaram operam (ut diximus) Ximenio commo-
dauit. Lauretanæ tetrapoli cum Rengifum sancti Iacobi commendatarium desi-
gnasset (hic autem est quem de morte Ferdinandi nuntium ad Belgas venisse scri-
psimus) & plusquam annum, quod tempus ad capeffendam prouinciam more ma-
iorum definitum est, non impetrato commeatu, abfuisset, Villaroellum iuris item
peritia clarum, & rara quadam prudentia præditum successorè extemplo dedit: qui
cum iam proximè Lauretum accessisset, per ministros, quos fortè præmiserat, cer-
tior est factus, tabulas regias è Belgio venisse, quæ Rengifo præfecturam pro-
gabant: & eius vicario facultatem dabant, ut si quis alius præfectus mitteretur, aut
eum non susciperet, aut in vincula coniceret. Id iniquo animo Ximenius acce-
pit, atque ea de re apud Carolum & Belgas proceres multum exposulâs, indignis-
simè secum agi scripsit, prorsusque contra factas inter ipsos pactiões: conuenerat
enim ut officia ad exequendam iustitiam pertinentia, quæ aut annum, aut bien-
nium

nium durabant, Ximenii arbitrio distribuere. Tum quòd illi tam longè ab-
sentes, parum priuatorum hominum dexteritatem, aut ignauiam cognoscebant:
tum quòd prouinciarum præfecti ni à Ximenio designati fuissent, parum obse-
quentes ei futuri erant: quandoquidem & quos ipse præfecerat, & quibus magi-
stratum abrogare etiam poterat, sæpe imperata facere impudenter negabât. Pro-
inde mirari se dicebat, cur sententiâ mutassent: timereque maximè, ne ipsis rerum
nostrarum & legum ignaris, à maleuolis & pessimis fucus factus in ea re fuisset. Ca-
rolo in memoriâ reducebat, quemadmodum non ita pridem per literas priua-
tas iussisset, ut eis continuò successores daret, qui à regionibus & prouinciis tradi-
tis ultra tempus à iure præscriptum quauis de causa abessent. Itaque partim eam ob
rationem, partim quòd Lauretana tetrapolis per præfectorum absentiam, ut sunt
mores illorum hominum, graue damnum capere solet, Villaroellum ad eos misisse:
cuius ea erat experientia, autoritas & doctrina, ut vel Toletanæ præfecturæ par
esse posset. Si quis Ximenii naturam æstimauerit, generosumque illud & contume-
liæ impatiens ingenium in re præsertim tam manifestè iniusta, durum id accidisse
arbitrabitur: sed in hoc quoque prudentiæ suæ documenta dedit. Sentiebat enim
aliter fieri non posse, quin in tanta rerum & negotiorum mole, vbi ipse vica-
rio nomine regnabat, per multa interdum per regem absentem irritanda forent,
quæ ille grauius & iuste procurauisset. Sed eius animum non mediocriter exacer-
bauit Burgenfis vrbs præfectura, quæ se inuito & renitente, Belgarum fauore Pe-
tro Castellæ madata fuit. Is enim nescio quas ob causas à Ximenio neglectus, cum
nichil vnquam ab eo impetraret, ad Carolum traiecit, & Belgis aulicis curantibus,
Burgenfis vrbs præfectus constituitur: & in Hispaniâ veluti de Ximenio trium-
phaturus reuersus, eo in salutato & inconsulto, prouinciæ curam & moderationem
cepit. Multa ab eo in gratiam Inachi Velasci comestabilis affinis sui, qui semper in
ea vrbe primarium locum tenuit, facta sunt: multa item regio nomini & iuri offi-
cientia. Nam inter alia Laræ arcè, quæ regio custodi ad eam prouinciam in officio
continendam, per præfectos regios committitur, pernicioso cõsilio Burgenfi Se-
natui, contra pacta olim cum maioribus conuenta, custodiendam & tenendam tra-
didit: quantum Pomareda, qui tunc Ximenii iussu in eius acta, qui eo magistratu
abierat, inquirebat, vehementer intercederet. Burgenfes eius arcis custodia, pa-
rum prudenter Giofredum Condannium Belgam, Philippi I. regis hospitiorum
metatorem, qui ius ciuitatis apud eos obtinuerat, præfecerunt, hominem dicacem,
& Velasco familiarem & assiduam. Hisce omnibus commotus Ximenius, quid
Burgis ageretur ad Carolum scribit: eumque per literas hortatur, ut Giofredo ho-
mini ad eam rem inepto, eius arcis custodia auferatur. Idem censebat cum Petro
Castella præfecto faciendum, si Galli aut Nauarri bellum rursus, ut dicebatur, in-
staurarent. Vtrunque verò esse à Carolo prouidendum, ne ipse cum Burgenfibus,
aut cum Petro Castella in certamen descenderet. Cum tamen de his rebus cum
Didaco Castella templi Toletani decano agerem, viro grauissimo, acerrimi que iu-
dicii, & qui rerum nostrarum non mediocriter notitiam habet, mirari se aiebat, quòd
Petrus Castellæ homo simplici & generoso animo, moribusque prorsus innocentibus,
quicquam aduersus Ximenium tentasset: cum non ita pridem sub Ferdinan-
do rege Philippum Castellam Petri fratrem, Didaci decani parètem, à Ferdinan-
do rege neglectum, ut qui Philippi generi partes sequutus fuisset, Ximenius mul-
tos dies benignissime fouerit & aluerit, donec ad Carolum traiecit. Burgenfes ve-
rò Ximenii indignationem veriti, sub prætextu Mázanetum cõmendandi, quem
ex arcanis Ximenii notis Pomaredam nuper appellauimus (sic enim illum appel-
lare libuit, nomine in Latinam linguam inclinante) quòd secretius ageretur, episto-
lam reuerentiæ plenam de eo non abrogando ad Ximenium miserunt, nonnullis
interim commemoratis, quæ ille ad reip. vtilitatem facere exorsus, ad finem per-
ducere si vrbi ultra præfuisset studebat: quale est, de municipalibus Burgenfium
legibus, quæ dispersæ iam diu, insigni reip. nocumento vagabantur, colligendis &
emendandis: item de tota Burgenfi regione lustranda, deque multis fundis & vecti-
galibus, de agrorum etiam limitibus, in ea per priuatos homines vsurpatis, ad pu-
nium

blicos vsus restituendis. Nam cum de eius voluntate in Manzaneto conferuando certi essent & securi, nunquam in animum induxerunt, praefectum ad eam urbem Ximeno inconsulto è Carolo missum iri. Quod tunc planè insolens & insperatum accidisset, alioqui ipsi apud Belgas, tam pro debita in Ximenium obseruantia, quam pro magna in Manzanetum caritate, quam ob eius singularem in reipublicæ utilitate procuranda industriam conceperant, summè fuerant curaturi. Porro Giofredus, quid de se Ximenius ad Carolum scripsisset certior factus, vt erat dicaculus, & scurrili penè licentia, Ximenii acta cauillis & calumniis, atque amaris diceriis apud Carolum & Belgas traduxit. Multos ad magnos honores Ximenius euexit, quos non est operæpretium recensere: vnum tamen aut alterum propter eorum celeberrima & clarissima nomina, & blâdissimam fortunæ indulgentiam, quibus ad excelsas dignitates obtinendas gradus certè per Ximenium est factus, obiter annumerabo. Cum Dertuensîs Episcopus, qui in Aragonia Inquisitionis maximi officio fungebatur, diem suum obiisset, ad Carolum accurata oratione Ximenius scripsit, idque suo procuratori studiosè curandum summopere commendauit, vt Adrianus Florentius imperii focus, Dertuensî ecclesiæ, & sanctæ Inquisitionis officio sufficiatur: hominem enim esse syncerum & probum, ab omni que profus avaritia alienum: externorum insuper natalium causa, ad prouinciam factiosam illis in rebus moderandam perquam accommodum. Nam se Inquisitionem Castellæ, & illo Aragoniæ tenentibus, omnia ritè & religiosè procuraturum iri. Dertuensem ecclesiâ Adrianum obtinuisse certum est, quæ aditum illi ad purpureum galerum, & deinde ad summum Pontificatum aperuit: de Inquisitionis officio dissimulatum est. Cordubensem itidem ecclesiâ Episcopo carentem Alphonso Manrico Paxaugustano, reguli Najarenfis filio, tradendam curauit: Paxaugustana verò, quam nunc Pacensem vocant, vt Motæ Burgenfi, regio secretario, homini Theologo mandaretur effecit. Manricus postea ad Hispalensem conscendit, & Ximeno mortuo Inquisitor maximus fuit. Motæ verò Palantina ecclesiâ cohonestato, cum iam prope culmen constitutus esset, morte præoccupatus, purpureo galero & Toletano pontificatu frui non licuit. Morte instante orationem grauitatis & sanctimonix plenam ad suos familiares habuisse fertur: in qua postquam de fallaci hominum spe, de rerum mortalium inconstantia disseruisset, binas literas ex scrinio loquod ad manum habebat deprompsit, alteras summi Pontificis galerum offerentis, alteras Caroli iam tum Cæsaris nomen adepti, quibus vt eius salutem diuè virgini Deiparæ, quæ Toleti pietate maxima colitur, commendaret hortabatur: & vt ipse etiam vicissim firmus & incolumis, illius ecclesiæ moderandæ curâ susciperet: quæ omnia (inquit) morte impediri videtis. Sed necessitati, aut diuinæ potius voluntati parendum est, quæ hominibus Christianis quod vtilius ad salutem æternam est, proculdubio tribuit. Quare ego me diuino arbitrio libentissimè committo, & vos etiam quanquam multum perire vestris commodis sentiat, debetis summi Dei decretum patienter ferre, & omnes vitæ vestræ rationes, illi vt patri indulgentissimo permittere. Sed illud memorabile est, vt prudentissimos etiam homines dormire nonnunquam intelligamus. Fuerat Mota regi Philippo Caroli patri à concionibus, post cuius mortem cum parum Ferdinando catholico esset gratus ad Belgas traiecit, vt & cæteri Philippi ministri, sed fasciculis literarum quos à nostris regulis susceperat oneratus: nam illi in Ferdinandi odium, Maximilianum imperatorem ad Hispaniæ gubernationem euocandum curabant. De eare Ferdinandus certior factus, cum Bernardino comestabili genere suo re communicata, vt magnanimum regem decebat, Motæ profectioem neuiquam impediuit, satis enim habuit hominis conatum eludere. Nam Bernardinus Burgos profectus, vbi itineri necessaria Motam conuolare intellexit, fasciculos quos dixi literarum, per sedulos ministros clam subtrahendos curauit: quod facile vix eâ in vrbe potentissimus efficere potuit. Venit ad Belgas Mota, nihil omnino de interceptis literis suspicatus. Eius aduentus, qui iam regulorum literis innotuerat, cupidè ab omnibus expectabatur, quos ipse iam præsens alacriores erectiores

rest

resque reddiderat, omnia regulorum nomine pollicendo: in cuius rei fidem, cunctorum ferme literas se adferre iactabat. Sed apertis vasis, vbi sublatas esse vidit, Bernardini actu & calliditate id factum fuisse, facile Carolo, & Belgis qui Ferdinandi diligentiam nouerant, vir alioqui facundus persuasit. Cœperat Mota, vt homo parum cautus negligi: sed paulatim virtutis suæ multis in rebus specimen proferens, Caroli & Belgarum approbationem meruit: eamque gratiam tandem consecutus est, quæ in summo (vt dixi) fastigio illum collocauerat. Talis Ximenius in exornandis nobilibus fuit, talis in viris præclaris adaugendis: quos non solum magistratibus, beneficiis, sacerdotiis, aliisque multiplicibus emolumentis profectus est, sed etiam honorificos titulos, aut ipse per se dedit, aut per Carolum dandos curauit. Ioannem Paciecum Pacieci Aſcalonii filium, comitem titulo sancti Stephani, patre petente, ipse nominauit. Guilielmus Peraza ex Aialæa familia, Gomerae Comes (quæ vna est ex insulis fortunatis) esse cupiebat, vt per Carolum appellaretur Ximenius effecit. Nam vt ex eius epistolis constat, Guilielmus præter suam dignitatem, & claritatem generis, Ximenii beneuolentiam priuatis officiis, regis autem multis obsequiis abunde quidem demeruerat: quare si illo titulo cohonestaretur, gratum sibi magnopere & voluptati futurum ait: præsertim cum ex hac re nihil regis commodis deperiret, imò verò eius maiestas & fides magis dilataretur: profususque id fieret, quod in prouerbij speciem à nostris hominibus iactatur, vt concubina in matrimonium illi collocaretur. Quod huic comitis titulum per regem conferri voluerit, Pacieci autem filio per se contulerit, id opinor in causa fuit: quod de Guilielmi titulo prius est actum, & ad suam modestiam pertinere putauit, vt per regem id faciendum curaret, ne ambitione aliqua eam quoque facultatem rege inconsulto sibi assumere videretur. Laudauit eius prudentiam Carolus, quod facultate concessa vt noluisse, & vt posthac audacius se gereret imperauit. Quare in Pacieco condecorando, anno sequenti suo munere functus est: vt Carauajalus in annalibus scribit.

LIBER SEPTIMVS.



NONVS decimus sextus rebus suprâ narratis componendis moderandisque effluxit: decimus septimus qui Ximeno fatalis fuit, & quo Carolus in Hispaniam nauigauit, varios regulorum motus, difficiles exitus, populares denique tumultus habuit. Hi quoniam anno proximo iam cœperant, & ferme vsque ad Caroli aduentum durarunt, in principio huius voluminis narrabuntur: vt postea minus impedito sermone contentiones cum regulis habitas edisseramus. Postquam Ferdinandus catholicus obiit, Carolus per literas & frequētes nuncios pollicitus est, se vere in eunte (nam sub extremū Ianuariū Ferdinandus obierat) in Hispaniam vela facturum, quod omnibus ciuitatibus mirū in modum gratū fuisset. Veruntamen cum eius aduentus per totum eum annum dilatus esset, multa que interim accidissent, in quibus Ximenii gubernatio non satis æqua quibusdâ videbatur, iis nempe, qui rege absente res novas moliri decreuerat, vnde eorū patrimonia auerentur: Belgæ rerum nostrarū imperiti, & auri Hispani auidi, multa sacerdotia & officia, tum publica, tum priuata, externis hominibus, & nostratibus nonnullis, sed parū idoneis, vt Carolus tribueret effecerunt. Exportabatur interea ingens pecuniæ vis ex Hispania nemine prohibente: cœperunt populi rem præsentire, & in fraudem reip. fieri clamabant. Accesserunt reguli nonnulli Ximeno infesti, qui vulgus iactarent, & vt rex quamprimum veniret flagitarēt: & vt Belgis relictis, deuotâ Hispaniam viseret adhortarentur, quæ illi potentiæ neruos, regiæque adeò maiestatis splendorē, vna potissimum, inter amplissimos quos teneret principatus, daret. Cū autē annum elapsus esse, & adhuc etiam differri regis aduentum animaduertarent, variisque rumores dispersi sunt, in multò longius spatium protrahi affirmantes.

S iij

Gravius itaque fremere, & vrgentiùs instare: nam Galli quibus Carolum in Hispaniam venire molestù & graue erat, cum natalis soli amore captum Hispaniam auersari iactauerat. Quare rationem accommodam excogitasse, qua sui cupidissimis populis fucum faceret, sibi que rursus morâ amphorem neceret, qui duram & molestam populorum moderationem, suo ingenio & iuuenili ætati parû aptam fugiebat. Ergo decreuisse mentiebantur, simulatq; classis Hispana in Belgium venisset, omnibus in speciem nauigaturi apparatus, incunctanter nauim conscendere, & iubere vt anchoræ soluantur: sed statim nauseam vehemètem simulaturum, cuius prætextu in Morinos ad portum relictum esset illi redeundum. Alii verò Galum in animum induxisse aiebant, omnibus modis eius in Hispaniam aduentum impedire: proinde Belgas aulicos parum honestis conditionibus apud Gallû curare, vt per Galliam iter Carolo cõcedatur. Illud Ximenius falsum fuisse affirmabat: hoc verò quod verisimilius videbatur, si ipse audiretur, nequaquam esse faciendum censebat. Gallos enim semper nobis infidos fuisse: quare ne in custodia apud Gallum retineretur, donec Neapolim & Nauarram traderet, vereri se dicebat. Rem esse inconsiderantię plenam, & reipublicæ vehemèter perniciosam, per Galliam iter facere, in tam verisimili perfidiæ suspicione, nisi rex Galliarum sibi obfess interea daretur. Nõnihil hi motus compressi sunt, Laxai Belgæ per id tempus aduentu. Is enim quod & Philippo regi amicus fuerat, & Carolo filio tunc à cubiculo esset, peraccommodus visus est, ob acutum etiam & sagax ingenium, qui Ximenio & Adriano tertius ad remp. moderandam accederet. Reguli qui in Ximenii inuidiam multa scripserant: eius potentiam in triumphatum diuisam, infractâ & imminutam fore sperabant. Nam & Adrianus eorum suafu, & instigatione ad Belgas scripserat, se imparem esse ad Ximenio resistendum, quod vir superbus & cõfortis impatiens, sua voluntate omnia moderaretur. Populi qui rebus nouis statim capiuntur, aliquid quod suis postulatis satisfaceret attulisse Laxaû rati, tandiu interquieuerunt, donec alterum Adriano similem (hoc est desidiosum, & remissum hominem) temporis tantum eximendi causa missum esse, intellexisse se dicerent. Reguli tanquam id in Ximenij contumeliam factum esset, palam exultare: omni gratulatione Laxaum excipere: omni cultu & reuerentia, non tam ex animo, quã Ximenii æmulatione, prosequi. Ximenius verò fortitudine animi, & perpetua vitæ constantia subnixus, quanuis in suæ autoritatis fraudẽ Laxaum venisse aperte intelligebat, adeò id dissimulante tulit, vt non secus ac si rex aduenisset, omnes regij comitatus ordines Madritum aduentanti prodire obuiam iusserit. Is enim primus Caroli nomine ad nos veniebat, post regis titulum assumptum. Reguli Ximenij imperio non expectato, clientibus quisque suis stipatus, in occursum certatim processerunt. Adrianum nuntij Romani (duo enim tunc aderant) Burgensis item Antistes, & Antonius Fonseca frater comitabantur. Maximi etiam præfecti militarium religionum commẽdatarijs longo agmine præeuntibus, præfectus vrbis, & ordo decurionum nobilitate municipali adiuncta, Aragonij legati, & postremò amplissimus regij Senatus ordo, cui sanctæ Inquisitionis, & regij census, ac priuararum rerum præsides, maiestatis ergo se adiunxerunt. Simul etiam processit Episcopus Abulensis cum Ximenij familia. Huic se comites in Ximenij gratiam addiderunt, Ascalonius Villenatum marchio, Gironius Vrennatum Comes, marchiones Comarésis & Aquilarius, & Beltranus Cueua, Alburquercij ducis maior nati filius, comites Oropesanus, & Fernandus Andrada, & Bernardinus Clunienfis, & Aiala Fonsalitanus, & quem Ximenius Stephani titulo nuper insignierat, Ioannes Paciecus Ascalonij filius: præterea nobiles alij viri permulti, quos Gonsalus Ciaconius ducebat: nam marchio Plegianus, & Palmæ Comes, suis vterque gẽtilibus cinctus, Abulensi adhæsisserat, nisi tunc populari fluxionis morbo, quem rheumatismum Græci vocat, laborassent. Magna mentio huius morbi inter illius temporis scriptores est: neque enim Hispaniam solum, sed Belgas etiam & Gallos, atque ferme vniuersam Europam, epidemiæ cuiusdam instar, inuaserat: quem admodum & nostrætate accidisse vidimus anno M. D. LVII. Nemo enim adeò salubri victu, aut selecta diætã est vsus, qui nõ vi fluxionum febriculis & rigoribus

corruptus, pestilentem ægritudinem senserit. Vidiq; ego cenobia & collegia cum ceteris ferme sodalibus decumbentibus, languorem illum importunum sensisse. Nostrates vt cauillis gaudent, quod ille morbus Ximenii tempore priores Belgas inuassisset, hoc vnum malorum defuisse dicebant, quod ad nos Belgæ cum cæteris miseris transmitterent, lentam rerum moderationem & ignauos qui mittebatur præfectos subnotates. Igitur hi omnes obuiam processerunt: solus Ximenius personæ quam gerebaratione habita, domi suæ manfit, & ad secundas cubiculi fores progressus venientem hospitem excepit. Et quod rarò solebat, ea nocte opiparè & apparatus illum accepit, & omni sermonis comitate est profecutus. Sed quoniam palatii conclauia potiora Ferdinando Caroli fratri, Germanæ item reginæ, & Ximenio cesserant, donec locus hospitio accommodus in eo appareretur, Abulensis in Laxaigratia à cubiculo suo migravit. Reguli interea ad Laxaum ventitare, & oblique vt Ximenio se in omnibus opponeret instare: illumq; velut in hostem instruere & armare. Sed solurum tenorem in moderanda rep. Ximenius seruans, hominis ingenio perspecto, qui ad risus & iocos pronior erat, quã ad res eû grauitate tractandas, quod à Ximenii moribus in primis alienissimum erat, rarò illum ad negotia vocabat. Quod si quando vt id faceret necessitas vgeret, Adriano primas tribuebat. Accidit vt cõplures tabulæ reginæ ad diuersos reip. vsus expediendæ fuerint, quã occasionem Adrianus & Laxaus iam tunc captantes, regulis fortè submomentibus, ad se primò tabulas deferendas curarunt, & priores partes chirographo suo occupantes, nouissimum locum Ximenii chirographo reliquerunt. Quæ cum ad Ximenium delatæ essent, ambitione Belgarum animaduersa, vanam illorum arrogantiam cõtempfit: & accersito scribæ, vt tabulæ omnes quæ ad eum modum signatæ erant, rumperentur iussit: & totidem suo tantum chirographo notatæ scriberentur, & ad negotia quæ gerenda erant mitterentur. Hunc morem ad regis vsque aduentum Ximenium tenuisse certum est: cum ante hoc factum ab Adriano simul signari permitteret. Nihil Belgæ repugnare sunt ausi, sed illis tanquam quartæ personæ scenæ seruientibus, solus Ximenius imperium exercebat. Magis ac magis ab eo facto indignatio æmulorum ad Ximenium inuidia onerandum creuit: Belgæq; ipsi quanuis de eius integritate certi, nescio quo pacto subuereri cõeperunt, ne ille tandem potentia abutens, sibi & Carolo negotium faceferet. Ideo Armaistophum virum grauiorem, & cubiculo regio præpositum, certis de rebus legatum, pari cum aliis potestate mittendum curant. Sed quoniam Ximenius, quem admodum de Tirefia ab Homero proditur, solus inter illos sapiebat, neque tertii legati præsentia est fractus, aut segnior in rebus gerendis fuit, aut quicquam de constantia sua remisit: sed ipse solus quidquid è reipublicæ utilitate faciendum videbatur, parum illorum sententiis expectatis, singulari præstantia exequabatur, Belgis quoque qui apud Carolum erant nihil contra imperare tentantibus. Quæ res etsi non mediocriter autoritatem Ximenio auxit, causa tamen implacabilis odii fuit, quod Ximenio mortem maturasse constantissimè postea est creditum. Igitur Belgis Ximenii vires per id tempus extenuare cupientibus, de variis hominibus in Hispaniam cum potestate mittendis cõceptum est agi. Nonnulli Maximilianum Imperatorem, alii Ludouicum comitem Palatinum, Carolo propinquitate coniunctum, multi Seluagium magnum Cancellarium, huic rei idoneos & necessarios designabant: nec deerant qui etiam Ferdinandum puerum ei muneri præficiendum admonerent. At Maximilianus imperii & Italiæ rebus impeditus erat: Ferdinandus verò non modò propter ætatem, sed ob fraterni gradus cognationem parum commodus esse iudicabatur. Nam à Ximenio aliàs scriptum meminerant, Ferdinandi custodiam non esse negligendam: cuius prætextu reguli, si res nouæ cordi essent, magnos tumultus excitare possent. Nonnulli placebat, vt Palatinus quasi custos Ferdinandi pueritiæ daretur, legati potestate in Hispaniam veniret. Sed complures in Seluagium inclinabant. Hæc cum essent Ximenio nuntiata, ne vllum sibi focium mittant, qui cum sit perpetuò rixandum, per literas grauissimis rationibus plenas, conrinuò egit. Quod si aliud animo sederet, de successore mittendo cogitarèt, quem

moderandæ Hispaniæ præficerent: se enim in diœcesim suam concessurū. Palati-
nū Ferdinando custodem venire sibi non displicere, sæpe enim cogitasse de ma-
gistris eius amouendis, totaq; adeò familia immutata. Se quidē hætenus pro re-
giæ maiestatis obseruantia, & quā reip. debebat caritate, in ea moderata & regen-
da integritate omnem præstitisse: nunc aut̄ cum propter regis ætatem, & quorun-
dā auaritiā, magis ac magis conatus suos & voluntatē impediri videret, vereri
se, ne magna aliqua calamitas ex populatibus seditionib. aliud agentes opprimat.
Quare Toletum se recipere decreuisse: vnde velut è portu fœdam tempestatem
iam imminentem, & aliena pericula spectare possit. Hæc autem mala vitari vnica
posse ratione, si rege aduentum in Hispaniam differente, omnia munera, quæ ad
iustitiam conferuandam pertinerent, sine vlla exceptione sibi vni prouidenda
concederentur. Sic enim futurum esse, vt iudices tribunalium regionum, & eo-
rum præfides, capitales regii comitatus quatuorviri, & vrbium præfecti, cœsus et-
iam regii procuratores, ex quorum fide & integritate regiæ potentiæ nerui omni-
no penderent, militaria item præsidia, eorumque duces & limitaneæ præfecturæ,
arcanorum negotiorum & secretioris consilii comites, neque ad Belgarum quen-
quam, neque ad ipsum quidē Carolum donec adolesceret, sed ad se vnū pertine-
rent. Præfecturæ verò militarium ordinum, & Episcoporum designationes, regiæq;
liberalitates & largitiones, Caroli arbitrio relinquenterent. Nam se id vnū cura-
turum, vt reip. dignitas nō imminuatur, & vt regius census terrori hostibus sit, &
ius suum vnicuiq; tribuatur. Quæ omnia laboris & sollicitudinis sunt plena, & Bel-
gis propter rerum nostrarum incitiam, & Carolo etiā propter ætatem, minus con-
uenirent. Belgæ tam libero, aut potius audaci, vt illis videbatur, Ximenii sermone
conterriti, hominis integritatem & potentiam cōsiderantes, qui vnus inter Hispa-
nos si qui motus orirentur reprimere poterat, dissimulato quem ex eius dictis cō-
ceperant dolore (aditum enim ad temp. illo viuente interclusum sibi videbant) ni-
hil amplius de alio legato mittendo consularunt, sed de Carolo diutiùs detinen-
do, & Ximenio qua possint arte placando: sic enim velle nollet, argento Hispania
exhaurienda erat. Quòd si Carolus tandem venire cogeretur, de Ximenio tollen-
do deliberasse, peruulgatum fuit. Parum callido & prudenti consilio hæc tam a-
perte ad Belgas scripsisse Ximenius creditur. Nam certū erat, homines externos,
& Hispanæ pecuniæ percupidos, neminem apud regē esse toleraturos, qui se tanta
animi constantia, autoritate & potentia illorum cupiditatibus opponeret. Igitur
Belgæ tempore seruientes, Ximenii sententiam impensè collaudare: omnem con-
cordiam & consensum polliceri: hortari etiā vt cuncta suo arbitratu regeret: quem
solum reipub. salutarem esse aiebant. Carolum nauigationem maturaturum: id-
circo daret operam vt populi tantisper conuiescerent, donec ille rebus Belgicis
compositis, & idoneam tempestatem nactus, se Oceano committeret: ipse clas-
sem instructam primo quoque tempore mitteret, ne quid optatam profectiōnem
moraretur. Gratias illis Ximenius egit, & ex mutua concordia beatissimum rei-
publicæ statum proculdubio futurum affirmat: vt ex eius epistolis satis constat. 40
Maximilianus Imperator, quo inconsulto nihil tunc per Belgas agebatur, nepotis
dignitati consulens, & nauigandi dilationem ægrè ferens, Bruxellas venit: & Vil-
uordia proximo Bruxellis oppido mora aliquot dierum facta, crebra variis de re-
bus cum Carolo colloquia habuit: sed potissimum, vt Martyr scribit, de aduentu in
Hispaniam maturando. Nam principum res, vt ingentes & excelsas, ita fortunæ
ludibrio magis esse expositas: proinde occasionem continuò arriperet, ne locum
Hispanis cogitandi daret de reipublicæ statu mutando: nam populos iam tumul-
tuari intellexisse se aiebat: quos perbellè pullo equino sapientes comparasse au-
diuerat, qui cestro stimulante, hos & illos calcibus impetit, neque ab equa paren- 50
te temperat. Ximenius cui iam omnia quæ apud Belgas fiebant suspecta erant,
existimans Maximilianum in ea quoque sententia esse, vt Carolus quem succes-
sorem imperio Romano destinabat, profectiōnem in Hispaniam differret: aut
fortasse colloquia illa haberi, vt consiliis communicatis, tandem Maximilianus in
Hispaniam gubernator veniret: Chebrium ea colloquia vitanda esse grauissimis

rationibus admonuit, exemplis etiam in medium adductis de congressibus ma-
gnorum principum fugiendis. Porrò Hispaniæ populi dū vanis promissis de regis
aduentu se deludi vident, ad coitiones faciendas redierūt. Neq; enim iā dissimula-
tis technis, sed palam officia & magistratus apud aulicos Belgas venire vocifera-
bantur. Item amplissimā pecuniam summa diligentia à Ximenio confectā, quam
vt ad regis aduentum necessariam postulauerant, ad Carolum demum traiectam
fuisse, sed in alios vsus infumi affirmabāt. Porrò Seluagium, & Chebrium per Zu-
quetum iurisperitum, & per quendam supremi Senatus duodecimvium, regni
præfecturas, supremi Senatus cooptationes, cubiculi intimi ministeria & munera,
ita imprudenter & palam licitasse, vt horum officiorum possessoribus, quæ quon-
dam nobilitati ob merita, & antiqua in reges nostros obsequia offeriebantur, tur-
pissimam conditionem de pecunia paciscenda obtulerint, qua numerata nihil de
officiis auferendis esse timendum. His artibus innumerabilem pecuniæ vim per
Seluagium & Chebrium coactam fuisse, vulgò ferebatur. Idcirco Burgenfes Le-
gionensibus & Pintianis conuocatis, totaque adeò Campensi regione, de Belga-
rum cupiditate, & insolentia coercenda consilia ceperunt. Quibusdam rex hor-
tandus videbatur vt in Hispaniam illico veniret, aut si id minus facere eo tempo-
re possit, Belgas omnes è cubiculo moueret, quorum artibus, corruptelæ quas di-
ximus exercebantur: & homines Hispanos quorum probitas perspecta esset, pro
illis substitueret. Alii difficile id & graue existimantes, & metuentes ne eadē cum
Belgis labe nostri etiam inscerentur, publico populorum decreto statuendum
esse arbitrabantur, ne regi vilo pacto liceret, magistratum, præfecturam, sacer-
dotium, cuiusvis denique generis officium aut munus, externo homini concede-
re: & ne crebræ illæ pecuniarum traiectiones, quæ ferme in singulos menses fie-
bant, vllam deinceps ob causam exercerentur. Item ne consueta & statuta vestiga-
lia, quæ ad domesticos regis vsus necessaria esse iudicabantur, Ximenius incon-
sultis ciuitatibus mitteret: aliaque id genus permulta, quæ quanuis ex reipublicæ
commodis eo tempore esse videbantur, tamen regiæ authoritati officiebant: &
fenestra quædam formidabilis aperiebatur, qua caput populi sensim ostentan-
tes, paulò post omnia pudoris repagula essent fronte obfirmata perfracturi: quod
non sine miserabili & ingenti reipublicæ damno, nondum toto triennio elapso
post Ximenii mortem, fecisse nouimus. Multum in re maximi momenti inter ci-
uitates variatum fuit. Burgenfes vt ad viuum omnia refecarentur contendebant.
Pintiani & Zamorani si nonnulla in melius mutarentur, contenti erant, & pleraq;
Ximenii arbitrio permittebāt. Postquā de rebus emendandis conuenit, plebiscita
quædam iureiurando confirmarunt, interueniente Petro Castella, vrbis Burgen-
tis præfecto. Sed Federicus Zamoranus, qui in præfectura Legionensi Aioræ suc-
cessit, multò præstantiùs se gessit, vt Ximenius in epistolis testatur. Nā illius vrbis
decutionibus flagitantibus, vt plebiscitis sese iureiurando obstringeret, animosè
40 restitit, & peruicit. Legatos deinde ad Ximenium & Senatū regium miserunt, qui
apud eos causam reip. diuexatæ agerēt, & eorum sententiam & propositum, ni rex
quamprimum veniret, declararent: & simul ab eis peterent aliquem in locū con-
ueniendi potestatem, vbi singulariū vrbium legati de reip. necessitatibus tracta-
rent. Iusta esse populorū vota, & Ximenius & Senatus agnoscunt: videbatur enim
reipub. vastitas imminere, ni ea omnia quæ illi decreuerant, rege aduentum dif-
ferente, efficerentur: tamen motus populares verebantur. Et quanquam apertè
repugnare iustis postulatis non sunt ausi, tamen vt conuentus tantisper differrent,
donec de regis aduentu meritò desperare possent, rogant: nam propediem adfu-
turum fama erat. Interea Ximenius & Senatus literas ad Carolum de hisce omni-
50 bus copiosas dederūt: quas quoniam grauissimæ, & pietatis in regem plenæ sunt,
Latinas vtcunq; facere visum fuit. Ximenius gubernator, & Senatus regius Ca-
rolo regi salutem. Pro antiqua & fideli obseruantia, qua erga maiores, parentes-
que tuos, & nunc demum erga te ipsum obnoxii sumus: vt fidos ministros, opti-
mos ciues, & consiliarios incorruptos decet, tuis reipublicæq; commodis, ad quam
suscipiendam, tot regni hæredibus paruo temporis interuallo extinctis, Dei nu-

tu vocatus es, necessariò prospicere cogimur: teq; ipsum continuo admonere ea, quæ reipublicæ conuenire uisâ sunt, ita enim nos culpa vacabimus, & crimine neglectæ reip. aut potius proditæ, liberi crimus. Magni principes, & suspiciendi reges, tandiu à Deo potestati, & ab hominibus reuerentiâ consequi merentur, quandiu iusto & recto imperio populos eorû fidei cõmissos regûr. Id aut ab ipsis fieri, nullo maiori argumento intelligi potest, quâ si ad tantâ molem sustinendam, adiutores & focios quâ spectatissimos & idoneos elegerint. Neq; enim vnus aliquis quantumlibet præclaris dotibus & virtutibus excelluerit, rebus tam diuersis obeundis par esse potest. Nâ nihil aliud præclaros illos centimanos esse existimamus, nisi reges cõsideratos & sapientes, qui per egregios & probos ministros, æquè ac per seipios 10 regna sibi cõmissa tuerentur. Sed fabulosa ista relinquamus, maiorum tuorum res gestas, cæteris exemplis prætermisissis, intueamur. Enricus tertius atauus tuus, qui propter assiduas in ætate florèti imbecillitates, valetudinarius cognominatus est, cum se viribus corporis destitutum, regio muneri imparem videret, prudentissimo consilio vsus, viros literis, & moribus, & religione præstantes ad se accersitos, magno semper in pretio habuit; eisq; comitibus & consiliorum participibus ad eò remp. pacatam & optimè institutam tenuit, vt magno eius merito, successoribus optimi principis exemplû sit habitus. Contrâ Enrico quarto tuo maiori auunculo omnia dura & infausta cõtingerunt, quoniam eos rerum gerendarum suafores per summam fõcordiam apud se retinuit, qui nullo hominum pudore, nulla Dei im- 20 mortalitatis reuerentia, omnia sursum ac deorsum miscentes, grauissima mala reip. intulerunt. Sed quid in aliis commemorandis immoramur? an non aui tui catholici reges, satis magno documento esse possunt: quibus id vnum ante omnia curæ fuit, muneribus publicis viros egregios, quicûq; tandem ij essent, præficere. Vnde propriis ministris, & aulæ familiaribus prætermisissis, qui suo veluti iure hæc importunè solent extorquere, ignotos homines, nec sibi vnquam visos, quod essent meritis suis commendati, & publica opinione celebres, præter omnium expectationè ad res magnas vocarunt. Nemo illis regnantibus ambitus est conuictus: nemo lege Iulia de repetundis condemnatus: quod pro dolor, miserrimo hoc tempore frequens esse, magnopere dolemus. Fuit etiam illorû regum hoc præclarum 30 institutum, rarò cuiquam summa cõcedere, nisi per inferiores gradus deuolutus, specimen suæ probitatis & virtutis exhibuisset: vt pro cuiusque facultate & ingenio, hæc aut illa munera deferrentur. Qua nimirum ratione factum est, vt omnia suis numeris quadrantia, concentum quendâ in rep. constituerent, qualem nunquâ ad id tempus videramus. His igitur artibus & consiliis, vt de cæteris taceamus, remp. aliorum principum negligentia collapsam, & sicariis hominibus, atque tyrannicis violentiis vehementer afflictam suscipientes, tibi huc difficultatibus liberam, tradiderunt. Proinde cû Deus opt. max. sub cuius tutela reges estis, id tibi ingenium & iudicium dederit, eam prudentiam in iuuenilibus annis largitus sit, ijs denique singularibus virtutibus maiestatem tuam exornauerit, quales homini 40 principi necessariæ sunt, æquum est vt quæ diximus animaduertas, & quantum ponderis habeant consideres. Inuenies enim grauissimam cladem, & ingentem perniciem, si hæc contempseris, reipub. imminere: contrâ si hæc egeris, maximam quandam fœlicitatem promitti. Res vniuersæ à principiis suis pendent, & errores in principio solent minimo labore emendari, vt facillè in viam rectam redire possimus. Serò remedium parari à sapientibus dicitur, dum mala vires diutinas sumferunt: Quare tuis pedibus Hispania vniuersa supplex prouoluta, vt eius commo- 50 dis prospicias, vt hominum corruptorum cupiditates reprimas, vt gliscentia vitia cohibeas, vt tuorum regnorum tranquillitati consulas, te votis omnibus & precibus orat & obtestatur. Id autem facillè fiet, si Hispaniam amplissimam & nobilissimam regionem, suorumque principum obsequio deuotissimam, secundum leges patrias & antiqua maiorum instituta gubernari, & viuere cõcesseris, Vale. Carolus literis senatus receptis, vt erat mira præditus indole, quanquam duodeuigesimalium annum agebat, animaduertit sibi fideliter ab Hispanis consuli. Sed Belgæ inter quos ab infantia ad id ætatis vixerat, facillè in suam sententiam pertraxerunt.

Nam

Nam egregiè dissimulantes, & discessum pro virili protrahentes, solitas artes tanta impudentia, non solum in Belgio, sed in Hispania etiam post Caroli aduentum palàm exercuerunt, vt Seluagius magnus Cancellarius intra quadrimestre tantummodo spatium plusquam quingenta aureorum millia in Belgium miserit. Quod si Chebrii, & aliorum compilationes ad calculum reuocarentur, infinita pecuniarum vis asportata ex Hispania inueniretur. Huiusmodi rapinas causam seditionibus popularibus postea dedisse, quæ post Caroli ad Belgas reditum securæ sunt, proculdubio constat: sapienter enim ab antiquis legum latoribus dictum est, post munerum publicorum venditiones, illico bella intestina, & tumultus exoriri. Igitur populi cum nihil certi de Caroli aduentu audirent, & magis Hispaniam in dies exhauriri, ad propositum suum conficiendû redeunt. Ximenii & senatus fidem implorant, conuentus faciendi facultatem petunt, quibus tantummodo de rege accersendo, de legum nostrarum autoritate seruanda, de Belgarum aulicorum auaritia, de petitionibus officiorum per summum ambitum, reprimendis ageretur. Alioqui, si ipsi quoque in hoc dissimularent, se pro debita in remp. & regiam maiestatem caritate & obseruantia, non expectato senatus iussu, legatos super ea remissuros, & ne quid respub. detrimenti caperet curaturos. Non potuit Ximenius huiusmodi ciuitatum petitionibus contradicere. Itaq; in mensem Septembrem cõuentus populares indicti sunt, eosq; ad anni 20 extremum consultò reiecit, quod interea Caroli venturum esse crederet. Ea concessione mirum in modum ciuitates recreatæ, libenter, quanuis id sub Ianuarium agebatur, in autumnum vsq; quieuerunt. Ab eo die frequentes nuncios, & crebros literarum fasciculos, Ximenius ad Carolum, & ad aulicos Belgas mittere: aduentum in Hispaniam properare admonere: non esse negligendum quod ciuitates tentabant clamitare: nulla enim re magis populos insolescere, & reuerentiam omnem exhibere, quam cum libertatem loquendi nacti sunt, & pro libidine suas vulgo iactant querimonias: quas iustissimas esse facillè perditis hominibus, quorum magna est copia, persuadent: qui eo magis timendi videbantur, quod non sine fauore quorundam regulatorum ad id agitandum sunt concitati. 30 Quod si nauigatio in Hispaniam protrahenda erat, consultum fore videbatur, vt conuentus populares eo in oppido haberentur, vbi ipse & regius senatus aderat. Sic enim futurum, vt præsentia potentia regis cohibiti, minus essent arrogantes, & magis seditiosis vocibus parcerent. His demum atque aliis adhortationibus Ximenius apud Carolum effecit, vt sub extremum eius anni autumnum, classe quam ipse instruxissimam misit, cum Belgis aulicis in Hispaniam traiecerit. Varia interim de Ximenii voluntate apud Carolum, & in Hispania ab eius amulis iactabantur. Nonnulli ob id motus populorum sedulo ab eo comprimi aiebant, quod imperii splendore, & regnandi cupiditate captus, omnem occasionem studiosè tolleret, quæ Carolum cogere posset, vt in Hispaniam citius quam decreuerat veniret. Hanc enim ob causam pecuniam tam ingentem ad Belgas mittere asseuerabant, ne eius desiderio nauigationè maturaret. Quamobrem cum Chebrio coniuirasse affirmabant, & ab vtroque scenæ inseruiri. Nec defuerunt qui famosis libellis Ximenium, Chebrium, & Franciscum Ruizium, totius veluti fabulæ Dauum, scommatibus & conuiciis proscinderent. Alii verò popularem esse Ximenium aiebant, in inuidiam nobilitatis, cui iam diu infensus erat. Sed affictas huiusmodi calumnias semper neglexit: planum enim apud Carolum fecerat, quod neruos & conatus suos intenderet. Quare se conuentibus popularibus præfuturum, apertè in epistolis profitetur. Quod si secus tali tempore & occasione faceret, quid aliud esset, quam domesticis prædonibus diripiendam rem- 40 publicam deserere? Delibellis verò vulgò editis, in gratiam quidem Belgarum, quorum animi acriter erant commoti, inquiri iussit, sed non admodum diligenter. Viri enim fortes, suæ virtutis & præstantiæ conscii, contemnere solent huiusmodi latratus canum minorum: & id foliatium inferioribus relinquunt, qui diæternis dolorem viciscuntur. Alphonfus Castella Madriti præfectus, famosa illa carmina ad Adrianum & Laxaum detulerat: qui dentatis illis dictis minus

T

assueti, indignissime tulerunt se vulgo deridendos propinari. Quocirca minus admirationis habet, si Adrianus postea Pontifex maximus factus, Pasquini & Marphodii statuas, vbi famosi & ridiculi libelli in vrbe affigebantur, in Tyberim proici studiosè curauerit. Cui Suetianus Caroli legatus peropportuno sermone dixisse fertur: Si in flumen projicerentur, ranas illiusmodi mala carmina esse cantaturas. Quo dicto sic pontificis conatus repressit, vt amplius ea de re actum non sit. Toletum per hæc tempora Ximenius venit: nam de Caroli aduentu iam certus, ad Campensem prouinciam cum regio senatu transire constituerat. Quare eam urbem, quæ suæ diocesis caput est, priusquam discederet, inuisere decreuit: tum vt rebus sacris consuleret, & cœnobiorum muliebrium ædificia, quæ tam Toleti, quàm Illescis eius impensa surgebant, præsens videret. Adrianus itineri comitem se dedit: quem in Ximenij inuidiam, Syluanorum factio frequens esse secuta: tum quod in Aialæam Ximenius inclinare videbatur, tum etiam in Albani ducis gratiam, qui cum ingens simulatas Ximenio erat. Burgensis ciuitas de fœdere ad conuentus populares ineundo, Toletum sub id tempus legatos fortè miserat. At Toletani Portocarrero auctore, cui vulpes cognomen fuit, contentionis antiquæ cum Burgensibus memores, de primo suffragio in conuentibus habendo, in eo fœdere esse recusantes, indictis conuentibus renuntiauerunt. Quod Portocarrerus cum ad Ximenium detulisset, veluti eius sententiam quam sequi se velle simulabat, cogniturus: ille hominis calliditate perspecta, priuata sunt hæc (inquit) ciuitatum negotia, de quibus nihil à me distitari nunc debet. Ita ille delusus abijt, & Ximenius auctoritatem suam retinuit. Non minorem curam in sacerdotum turbis sedandis adhibuit, quæ sub id tempus etiam sunt exortæ, Leone x. Pontif. Max. ex Lateranensi concilii auctoritate, fructuum sacrorum decumam à sacerdotibus vniuersis exigente. Ea autem prætextu defendendæ Christianæ reipublicæ à Pontif. Maxim. petebatur. Nam cum Scimus Turcarum princeps Ægyptio rege (quem Sultanum vocant) deuictus, & per summam ignominiam vita priuato, potentiam suam aduersus Italiam conuersurus crederetur, Pontifex maximus oram maritimam tueri cupiens, & omnem aditum pro virili hostibus intercludere, vltima Concilii Lateranensis rogatione, ad sacerdotum decumam triennio cogendam, de patrum congregatorum sententia egit. Vehementer à nonnullis reclamatum est, quibus durum esse videbatur, sacerdotia huiusmodi exactionibus grauari, contra aliorum conciliorum decreta & pontificum sanctiones: præsertim regibus Christianis, quorum id officium erat, nec delectus militum nec classium apparatus ad eam rem facerentibus. At Pontifex maximus eam tunc necessitatem imminere, quæ in concilio Constantiensi, sub Martino quinto prænotata erat, contendebat. Quæ enim maior causa vrgere poterat, quàm publico Christiani nominis hoste, Italiam & Romanam urbem inuadere parante? Aragonii sacerdotes, quibus & Cæsaraugustanus antistes Aragoniæ prorex, & libertas qua iure illius regni omnes fruuntur, animos faciebat, Prouincialibus synodis conuocatis, de non pendenda Pontifici max. decima egerunt. Sed quoniam id Ximenii auctoritate facere, cuius summa apud Pontif. max. existimatio esset, plurimum intererat, Cæsaraugustanus & cæteri Aragonii antistites, literas ad Ximenium miserunt, quibus vt sacerdotum patrociniū suscipiat deprecantur, neque patiantur, vt se tantum auctoritatis & potentia habente, quantum nemini hætenus contigisse meminerant, sacerdotum immunitas tam magnum detrimentum caperet. Ximenius qui in Castellana prouincia id ne fieret cauerat, perhumaniter & benignè respondet, & omnem operam pollicetur ad ecclesiasticam libertatem conseruandam. Sed interea vt conuentus dissoluant monet, & rerum euentum quieti expectent: se enim cum Pontif. max. & rege Carolo ea de re diligenter acturum: & sperare, secundum sacerdotum vota negotia esse exitura. Igitur Carolum primum commonendum esse duxit: ad quæ in ea sententia se esse scripsit, vt quoniam Aragonii sacerdotes coactis per antistites suos synodis principum resistendi dederant, nostri quoque suos pariter conuentus facerent, vbi veræ causæ huiusmodi exactionum tractarentur: & an hæc

quæ

quæ à Pontif. Max. allegabatur, talis esset excuteretur: dummodo Hispanorum regum exemplo, non alibi quàm in regia curia sacerdotes conuenirent, ad hæc contouersias terminandas. Ad Arteagam verò suum Romæ procuratorem scripsit, vt Pontif. Max. reuerenter adeat, & Ximenii nomine non solum decimas suæ diocesis offerat, sed totos etiam fructus, & omnem ecclesiasticam suppellectilem, & quicquid auri & argenti facti, aut infecti, in thesauris sacerdotum, aut templorum sacrariis esset repositum: sed summopere oret, vt eius sententiam de belli facti apparatu diserte aperiat. Nam nisi iustissima de causa, nunquam se auctorem futurum, vt Hispani sacerdotes, quos iam ferè tumultuantes pacauerat, vectigales fierent. Iubet etiam procuratori, vt diligenter inquirat, quid de huiusmodi decimis imponendis concilium Lateranense decreuisset. Ea cum ad Pontif. Max. Arteaga retulisset, Laurentius Putius, & Iulius Medices cardinales, Pontif. Max. cum primis intimi, ad hunc modum Arteagæ respondent: Nullam sacerdotibus decumam, ex concilii auctoritate, aut alio quouis modo Pontificem maximum hætenus imposuisse, neque impositurum quidem, nisi ad extremum, cum res ipsæ opem non solum poscent, sed flagitabunt, iuxta synodi Lateran. in vltima rogatione decretum. Culpam verò in Ioannem Ruffum Cusentinum episcopum, nuncium Apostolicum in Hispania, reiciebant: qui parum prudenter hæc vulgasset. Quare sacerdotes Hispaniæ, quantum ad decimas præstandas, posse in vtramque aurem dormire: & diploma pontificium procuratori ostensum est propediem edendum, vbi de Concilio Lateranense actis tractabatur. Ximenius tamen post hæc ab Arteaga nunziata, non cessauit à sacerdotum conuocatione: quos omnes Madritum paulò antequam Arandâ discederet, conuenisse certum est. Nam Petrus Martyr, qui Granatenis ecclesiæ procurator huic conuentui interfuit, vt ex eius epistolis constat, de neganda exactione cunctorum sententiis approbatum esse refert. Quorum propositum Ximenius collaudauit, & se patronum, & vindicem, si opus foret, pollicitus est. Ex epistolis nomine Leonis à Bembo editis satis constat, non tantum rumoribus, sed re ipsa decimam illam exactam fuisse, sed tantum in Italia, aut ditone pontificia, ni fallor. Tres potissimum Hispani principes, priuatas ob causas Ximenio infensi, penè reipublicam obruissent, Mendozius Infantatus dux, Fadricus Albanus, Gironius Vrennatum comes, quibuscum vno & eodem tempore contendendum Ximenio fuit. Mendozii animus non tam ob irritas Ioannæ cum nepote nuptias exacerbatus est, quàm quòd ex affinitate inter Ximenium & Cluniensem contracta, Velennæ municipii litem sibi incipientem futuram videbat, reipublicæ moderationem Ximenio tenente. Est in Carperanorum finibus, non longè à Guadalafajara Velenna oppidum. id Ioannes Mendozii frater possidebat, quo cum iam olim Cluniensis iure egerat, & tandem certis quibusdam conditionibus Ioannes Velennam Cluniensi vendidit. Mendozius verò auitam hæreditatem, & suis præsertim oppidis conductam, dolebat alterius potestati cedere: Cluniensem in ius vocat, quòd Didaci aui testamento, qui eam legitimam portionem Ioanni filio legauerat, cautum esset, vt si de ea vendenda ageret, Mendozii ducatus hæres eam sibi posset asserere, eodem pretio emptori oblato. Hæc contouersia in complures annos fuit protracta. Ximenius, qui causas in immensum trahi conqueri solebat, cupiebat lites omnes finire, quæ apud regia tribunalia agebantur. Sed reguli id præsentientes, summopere curarunt, vt lites ampliarentur, donec Carolus in Hispaniam venisset. Ipse verò, ne callidis tergiversationibus eius propositum eluderent, vt de eis omnibus primo quoque tempore cognosceretur, impetrat, Baracaldo ad Belgium misso, qui id diligenter curauit. Sed quoniam post mortem Ferdinandi catholici, tabulas ad Velennatum litem ampliandam Mendozius à Carolo Belgis curantibus obtinuerat, acta rescindi periniquo animo ferebat. Quare regii Senatibus, & Adriani Laxaiq; legatorum auxilium aduersus Ximenii potentiam implo- rat, vt ea facultate Ximenius priuaretur. Pintiani tribunalis iudices, apud quos causa Velennatum disceptabatur, Ximenii de his litibus finiendis facultatem ad Velennatum litem non pertinere aiebant, quæ Caroli cognitioni seruari iussa

T ij

fuerat. Sed Ximenii in re iusta indignationem veriti, eius cognitioni reliquerunt, an in tabulis ad eum missis Velennatum causa excepta esset. Ximenius hoc ad regium fenatum reiecit: ubi quavis Rogius Granatenfis antistes, fenatus regii praeses, parum aequus Ximenio esset, equi tamen ratione habita, secundum Ximenii voluntatem pronuntiatum fuit. Mendozius qui superari a vicino Clunienfi ferre non poterat, iterum ad Belgas sollicitandos se conuertit: & tabulas secundas obtinuit, de Velennatum lite comperendinanda. Hoc Ximenii animum alioqui constantem, haud mediocriter commouit. Nam is erat mandati tenor, vt Pintiani iudices a Velennatum causa abstinere iuberentur. Quod si Clunienfis aliquid opponeret ante impetratum, aduersus praesens diploma, omnino vt reicerent impetrabantur, vt in notis arcanis reperi. Rem factam se habere Mendozius credit: & Ferdinandum Guterium Altamiranum eius familiarem, & publicum notarium, ad Ximenium misit, qui illi regis mandata denuntiarent. Timebant hi, ne Ximenius offenderetur, & aliquid illis quod nolent accideret. Sed post longa trepidationem & deliberationem, tandem regis interdictum de causa Velennatum differenda Ximenio denuntiatum est. Tandem tabulae prudenter inter nostros dissimulata indignatione, rursus ad Carolum & Belgas scribit, indignissime secum actum esse, & diploma iniquissimum esse datum contra alteram partem. Deinde contra publicam quietem esse, velle hominem potentissimum nouis oppidis augere. Nam quod de tumultibus Ximenio gubernante exorituris vulgo iactatum erat, vanissimum multis argumentis planum facere poterat. Quod si iudices, & praesidem Pintiani conuentus ipsi consulere, nihil ex hac parte imminere periculi probe cognoscerent. In memoriam etiam reuocabat, quid rex Ferdinandus egisset, quem similibus officiis qualibus Carolum haud demerisset, post Isabellae Aragoniae, Enrici Fortunae filiae, cum Inacho Mendozio domus haerede nuptias. Nam quauis multum Mendozius apud regem laboraret, nunquam obtinere potuit, quin libero in foro ius suum singuli ex aequo prosequeretur. Atque ita Ferdinando viuento, apud quem Mendozius multum fauore & gratia poterat, sententia secundum Cluniensem latam fuisse. Addebat etiam, vereri se ne ob iustitiae inaequalem distributionem, turbae excitarentur. Nam contumeliam & iniuriam passi, desperatione quadam ad arma venire solere. Impetravit quod voluit Ximenius: & tandem Mendozio indignante, Belenna Clunienfi adiudicata est. Accidit paulo post, vt Complutenfis Ximenii vicarius suum fiscalem (sic enim publicum accusatorem vocant) Guadalafaram mitteret, publici criminis vindicandi gratia. Mendozius occasionem arripens in Ximenium aliquid designandi, quo exulceratum animum leniret, fiscalem multis iustibus male multari iussit: quasi in fraudem iurisdictionis Bernardini fratris, Guadalafaræ archidiaconi, fecisset, ad quem illius modi cognitiones pertinerent: suspendium etiam minatus, si quid tale posthac auderet, Complutum dimisit. Id cum statim ad Ximenium, qui Madriti aderat, delatum esset: minimè esse dissimulandum ratus, vindicationem in Mendozium non tam quidem re ipsa parabat, quam sermonibus circumferri permittebat: se tam ob violatam religionem, quam ob reipub. tranquillitatem laesam, sic in Mendozium processurum minabatur, vt vel principatu spoliaret, vel imperatas poenas ex iure subire cogeret. Huiusmodi rumores iactari Mendozius durissime accipiebat: quare iræ & doloris impatiens, Petrum quandam presbyterum, qui catholici regis cantor fuerat, & in Mendozii familia tunc erat, cum mandatis conuicio & contumelia plenis, ad Ximenium Complutum, quò fortè venerat, misit. Is venia impetrata, & genibus aduolutus, vt sibi liceret mandata exponere, obtinuit. Ea nihil aliud continebant, quam exprobrationem pristinae fortunae, & humilis conditionis, minasque arrogantiae plenas. Nam & dignitate & publicis muneribus se illum deturbaturum propediem promittebat. Constanti vultu Ximenius, sine vlla indignantis aut commoti animi significatione, contumeliosam legationem audiuit, & an quid superesse dicendum, rogat. Et cum ille negasset, redito (inquit) ad tuum herum, quem iam suae improbae & ineptae legationis poenitentem inuenies. Sic res habuit: nam Mendozius iam cum

cum familiaribus suis exoptulabat Petro adueniente, quòd se iratum non placassent. Petrum etiam obiurgauit, quòd sibi irato paruisset. Igitur cum Mendozii legatio diuulgata per Hispaniam esset, Velascus comestabilis, qui Ximenii indignationem iusta ratione conceptam implacabilem esse existimabat, Guadalafaram ad Mendozium venit: & quauis eius bilem & animum facile irritabilem prudenter repressit, maiorem tamen culpae partem in asperos & subagrestes Ximenii mores reiecit. Suadebat tamen vt tempori cedens, cum Ximenio in gratiam rediret: quod vt fieret, se apud Ximenium omnem operam daturum, promittit. Velasci ergo dexteritate factum est, vt Ximenius omnem se similitudinem positurum diceret, si facti Mendozium poeniteret, & poenas quas merebatur, ob sacrum ministerium violatum, deprecaretur. Missus est cum mandatis Friasius Ximenii familiaris ad Mendozium: & conuenit, vt certo quodam die ad Fontem Carralium, vicum octo millibus passuum a Madrito distantem, Ximenius, Velascus & Mendozius pranderent, & de amicitia facienda agerent. Die còdicto, Ximenius Francisco Ruizio episcopo Abulensi, Villaroello Castorlae praefecto, Cisnerio & Friasio, paucisque aliis comitatibus, Fontem Carralium venit, nullis senatoribus aut proceribus, qui in curia agebant, concis. Antecessit aliquot horas conuiuias Ximenius: & cum meridiem instare cognouisset, non expectatis conuiuiis pransus est. Vix mensis remotae erant, quando Velascus & Mendozius, sine vllis omnino comitibus, & vno tantum a pedibus ministro, aduenire Ximenio inciantur, qui iam etiam pransi erant. Vix mutuis salutationibus habitis, Mendozium nondum animo ad aequitatem composito, paulò altiori sermone, ita fari coepisse aiunt: Dum ego pie religionem coluero, regi que meo fideliter obediero, parum quid ceteri fremant curo. Ximenius quod principium dedisset considerans, suae personae seruiens, ego (inquit) is sum Mendozii, qui vel te religionis reum inquisitor maximus plectere, vel regis mandatis parum obsequentem, regis vicarius obtemperare possim cogere. Velascus Mendozio acriter increpato, rursus animum Ximenii leniuit: qui a principio omnes causas diffidorum repetens, singulis ex ordine abunde satisfecit, tam de nuptiis Petri Gonfalui cum Ioanna Cisneria, quam de Velennatum cum Clunienfi lite: obiter etiam conquerens de inciuili Petri presbyteri legatione, cum ipse nihil vnquam dixerit, aut fecerit, quod Mendoziam familiam offenderet, quam ante alias semper coluisset. Meminisse etiam deberet, non ita pridem inter medias discordias, postquam se conuiciis immeritis fuisset consecutus, & post suum fiscalem pulsatum, Bernardino fratre archidiacono Guadalafarenfi vita functo, se Martino filio, cum nihil tale pater expectaret, multis admirantibus, nec paucioribus fortasse aegre ferentibus, archidiaconatum in sperato contulisse: quod non tam exprobrandi causa se dixisse, quam commonendi putaret. Haec atque alia prudenter & grauitè a Ximenio dicta, sic animum Mendozii pupugerunt, vt sella assurgens, ad Ximenium vt sibi ignosceret postulatus iret. Animaduertit hoc Ximenius, & festinantem praue nit: complexusque amice: Ego (inquit) ni te amarem, & magni facerem, nec quae dixi in tuam gratiam fecissem, nec meam Academiam tuae fidei & protectioni commendassem. Dum haec inter se agunt, sclopetarum strepitus audiri sunt coepti, & hospitium vbi meridiabantur, plusquam ducentis leuis armaturae hominibus erat obsessum. Nam Ioannes Spinosa cohortis Praetorianae praefectus, indignum esse censens, Hispaniae proregem priuati habitu cum hominibus parum beneuolosis colloquia miscere, Fontem Carralium comitantibus praetorianis militibus, maturè venerat. Non nihil reguli commoueri visi sunt, contra pacta conuenta agi putantes. Sed plena humanitatis Ximenii oratio animos eorum confirmauit: & nimia Spinosa sedulitate repressa, qui se nihil tale iubente ad eum vicum importunus aduenisset, regulis perbenigne salutatis Madritum reuersus est. Huc finem habuerunt Mendozii discordiae: sed maiorem tumultum & strepitum Gironius Vrennatum princeps in rempublicam induxit. Magno & excelsò animo Gironium praeditum fuisse, multa eius dicta & facta demonstrant, quae adhuc in hominum memoria seruantur: aderat quidem acumen & iudicium, sed nimis liberum &

audax. Commendantur quædam eius dicta, Laconica breuitate tornata, sed ple-
 raque sale nigro adpersa. Hic igitur simulatque regis catholici mors vulgata fuit,
 primus Ximenii æmulus, Petro filio Assyndonensem ditionem (vt supra diximus)
 inuadenti auxilium tulit, quem potius reprimere debuerat. Granatensis conuen-
 tus ministros, qui Vrsionem venerant, iustitiæ exequenda, & regionum vecti-
 galium colligendorum causa, pugnis, fustibus, & vulneribus percussos, quanuis
 Ximenii tabulas ostentantes & reipublicæ cautionem proferentes, violenter &
 furiosè repulit. Literæ adhuc in Caruajali annalibus seruantur, quas regius Sena-
 tus ad Carolum misit de his omnibus copiosè edocentes. Hæc Ximenius, Men-
 dozii & Albani contentione implicatus, prudenti consilio dissimulauit: ne cū
 10 tribus potentissimis Hispaniæ regulis vno tempore esset concertandum. Sed oc-
 casio non defuit in eum animaduertendi. Erat Ximenio (vt diximus) propositum,
 lites inter regulos, aliosque inferioris conditionis homines, in regius conuenti-
 bus iam diu agitata, & in fraudem legum protractas, finire. Inter eas Gironii &
 Guterrii Quixadæ controuersia fuit, de Villafratro in Campensi regione, nō lon-
 gè à Pintia oppido, quod tunc per vim Gironius obtinebat, non sine speciosis ali-
 quot prætextibus. Hæc causa in Pintiano conuentu ab vtroque iam diu litigaba-
 tur, Quixada rem vindicare, Gironio, quam semel abstulerat, retinere cōtenden-
 te. Ea igitur, & alia permultæ causæ finite fuerunt. Nam de iudicio Pintianorum
 sententia, opus dū de quo agebatur, Quixadæ primo possessori restitutum est.
 20 Pintiani cōuentus accensus, Ximenio iubente, oppidi possessionem regia autho-
 ritate Quixadæ daturus, cum aliquot regius ministris Villafratrum proficiscitur.
 Id cum Gironius resciuisset, sententiam iniquam fuisse proclamans, regios execu-
 tores insolitis modis pulsatos & affectos, per Rodericum Gironium eius filium
 ab oppidi finibus, re infecta audacissimè repellit. Comites facinoris aliquot æqua-
 les Rodericus Gironius habuit, qui adolescentiæ incitua suum negotium in tuen-
 do Gironio agi arbitrabantur, putà Bernardinum Velasci comestabilis, Beltra-
 num Cueuæ Alburquercii, Ferdinandum Anrici Almiranti regulorum filios.
 Redierunt executores ad hunc modum violatæ Pintiam, recentia vulnera, & vul-
 tus vibicibus deformatos ostentantes. Id spectaculum cum omnibus regii nomi-
 30 nis cultoribus graue, tum vniuersæ reipublicæ triste accidit: qui nil ex legum po-
 testate, sed omnia per vim agi intuebantur. Didacus Ramirus Villascusanus, Ma-
 lacæ antistes, qui præses conuentus Pintiani erat, vir alioqui mitis & quietus, rei
 indignitate & atrocitate permotus, ex publicis militibus non ignobili coacta ma-
 nu, tubis classicum vndique incinentibus, regiam iniuriam, & reip. contumeliam
 vlturus, equo armatus Villafratrum proficisci parabat. Velasus annis & prudētia
 maturior, periculum quod principibus iuuenibus Villafratrum tenentibus, ex læsa
 regis & reipub. maiestate, imminebat cernens, eò properat, & priusquam aciem
 Malacitanus educeret, sine vilo armorum strepitu, sine vlla hostili incurfione, Vil-
 lafratro eos abire coegit: & Pintiani conuentus mandata ritè, & è reip. more con-
 40 fici iubet. Malacitanus armis depositis, & Velasco collaudato Pintiam reuertitur.
 Tunc tandem Pintiani senserunt, quantum esset in publicis militibus vtilitatis,
 ad potentum hominum vires infringendas, qui tantopere eos institui prohibue-
 rant. Postquam ad Ximenium hæc perlata sunt, Gironi insolentiam minimè fe-
 rendam, aut dissimulandā esse censens, criminosis libellis, & capitali accusatione,
 aduersus regis maiestatis violatores agere iubet. Sarmentum quatuoruirum ad
 Villafratrum flammis & ferro diruendum, cum armatis militibus mittit. Iuuenes
 qui Velasci dictis parentes, Villafratro opportunè exierant, postquam eorum fa-
 cinus in crimen vocari, & de læsa maiestate causam esse dicturos cognouerunt,
 Gironio sene eos aduersus Ximenium (vt aiunt) instigante, ex Villalpando, quod
 50 Velasci ditionis est, præsidio militari accepto, Villafratrum rursus redierunt Qui-
 xadam deiecturi, & quanuis Ximenius omnia atrocè minaretur, eo inuito ibi-
 dem mansuri. Res durissimo in statu versabatur: nec deerant qui Ximenium cul-
 pabant, quòd post Velasci officiosum factum vltra quicquam tentasset, Albano
 præsertim, & Mendozio paratis, ad omnes aduersus eum motus fouendos & cap-
 ptan-

ptandos. At ille, qui se longè paratiorem sentiebat, ad regulos si quid molirentur,
 in officio continendos, nihilo segnius propterea se gessit: proscritionibus,
 & publicis præconum vocibus, legum contemptores, & regis maiestatis rei, Pin-
 tiæ & Madriti publicati sunt: libelli in celeberrimis locis propositi, & proditores
 proclamati, ni continuo Villafratro cederent, & ad regium senatum causam læsæ
 maiestatis acturi se sisterent. Dicit non potest quàm grauiæ eorum parentibus &
 cognatis, hæc omnia acciderint. Quocirca, tanquam in communi periculo, ple-
 rosque regulos cohortati sunt, vt in vnum locum conuenirent, de re tanta deli-
 beraturi. Interea Velasus & Anricus Pintia commorantes, Malacitano in om-
 10 nibus aderant, & quanuis in perniciem filiorum ea omnia fieri viderent, ne
 quid eius mali in ipsos recideret, regis executoribus, quoties opus esset, præsto se
 futuros esse promittebant. Locum ad conueniendum nonnulli Tudellam Vac-
 ceorum, alii Portillum oppidum Aluari Lunæ custodia percelebre, vbi hæc coi-
 tio facta est. Conuenisse autem dicuntur Pimentellus Beneuentanus, Velasus
 comestabilis, Fadricus Albanus, Cueua Alburquercius, & Mendozii quidam
 procurator. Sed Ximenii robur & naturam metuentes, post longam tandem al-
 tercationem, omnia pacificè agere decernunt: & ad eum primò, deinde ad Ca-
 rolum supplices literas de his rebus mittunt. Cum Ximenio submissè se gesserunt,
 veniam liberis suis deprecantes: ad Carolum grauiæ omnia de difficili Ximenii
 20 ingenio scripsere, qui Hispaniam turbis & tumultibus ob perniciam repleteret.
 At Gironius senatum regium se suspectum habere profitebatur, vt qui à regis ca-
 tholici tempore, in Assyndonenfis reguli partes quo cum sibi magni momenti lis
 erat, manifestè inclinasset, & litem suam fecisse luce clarius constaret. Ximenius
 per Malacitanum de his rebus certior factus, quid sibi essent obiecturi cogitans,
 ad Carolum continuo scripsit, & pariter senatus regius, qui Villafratrem casum,
 inter alia exponerat, ne mendosæ aliorum narrationi rex fidem haberet. Extre-
 ma epistolæ particula hoc continebat: Guterrii Quixadæ cum Gironio cōtrouer-
 sia, quam tua maiestas requirit, & in tuum aduentum differri iubet, sic habet vt di-
 ximus. Porro nobis nihil priuati odii aduersus Gironium esse, ex breui gestorum
 30 summa, quam ad te mittimus, liquidò constabit. Certè nemini verisimile videri
 debet, omnes iudices qui in publicis Hispaniæ conuentibus sedent, in vnum Gi-
 ronii caput coniurasse: præsertim cum iudiciorum, quæ quotidie fiunt, integritas,
 tam in distrahendis cōtrouersis, quàm in puniendis delictis, sit notissima. Quare
 si viri grauissimi & iuratiissimi, quos in cōuentibus iudices esse voluisti, Gironium
 infectantur, illius potius culpa cordati homines fieri credent, quàm priuato iudi-
 cum odio, aut corruptela. Si Gironius impotenti & perdita audacia, cuncta con-
 fundit & perturbat, nos qui omni vigilantia & integritate à subditis tuis iniurias
 propulsamus, huic vt etiam aliis quietis publicæ interurbatoribus, & omnia pro-
 libidine exercere cupientibus, necesse est vt odio pariter & terrori simus. Atque
 40 idcirco non solum apud tuam maiestatem, sed apud omnes mortales nos tradu-
 cunt, omnia mala imprecantes, non alias ob res, quàm quòd illorum prauis consi-
 liis obuiam imus. Quare pro debita nostra fidelitate maiestatem tuam monedam
 duximus, vt si saluam tuam rempub. optas, nulli diploma de controuersis super-
 sedendis, concedi permittas, quæ diu in iudiciis agitata, & omnibus numeris cu-
 mulatæ sententiæ iudicum manent: hoc enim semper in alterius partis damnum
 fit, & causam seditiosis hominibus turbandi remp. præbet. Iube igitur, leges patrias
 seruari, quarū tu custos & vindex à Deo opt. max. es datus. Dū hæc ad Carolum
 perferuntur, reguli non cessabāt capita conferre, & mutuo sibi animos addere ad
 Ximenium deturbandum. Cuncti proceres præter Aquilarium & Asturiensem
 50 ex vltromontanis, ex cisimontanis verò Mendozius Infantatius, qui nondum in a-
 micitiam Ximenii redierat, Paciecus Ascalonius Gironio coniunctissimus ad re-
 sistendū Ximenio consenserant: sed viam optabāt qua id iure fieri videretur. Er-
 go Acunius Zamorensis antistes, præcipuus seditioū popularium author, cui ad
 Aquilæ arcem gula fracta est, & comes Albalistanus cohortibus armatis, & mili-
 tariibus tormentis, Gironio præsidium laturo Pintiam aduenerunt. Sed quoniam

ciues ad defectiōnem sollicitabant, de iudicum regionum sententia Pintia exire
 coacti sunt. Velascus Cigalios ad Beneuentanum, deinde Pennafielum ad Giro-
 nium magnis itineribus proficiscitur, qui videri volebat omnem operam dare, vt
 Gironius eius affinis Ximenii mandatis obtemperaret, & excitatum incendium
 nulla ruina, sed leti aqua extingueretur. Sed longè aliam mentem habere paulò
 post ex literis ad Gironiū datis Ximenius deprehēdit, quæ Madriti interceptæ fue-
 runt, plenæ acerbitalis & seditionis: nam Burgensem, & Montanā prouinciam se
 concitaturū pollicebatur, & Ximenio palàm detrahebat, quasi impedimēto esset,
 quominus Carolus rex leges Hispaniæ dignas regulis & populis cōcederet. Hasce
 tā criminofas & tumultuosas literas, noluit Ximenius, sua bonitate & moderatio-
 ne vsus, ad Carolū transmittere, quanuis illū multi instigarēt. Porrò Albanus Hie-
 rosolymitani ordinis prioratu Didacum filium è vestigio spoliandum metuebat.
 Procefferat vltra septennium hæc controuersia, & post multas cum Ximenio cō-
 tentiones habitas, litem se perditurū videbat, quo nihil durius ei poterat accide-
 re. Ergo Cuellar Alburquercii oppidum, quasi Cueueam solaturus, cuius Franci-
 sca filia Faiardi Velezani marchionis vxor, non ita pridem defuncta fuerat, Ma-
 drito proficiscitur: sed re ipsa cum eo acturus de suppetiis Beltrano eius filio, & af-
 fini Gironio, qui Villafradæ obfessi tenebātur, aduersus Ximenium cerebrosum,
 & iniurium hominē ferendis: seq; exercitus cogendi authorem & ducē professus
 est. At Cueuea vir prudentia & consilio singulari, vt perniciosum sibi & suis con-
 silium mutaret monuit: nec enim aduersus Ximeniū, sed omnino aduersus rep. 20
 & Carolum ista moliri monuit: quare nec se neq; vllum ex propinquis arma ad-
 uersus Ximenium capturum. Albanus rectè monenti annuit, fuit enim hic vir sui
 principis studiosissimus, & Madritum rediit. Interea hi qui Villafratro conclude-
 bantur, ne illorum insaniæ quicquam deesse videretur, Ximenii imaginem ponti-
 ficalibus indumentis vestitā, præcone præeunte, per oppidi vicos (vt fama est) cir-
 cūtulērunt. Hæc quanuis Ximenio nunciarentur, vocesq; multorū irreuerentes
 & minarū plenæ iactarentur, non ideo minus rem propositā vrgebat. Nā Sarmentus
 quatuoruir qui ad Villafratrum obsidendū missus fuerat, mira diligentia oppi-
 dum expugnare, ferroq; omnes quotquot aderāt perimere nitēbatur. Sed iuuenes 30
 cū se impares esse ad resistendum animaduertērent, Villafratrū tandem deserere,
 atq; suæ saluti consulere decreuerūt. Porrò Sarmentus re vniuersa ex iuris formula
 in tabulas relata, nemine aduersante per publicum præconem pronuntiarī iubet:
 Quandoquidē Villafratri regiæ iustitiæ executores indignis modis violati essent,
 prisco maiorum instituto flammis incenderetur, & muris aratro impacto, oppidi
 area sale adspargeretur: in monumentum verò patrii sceleris, vt nunquam de-
 inceps vel ædificiis instaurare, vel alio quouis humano modo colere cuiquā mor-
 talium liceret. Gironium & Rodericum filium, cæterosq; omnes, qui auxilium
 tulissent, læsæ maiestatis reos peregit: & vt Gutterio Quixadæ, secundum quem
 lis data fuerat, damna & impensæ resarcirentur iubet. Extemplo ignis in oppi- 40
 dum coniicitur, tormentis bellicis vndiquaque quatitur, totumq; ab ipsis fun-
 damentis concidit. Septem homines, qui accenso Pintiani conuentus Gutterio
 Quixadæ possessionem loci vindicante, seditionis vocibus in clamauerāt, se nemi-
 nem præter Gironium dominū agnoscere, virgis de Sarmenti sententia cæsi sunt.
 Vnus ex Anrici Almirati familia, qui Pintia militū delectum, ad præsidium Gironio
 ferendū, clāfecisse dicebatur, per oppidi vicos die festo inusitato exemplo verbe-
 ratus est. Tam atrocis animaduersionis in Villafratrū editæ forma, vt per Hispani-
 am innotuit, vires cunctorum fregit: & qui prius minaces & arrogantes incede-
 bant, animos demiserunt. Ascalonius, qui Madriti aderat, & inter omnes has tur-
 bas Ximenii amicitiam palàm ostentauerat, ea re audita, tantum doloris & ægri- 50
 moniæ concepit, vt per totos sex dies nemini aditus ad eum fuerit. Apud Franci-
 scum verò Ruizium Abulensem episcopum, officii gratia ad eum venientem, de
 Ximenii peruicacia, & animo difficili, atq; inexorabili, graui oratione cōquestus
 est: vt pote qui nulla amicitia ratione habita, ita Gironium eius propinquum tra-
 & auisset: quo factō vniuersis Hispanis regulis authoritatē, multis de causis debitā,
 in-

indignè imminuisset. Velascus iterum regulis Ultramontanis sollicitatis, Mendo-
 zio Infantatio simul etiam adiuncto, legationem ad Ximenium mittit per quen-
 dam Mendozii familiarem: vt quandoquidem in Villafratrum per summam V-
 rennatis contumeliam tam atrociter sæuitum fuisset, cessaret Gironiam familiam
 amplius persequi, & infaustis præconum vocibus per omnia compita exagitare.
 Anricus Almirantus, qui nunquam Ximenio apertè inimicus fuit, Madritum ea
 de re cum eo expostulaturus, venit. Multa ab Almiranto, reuerenter tamen de
 procerum Hispanorum dignitate, & maxima in reges suos fidelitate, fuerunt com-
 memorata. Et tandem semirari dixit, vnde viro prudenti in mentem venisset,
 10 ista designare. Nam cum Pontifex Toletanus, cuius personam gerebat, Primas
 non modò inter Antistites, sed inter regulos etiam in Hispania sit, non modò ad-
 uersus nobilitatem, sed aduersus se ipsam ea omnia gerere videri poterat: qui
 principes viros tam dirè & contumeliosè frangeret. Rex enim qui nondum eor-
 um animos, fidem, & promptas voluntates nouerat, postquam tam indignis
 modis tractari intellexisset, paruo in pretio erat habiturus. Quocirca etiam at-
 que etiam caueret, ne in eas angustias ex quibus difficulter explicare se possent,
 regem, rempublicam & omnem Hispaniæ nobilitatem de principe suo bene me-
 rentem, coniiiceret. Nota enim plerisque esse, quæ de regulorum superbia, con-
 tumaci ingenio, malisq; artibus ad regem iratus scripisset. Quare si Carolo æquif-
 20 simo, potentissimoque regi morem gerere vellent, & saluti reip. consulere, diuersa
 cum illis ratione ageret, & se ad animi æquitatem componeret, omni deposita i-
 racundia. Denique multa se alia prætermittere dixit, ne dolorem suum refricaret,
 Ximenius paucis Almiranto respondit: Nunquam sibi illorum artes placuisse, qui
 per sæuitiam, aut aliorum iniurias, gratiam inire apud reges curabant: reipub. cu-
 ram, quam ei rex tātò opere commendasset, pro virili sustinuisse. Ad Carolum quæ-
 dam de regulis scripisset, quæ ad quietem publicam pertinere videbantur, non ta-
 men ea verborum inciuilitate, quæ vulgò pro cuiusque libidine iactabatur. Quod
 ad Gironiū pertinebat, satis se hæcenus dissimulasse, iam eò loci rem esse, vt à Ca-
 rolo tantum expediri posset. Interea Petrus Gironius, maior natu Gironij filius, i-
 30 terum in Bætica novos militum delectus conscribere cepit, sed nemo se illi ad-
 iungere audebat, cunctis Ximenij indignationem, post Villafratrū deletam, for-
 midantibus. Ergo Gironij quidē Belgio Carolus iuberet auidè expectabant: non
 enim interea cessabāt difficiles Ximenij mores apud Carolum increpare, vt aptif-
 simos ad seditiones concitandas. Belgæ Ximenij adhortationes, & Senatus regij
 literas, rei q; ipsius naturam considerantes, omnia ex Ximenij sententia vt fierent
 decernunt, & eius aduersus Gironium actis authoritatem quantamcumq; postu-
 labat præstiterūt. Ergo diploma regium ad Senatum missum est, quo Ximenij ge-
 sta vniuersa rata esse iubebantur, & Gironijs nota læsæ maiestatis inurebatur, nisi
 illico se ad regium tribunal sisterent & iudicatum facerent. Tunc demum omnes
 40 intellexerunt, quantum reuerentiæ & honoris, cum publicis legibus & institutis,
 tum earū ministris & iudicibus esset deinceps perpetuò deferendum. Ascalonius,
 qui Gironij fortunas in præcipiti positas videt, amicitiam Ximenij nouis officijs
 demereri studet, & omnes temporum opportunitates captans, ad Ximenij ani-
 mum, quoties occasio dabatur, placandum, tandem factum est, vt Gironius ad
 Ximenium supplex veniret, paratus omne iudicium subire. Ergo ex Ascalonij
 sententia rebus compositis, Francisco Ruizio Episcopo Abulensi (vt Carauajalus
 restatur) curante, venia criminum, quæ contra leges commiserat, data est. Nam
 Ximenius ad Lupum Aialam scripsit, vt eius nomine Carolo referat, Gironium
 virum primarium, satis pœnarum dedisse, qui supplex ad se venerit, & sibi libe-
 50 risque suis veniam efflagitauerit, & animi in diuersum mutati plurima exem-
 pla dederit. Neque enim omnia ad viuum ressecanda, aut principes viros æquā
 cum priuatis hominibus conditione plectendos esse. Denique in hoc esse con-
 uentum, vt res integra regis cognitioni seruarietur, vt nihil de iure suo regi, aut
 reipublicæ deperire videretur: & Gironius mirifice in officio contineretur, ne ad
 naturam & mores suos redeat. Fertur dum Madriti de his rebus acturus Gironius

moraretur, quanuis rebus aduersis fractus, ingenii tamen sui non oblitus, dictis non omnino ineptis Ximenium perstrinxisse. Cum aliquando ad eum accederet, cubiculi præpositos eequid rex Ximenus ageret quæsiuit. Nam Ximenus inter præfatos, & pauperes Hispaniæ reges numeratur, & quoties aliquid rude, & ab usu iam diu remotum significare volumus, id Ximeni regis temporibus factitari solitum, parcemiæ vice, dicimus. Item ab eo digrediens ministros rogauit, an Ximenius tineaoso esset capite, qui tam superstitiosa cura, ne quid capitis retegeretur, cauere: visus enim fuerat nimis malignè caput aperuisse in Gironii discedentis honorem. Illo ipso tempore quo contentiones Gironi sunt finitæ, Leo x. Pontif. Max. comitis v. Cal. Iulii habitis, inusitato cooptationis numero xxxi Cardinales creauit, & in his Adrianum Florentium, qui vnà cum Ximenio moderandis rebus præfectus erat. Ea tam numerosa Cardinalium creatio parum grata reip. fuit, multi enim Cardinales vehementer restiterunt, & in primis Antonius Montius, Ioannis Montii auunculus, qui post Max. Pontif. factus Iulius tertius dictus est. Inter hos Raphaelem Urbinate, clarissimum pictorem, cuius arte oppidò quàm delectabatur, nominaturus credebatur, vt hoc honore collato, ingentem æris summam quam illi ex pictura debebat, compensaret. Qua de causa Raphael Bernardum Bibienæ Cardinalem, neptem suam in vxorem offerentem, nouis morarum causis in dies allegatis, fertur suspensum detinuisse: sed Raphaelis mors satis immatura omnes eius spes præuenit. Graue Ximenio visum est supremum ecclesiæ honorem tralatitium fieri. Sed Pii quarti Pont. Max. tempore non ita dudum factum esse vidimus, vt quadraginta & amplius Cardinales crearentur, pluresq; adhuc creandi esse credebantur, nisi quinto idus Decembris, anno m. d. lxxv. ab humanis esset sublatus. Adriani promotio non ingrata Ximenio fuit: nam ea occasione Didaco Lupo per arcanas literas iussit, vt suo nomine cum Carolo ageret de Adriano Romam, aut in Belgium, aut in diocesium suam mittendo, quando quidem à rebus gerendis natura sua abhorrens, noua tunc dignitatis accessione potius impedimento, quàm vili visui futurus esset. Literæ elegantissimæ inter Petri Bembi epistolæ Leonis x. nomine editas, quas Leo ad Carolum de Adriani cooptatione scripsit, circūferuntur: quibus perbellè ad hominem benemeritum augendum primo quoq; tempore exhortatur. Nempe illum fortuna ad summam dignitatem vocabat, aut potius vrgebat. Gironii simultatibus contentio cum duce Albano successit, quæ cum ob dignitatem maximi emolumenti, & honoris suscepta esset, magnas turbas excitauit. Erat res futura cum regulo potentissimo, & iusta (vt videbatur) indignatione commoto, qui amplissima dignitate, quam per rotos sex annos tenuerat, priuabatur. Ximenii etiam robustus animus, & cedere nescius capitales inimicitias promittebat. Quare cunctorum mentes suspensæ erant, quo res esset euasura. Est ea dignitas in Hispania aded opima, vt si ius successionis accederet, cum cæteris Hispaniæ principatibus, qui potentia & auctoritate præstant, proculdubio comparari posset. Ab hac dignitate Valenzuela sub Enrico quarto malis artibus, vt illa erant tempora, deiectus fuit, & eius loco Aluarus Astuniga ritè susceptus. Sed is vel morbis, vel senio afflictus, otium sibi necessarium illa in ætate iudicans, in Antonium Astunigam ex fratre nepotem, prioratum transtulit, Philippo rege annuente, & Pont. Max. confirmante, ne quid iustæ & legitimæ solennitatis defuisse causari quisquam possit. Ferdinandus post Philippi mortem ad Hispaniam moderandam rediens, voluit Albano, cuius singularia in eum officia fuerant, gratificari: & Didaco tertio eius filio, sancti Ioannis prioratum contra publica iura, & Hispaniæ leges, antiquamq; maiorum consuetudinem contulit. Ergo magistri Rhodiorum auctoritate, qui per Pontif. Max. collatum esse ægerrimè tulerat, Antonium prioratu priuauit, & Didaco Albani filio concessit. Factum est id Melioratæ in Hieronymiano cœnobio, per Rhodiensis ordinis Balionem (sic enim suos administratos nominant) qui Rhodo à rege ea de causa accersitus fuerat, anno huius seculi m. d. xlii. postridie idus Aprilis. Antonius apud Pont. Max. de regis iniuria, & magistri Rhodiorum audacia, sed frustra conquestus est, sunt enim longæ regum manus: quare in Belgium ad Carolum confugit, vt patris Philippi

lippi acta tueretur. Sed postquam Ferdinandi regis mortem cognouit, Belgis curantibus, apud Carolum egit, vt eius voluntate & fauore in integrum restituere-tur. Romam proficiscitur æquo iure cum Albano iam decertaturus. Multa Albanus, sed ea omnia Romanis iudicibus ingrata, obiecit. Nam sancti Ioannis prioratum, cæterasque omnes militarium ordinum præfecturas ex Martini quinti diplomatibus Ioanni secundo concessis, ad reges Hispaniæ & Rhodiorum magistris pertinere aiebat: in Hispania etiam apud regium Senatum proclamabat, regem & rempublicam ipsam perniciosè lædi, si ea quæ propriè regii iuris essent, ad Pontificem Maximum iterum incautè deuolui sinerent. Contra Antonius se perinique spoliatum esse contendebat dignitate, quam iure optimo possederat. Iudices Romani, eausa probè examinata & cognita, Antonio Astunigæ pontificia diplomata dederunt, quæ post causam diiudicatam & confectam, victori tradi solent, ad vltimam rei controuersæ executionem, vnde executorialia vocantur. Hæc ad Carolum illico detulit, cum Leonis decimi Pontif. Max. literis, ex quibus constat, regis Ferdinandi intercessione, iudiciorum moram per biennium esse factam, quas hinc referre non est operæpretium, cum inter epistolas P. Bembi circumferantur. Carolus partim sua voluntate, partim Pont. Max. epistola incitatus, Antonium in Hispaniam cum hisce ad Ximenium literis mittit. CAROLVS Hispaniarum rex, Francisco Cardinali Toletano, amico carissimo S. Quæ de prioratu sancti Ioannis Hierosolymitani ad nos accuratè scripta misisti, valde probata à nobis sunt. Causæ tamen magnitudo, & cõrentium dignitas, vt omnia prius experiamur, quàm cum illis summo iure agamus, efflagitant. Idcirco clementia nostra dignum duximus, vniuersum prioratus patrimonium (hoc est) arces, oppida, emolumenta & prouentus fiduciaria possessione in potestatem nostram tantisper redigere, donec quid sit faciendum decernamus. Id vt citra tumultum te perficiatur, dux Albanus & Didacus eius filius, meo nomine tibi conueniendi sunt: quibus nostrum hoc consilium expones, dabisq; operam vt mihi hac in re obtemperent. Compromissum faciant in quo me arbitrum statuunt: quod fide publica cõfirmatum, ad nos quamprimum mittatur: sumus enim semper habituri honoris & commodi vtriusq; rationem. Id si fecerint, nobis erit perquam gratum: sin minus, quindecim dies duntaxat ad deliberandum damus, quibus elapsis nomine nostro prioratum capies, virosq; regiæ maiestatis fideles, oppidis & præfidiis præficias. At si dux, aut eius filius parere recusauerint, te in primis hortamur, Senatuiverò nostro iubemus, vt diplomata Pontificia, ab Antonio Astuniga Roma allata, sine cuiusquæ respectu manu exequantur. Id si ex sententia nostra, vt spero, cõfeceris, magnam gratiam apud me inibis. Vale Bruxellis xlix. Cal. Febr. anno Domini m. d. xvii. Astuniga Begerensis dux cum Antonio fratre, cõuocatis ex sua ditione, quæ ad Anam flumem est, præfidiis, multisq; regulis (nã Mendozius Infantatius, Cardenas prouinciæ Granatenis præfectus, qui postea dux Maquetanus fuit, Fonsalitanus Aialææ familiæ primarius, aliquotq; alii eum sequebantur) nulla quidem armorum specie ad Ximenium venit, cui literas regias obtulit, omnem suam & suorum operam pollicitus, si visus foret. Postquam hæc omnia Albanus cognouit, & Ximenium lecti posse desperauit, qui litem illam iurgiorum & seditionis plenam finire cupiebat: suam atq; Didaci filii dignitatem, non quidem aduersus regem, sed aduersus Ximenium, familiæ suæ (vt iactabat) hostem, omni conatu & viribus defendere statuit. Ximenius febribus tertianis eo tempore Madriti laborabat, vnde Albanus erectior factus, numerosam suæ gentis familiam, & vltimòtanos regulos, sibi necessitudinis vinculo coniunctos, sollicitauit. Porrò Antonius Fonseca Cocceiorum in Vacceis dominus, & Ascalonius ex cismòtanis, qui hætenus dubii vtrā in partem inclinaret fuerant, tertio post Astunigæ aduentum die, ad Albanas partes transferunt: quod nõ mediocriter Astunigam commouit. Erat in Ascalonio diuitiarum facultas & potentia, quàm multæ propinquorum clientelæ adaugebant. In Fonseca animi præstantia, & longo rerum usu prudentia. Ruizius Abulensis Episcopus prætorianam cohortem in armis esse iubet, cui tercentos strenuos milites adiunxit, ne alterutrius factionis homines Madritum ingrederetur. Interea Ximenius à morbo

recreatus, de quæ his omnibus continuò edoctus, utroque regulo ad se accersito, inducias pollicetur, donec receptis viribus, quid uterque iuris obtineat, & quid sit è reip. utilitate, & quemadmodum inter eos melius controuersia componi possit, accuratius possit inspicere. Supplicationes pro Ximenii incolumitate, Madriti primùm, deinde per vniuersam Castellam sunt habitæ: videbant enim ex vnius hominis salute, eo præsertim temporis articulo, vniuersæ reip. quietem pendere. Eo enim egrotante, præsidii arces communiabantur, & ad res nouas omnium animi erigebantur, qui Ximenio melius se habente pacati sunt. Albanus donec iterum Carolus de vniuersis causæ eius articulis confuleretur, & quid exequendum foretrursus iuberet, quicquid Ximenius facere tentaret, armis repellere decreuerat: palamque clamitabat, se regium ius eo modo tueri, cui patronatus ratione prioratus designatio debebatur. Fraudem etiam magno Rhodiorum magistro creari affirmabat, ad quem post regis designationem, collatio pertinebat. Ximenius qui rem omnem perspexerat, Albani voces vanas esse intelligens, ad Carolū scripsit, ut in re semel imperata constanter peristeret: permultum enim interesse, regias vuculas vel per iocum emissas, nedum sigillis impressis publicatas, firmitatem & robur tenere. Post aliquot dies, de literis regis ab Astuniga allatis in Senatu agere cœpit: sed non omnes ad eam executionem illico faciendam animatos offendit, erant enim qui Albani causam æquiorē esse arbitrabantur: quorum sententiam Belgæ legati, Adrianus & Laxaus, non mediocriter confirmabant. Itaque dubitari in Senatu cœptum est, an literis regis Albanus satisfaceret, si factio compromisso prioratum retineret, donec rex arbiter certum sequestrem declararet: neque enim ex diplomate satis liquere. Item iuris formam in literis inuerti objiciebant. Quorsum enim castris & arcibus prioratus ex regis iussu occupatis, postremò tabulæ pontificiæ proferendæ erant? Sed cum hæc omnia temporantur eximendo ab aduersariis dici Ximenius intelligeret, dedit operam ut omnes in Senatu de regis mandatis exequendis cōcordes essent. Albanus cui aqua hærebat, ad Germanam reginam confugit: quæ cum propter antiquum in Ferdinandum coniugem amorem, cui vnicè carum semper Albanum fuisse intellexerat, tum ob piuatam erga ipsum affectum, non mediocre præsidium tulit. Nam eius diligentia & studio factum est, ut Ludouicus Galliæ, & Enricus Britannæ reges, cum Carolo in primis, deinde cum Chebrio, cæterisque Belgicæ aulæ principibus agerent, ne Albanus clarissimus in Hispania regulus, cuius officia in reges complura extarent, & qui Ferdinando in rep. Hispana amplificanda tam multiplici opera utilis extitisset, ea dignitate, quæ de veteri Hispaniæ instituto per sexenniū tenuit, nunc inimicorum iniuria spoliaretur. Cœpit Carolus non nihil de cōstantia, ob regum intercessionem remittere. Sed Ximenius cum Chebrio per literas acriter expostrauit, qui regis authoritati malè confuleret, & seditiones in remp. inueheret, nisi totis viribus curaret, ut Carolus in sententia obfirmato animo esset. Nam Astunigenes, quorū illustris & amplissima erat, tum familia, tum clientela, parati erant depugnare, & ferro controuersiam dirimere: quod & fecissent, nisi illos ipse promissis de Caroli cōstantia detinisset. Post has literas datas, Albanum ad se Ximenius accersit, quem præsentibus legatis, senatoribusque regis, & Osornio comite, pro diuturna inter eos consuetudine, amicissimis verbis adhortatus est, ut moderatione animi & prudentia, quam in eo semper cognouisset, tunc ad eam rem componendam vteretur: se enim in iis decernendis eius commodis non defuturum, si absque vllis reip. motibus totam rem transigi & confici permitteret. Regi ergo prioratum traderet, ut de illo secundum leges statuere possit. Quod si id durum videretur, se de regis mandatis permultum remissurum, ne omnia pacifica noluisse argueretur: & Petro Bazano, Balduernæ & Vanezæ domino, & Albanæ familiæ per omnia addicto, prioratum traditurum, quem in regis aduentum adseruaret: se quoque tunc esse futurum, ne Antonio Astunigæ tradi posset, nisi post tres menses elapsos. Eas conditiones Albanus contempsit: atque inde digressus omnem culpam in Ximenium reiciebat, qui salua regis maiestate mitius secum agere poterat: quasi verò supremum reip. moderandæ munus, ea de causa Ximenius

nus subiisset, ut iuxta leuium hominum vulgarem consuetudinem, priuatos affectus officii anteponeret. Igitur Albanus Madrito in Ultramontanam regionem profectus, amicos regulos de ea re cōsuluit. Qui Villafratenfis casus memores, ut quiesceret, & conditiones quas Ximenius obrulisset accipiat, consulenti responderunt. Hæc ad hunc modum acta fuisse ex Velasci comestabilis, qui eo tempore Pintia aderat, ad Astunigensem Mirandæ comitem literis, qui cum sibi necessitudo intercedebat, compertum fuit. Ac quieuit tunc Albanus in amicorum consiliis: verum postea res incrudescere denuo cœpit, multaque & varia hinc inde tentata & acta sunt: de quibus omnibus, in Ximenii literis que per arcanas notas sunt data, longa admodum notitia est: nobis hæc tantum dixisse satis sit, ad vtriusque causas indicandas, quibus tandem rationibus adducti, tam acerbis simultates exercuerint. Ut igitur Albanum Ximenius nulla ratione in sententiam suam pertrahi posse videt, præsidia reip. hoc est milites à se institutos, diuersis ex locis conuocat, & Ferdinandum Andradam præfectum militum, ad eam rem designat. Legati eos motus conspicientes, quò res euasura esset incerti, mirum in modum angustati cœperunt: & Ximenium ut Caroli aduentum expectet adhortantur, ne resp. quam hætenus florentem tenuerat, nunc per eam occasionem detrimentum caperet. Antonius Fonsca vir nobilis, & rei bellicæ peritia atque animi præstantia clarus, quem Albani partes palam tuendas suscepisse diximus, multis apud Ximenium ea de re disseruit. Quò temp. conijceret etiam atque etiam consideraret: esse iam omnium exacerbatos animos, qui si cæco furore semel metum & pudorē abiecissent, nullis consiliis, aut fræno cohiberi possent. Ad quæ Ximenius, Pone metum (inquit) Fonsca, nec te rerū istarum euetus discruciet, ego enim prosperrimum efficiam. Mille equites cum ex prætorianis, tum ex regis præsidis, quos nostri limitaneos appellant, ad se accersit, quorum septingenti cataphracti erant. Item quinq; millia peditum conscribi iussit, in quibus veterani quingenti, qui sub Villalua Placentino stipendia fecerant, & quos Ximenius custodiæ causa in vicis Madrito proximis retinebat, sunt annumerati. Cavit etiam, ut in dicecesi Toletana tercentum equites in proximitate essent, cum non penitenda peditum manu, qui in supplementum, aut in auxilium, si forte opus esset, venirent. Hos aduersus Confaburense, vbi Didacus sese munierat, omnia extrema sustinere (ut aiebant) paratus, proficisci iubet. Sed antequam ad manus veniatur, per reip. facialem denunciari placuit, ut Didacus Confaburense præsidio cedat: armatos omnes dimittat: præsidia prioratus, arcesque cunctas, & oppida tradat: & ex æquo legibus cum Astuniga acturus, in regium tribunal descendat: regem præterea, ex Pont. Max. præscripto, arbitriū statuat. Sin id contumax renuerit, læsæ maiestatis damnatum esse: eiusque bona & fautorum, sisco addicta. Interea Albanus circiter mille pedites cum paucis equitibus Confabronem mittit, qui multum æris & commeatus ad Didacum & socios deferre dicebantur. Idcirco Ximenii cohortes prædæ cupidine festinantes, locorum angustis & diuerticulis præoccupatis, non modò transitu prohibuerunt, sed in latiora loca procedentes, leui opera fuderunt, atque omni pecunia & commeatu spoliarunt. Inde ad Confabronem accedentes, dies aliquot ex formula iuris quieuerunt, ut facialis regia mandata denunciaret, bellumque cruentum indiceret. Tolerana iuuentus, quæ cum Didaco erat, animorum vigore & præstantia exultans, oculos cadaveribus construi solitos, pullo colore illitos, emœnibus ostentabat: quasi se omnes more Hispanico, de quo multis antè seculis in Dionis Nicæi historiis mentio est, ad cōmoriendum cum Didaco deuouisse innuerent, priusquam præsidium Confaburense traderent. Cum hæc Albanus rescieuit, ne per tantum tumultum negotium ageretur, Madritū venire necesse habuit: vbi Germanæ reginæ, & legati Adriani opera adiutus, cum Ximenio de prioratu tradendo egit, modò conditiones, quæ prius offerebantur, aliaque quas insuper addebat, concederentur. Nam pro tribus mensibus, quos Ximenius cōcedebat, de non tradendo prioratu post regis aduentum, tres annos dari, & ut interea tantundem pecuniæ ex regis ærario, aut vectigalibus sibi numeraretur, quantum ex fructibus prioratus redigebat. Omni conatu legati cōtendebant, ut illis pactis Ximenius annueret: qui quanuis antea conditiones ali-

fisse mihi sum visus: nam ab eo tempore notabiliter languere cepi: sed hoc etiam mihi non fit verisimile. Deus qui omnia ineffabili sapientia moderatur, ægritudines dat, & idem aufert: illius arbitrio fas est, nos & nostra permittere. Aliquando etiam dixisse medicis fertur, se proditorum perfidia perire. Porro Franciscus Carrillus, qui Ximeno Bozeguillis ministrabat, cum troctam de more prægustasset, vehementer ægrotavit. Erant qui veneficii author e Belgica aula produisse dicerent. Nam ex literis eius, & mandatis ad Carolū per Lupū procuratorē missis, abunde Ximenii animū intellexerant de regis aula mutata, & Belgis in patriam amandandis. Et tanta esse autoritate & gratia apud regem Ximenium videbant, ut id facile effecturū crederent. Nonnulli Baracaldū nefarii sceleris administrū faciunt. Erat ille fronte parū verecunda, & pecuniæ avidus, cuius fides ob legationē apud Belgas malè actā vacillauerat, videbaturq; Belgis addictus plus satis, & obstrictus. Literas etiā nomine Ximenii Gallicè scriptas in Belgium tulit, quas ille suas esse negabat: & Didacū Lupum hortatur, ut eas studiosè quæritas ad se trāsmittat. Ab eo tempore Ximenium decreuisse, in subsignandis libellis, literisve, Baracaldi operam non vi, ex epistolis Abulenſis satis constat, qui in illius mores nimis inuehitur. Sed hic Baracaldo infensus erat, propter pensionem Cauriensem interceptā. Nec cuiquam verisimile videri poterit, non aliquid aufugisse, tam atrocis criminis sibi consciū, & patroni vultum ferre potuisse: nam Ximenium illius opera & manu semper vsum fuisse, quousq; diem suum obiit, multorum testimoniiis planum est. Est apud me Baracaldi epistola, quam septimo Cal. Oct. Aranda ad Didacum Lupū dedit, cuius tres aut quatuor versus bona fide Latinos feci, qui sic habent: Illud aut operæpretium est, ut scias Cardinalē communem patronum tam vegeto corpore, & prospera valetudine nūc esse, ob hilaritatē (ut arbitrator) quā postquam rex noster oram soluit concepit, ut vel in totos viginti annos vitam sit prorogaturus. Certè tanti criminis conscientia perturbatus hæc scribere non potuisset, ad hominem præsertim ad eū Cardinali intimum. Lapidibus mediisfidis appetitus & obrutus fuisset à Ximenii domesticis, qui id nō potuissent non odorari. Aquilæ oppido exiguo, Valuasius, & Petrus Lerma, si quando ad Ximenium veniebant, comitē Baracaldum adducebant: neq; enim in illo vitæ extremo curiculo nisi intimi admittebantur, & ibi Ximeno assiduus scribendi operas dabat. Didacus etiā Lupus, quē Baracaldus loco deturbare apud Carolū voluit, cōstantissimè affirmabat, falsum id esse, neq; vnquā à Baracaldo attentatū. Abulēsis quidē, qui multa hominis vitia per arcanas notas numerat, nō erat hoc præteriturus, sed tamē mentionē nullā facit. Confirmavit hæc vulgi famā, quanuis mendacē, Baracaldimors. Solent. n. homines ex mortis genere, de antea acta vita iudiciū ferre. Ille ergo ut à Chebrío repulsus fuit, domū Ægidii Baracaldi parentis sui Turdissillas diuertit, qui cohortis prætoris apud Ioannā reginam præfectus erat, vbi grauissimè ægrotare cepit: & cū atra bile vexatus, fenestræ prospectu se oblectare conaretur, mœrore cōfectus animā stans efflauit. Sunt qui mulæ calcib. Segūtiæ impetitū, dū Romā properat, obiisse affirmāt. Postquā Ximenius Arandā peruenit, tumultuari Pintia cœptum esse accepit: & vulgo iactari, ea quæ de aduētū Caroli dicebantur, à Ximeno confingi, qui iter illud æstuoso tempore fecisset non alia de causa, quam ut Ferdinandum puerum ad Belgas transmitteret: & Hispania reggia prole orba, sub illo maneret: cuius vita diutius produci nō poterat, ob grauissimā eius ægritudinē in ætate ad eū prouecta: vnde ipsi aut bellis civilibus erāt laboraturi, aut præda finitimis hostibus futuri. Sed legatis ad Pintiam missis, qui eos de regis aduētu, de quæ suis consiliis edocerent, extemplo coercuit. Arandæ etiam ineunte Septembri, de Ferdinandi principis Magistro pædagogico, & plerisq; aliis ministris amouēdis, sollicitè egit. Dicitur est supra, Ferdinandum Caroli fratrem, à regibus catholicis, Petri Nonii Guzmani, Oretanæ militiæ clauigeri curæ traditū: sub mortē Philippi regis, cum e Senticensi oppido vbi diuersabatur, in arcem per Didacum Gueuarā deductus esset, Catanensis Episcopi Petri fratris studio & cōsilio Pintiam translātū fuisse: atq; hunc Petrum, Gueterio Padilla militiæ Oretanæ præfecto maximo satis cōcedente, in eius locū suffectum fuisse. Vtrumq; verò

verò Ximeno parum probante, factum est: vnde similitudo inter eos continuò sunt exortæ: quas Aluarus Oforius Dominicani ordinis sodalis Asturcensis Antistes, qui Ferdinandū primis literis instituebat, Ximenij odio sedulò augebat. Id aut ab Oforii ambitione proficisceretur, qui ægerrimè ferebat, Ximenij sedulitate omnē spem Ferdinando alumno admi res nouas in Hispania molendi. Nam ut fama incerta vulgauerat, quotquot in familia Ferdinandi erāt, mirum in modum coneuiscerant occasione aliquam offerri, qua ille rerū summa potiretur. Indicio fuerunt Guadalupani (de quibus diximus) libelli, multaq; alia temere dicta & facta. Nam motus Pintianos de militibus publicis repellendis, ab Oforio Asturicēsi magna ex parte cōcitatos esse diximus. Delationibus atq; calumnijs apud Belgas Ximeniū onerabat: Maximiliano Imperatori sese per intimos insinuabat: ut malè de Ximeno apud eum loquens, irritos optimi viri conatus faceret. Postremò ut Germana regina Imperatori nuberet curabat: nā ita fore arbitrabatur, ut aut Carolo aduentū differere, Ximeno Maximilianus sufficeretur, aut Germana Maximilianum nupta, suis rebus, suisq; consilijs magnū pondus & momentū afferret. Erāt quoq; nōnulli qui affirmabant, Petrū Nonnium, cæterosq; ministros, Ferdinandum puerum in Aragoniam transferre velle, & ibi regem constituere. Nam Aragonios, Ferdinandi catholici memoria, cui puerum vnice charum fuisse cognouerant, facillè in eam sententiam pertrahendos esse existimabant. Sed hæc omnia, quantū ad fidem & integritatē P. Nonnij & Oforij pertinet, vana fuisse, & ab eorum æmulis in vulgus sparsa, multis argumentis compertū habeo. Nonnius enim ob mores inculpatus, & insignē pietatem, ab Isabella regina pueritiæ Ferdinandi datus est custos: Oforius verò, etsi non admodum sedati ingenij fuit, animi tamen in reges fidelissimi habitus est. Verum cū Nonnius Oforio consiliorum comite, & nonnunquam authore vteretur, qui partim Dominicanæ sodalitati æmulatione, Ximeno Franciscano semper detrahebat, partim quod eum ad supremum fastigium euectum molestè ferebat, factum est, ut vterq; Ximeno etiam parum gratus esset. Vnde nec Nonnij cooptationē ad præfecturam Oretanā probauerit, & postea in ordinū militarium ordinem inquirens, illum præfectura pellere tentauerit. Nam Oforii consilijs credens, ab abbate Morimundensi, qui in Gallia Belgica Cisterciensis ordinis magisterium supremum tenet, suæ cooptationis firmitatem in regis Caroli detrimentum quærissimè arguebatur, & Ximenium in Senatum inquirentē diplomatibus Pontificijs, quæ Cisterciensi ordini sunt concessa, repellere tentauerit. De quibus Nonnius apud Carolū conquestus est, Gonfalu fratris filio ea de causa ad Belgas missis: qui cū Chebrío homine potentissimo insolentiùs exoptulans, in eius odiū incurrit: quare & tunc repulsus est, & deinde à Ferdinandi custodia amotus. Nam ut erat Ximenius rerum callentior, audiretq; Caroli aduentum Ferdinandi familiaribus non placere, & Belgarum mores ab illis palam culpari, Ferdinandi verò indolem & ingenium exosculari & prædicare, & Hispaniæ delicias appellare: ne si ipse in bonam partem acciperet, vulgus mobile erigeretur, operæpretium magnū esse duxit, eos honesta missione dimittere, & à Ferdinando quā longissimè amandare. Scripserat sæpius ad Carolū hac de re, & paucis antè diebus quā e Belgio appelleret, eius literæ Ximeno Cal. Septemb. sunt redditæ, quibus iubebatur, ut Petrus Nonnius Guzmanus, & Aluarus Oforius, Gonfalus etiam Guzmanus cubiculo præpositus, & Sanctius Paredius œconomus, qui omnes Ferdinando erudiendo, & in rebus quæ ad eum pertinere videbantur, curadis, egregiam hæctenus nauassent operam, quietam posthac vitam agerent: se enim eorum rationem propediem habiturum, ut homines id ætatis otium tenere possent. De reliquis verò, qui in Ferdinandi familia erant, facultas Ximeno dabatur, ut ex dignitate regia disponeret. Si hæc Caroli literæ in tempore ad Ximenium peruenissent, magna facilitate, quæ eius erat prudentia, negotium confecisset. Nam ad se puerum vocare potuisset, & Caroli fratris voluntatem blandè insinuasset: docuisset in magnam eius vtilitatem futurum esse, si Caroli iussis acquiesceret. Sed Veredariorū præfectus, dum de regis in Hispaniam nauigatione suscepta in illis agi putat, & tam exoptati nuncij præmia à singulis re-

gulis & proceribus per ministros corrogat, totos quinque dies fasciculū literarū domi retinuit. Accessit etiā & secunda remora. Nam cū Ximenius valetudinis gratia, in Aquilæræ cœnobii secessisset, nihil interesse veredarius putauit, illi redderentur an Adriano, qui Arandæ erat, vt ad Ximeniū transmitteret. Adrianus verò siue de aduentu Caroli sollicitus, de quo fieri certior cupiebat, siue humano vitio res arcanas cognoscendi, siue potius à Ferdinandi familiaribus, qui iam aliquid olfecerant, instigatus, fasciculū soluit, & ex literis quæ ad se erant datæ negotium cognouit: Ferdinādus etiā suas legit, & rem omnem inter suos vulgavit, adhuc Ximenio inscio: qua de causa ex Caroli præscripto nihil potuit à Ximenio cōfici. Adrianus in errore, aut culpa potius fortasse fuit, qui integrum fasciculum ad Ximenium, vt inscriptio faciendū esse indicabat, reicere debuisset, aut tacitus rem integram seruare cum illo communicandam. Sed fieri potuit, vt qua erat animi simplicitate, prius literas Ferdinando tradiderit, quā suas legerit, & serò factum doluerit. Ergo postquā Ferdinandi ministri rem intellexerunt, dolore maximo sunt affecti: & quanuis nullum in puero præsidium esse videbant, tamen in desperata eius etiam opem implorandam putarunt. Quare eius se fidei & tutelæ commendantes, omni prece ab illo efflagitant, vt cum Ximenio enixè contendat, ne ante regis aduentum quicquam moueat: & vt sunt pueri creduli, in eius contemptum & contumeliam, id negotiū à Ximenio fuisse procuratū persuadere sunt conati. Postridie eius diei Ferdinādus puer Asturicensi Antistite tantum comite, (nā P. Nonnius ægrotabat, & Adrianus erroris sui causa, negauit se ad Ximenium iturum) & probe suorum oratione instructus, Aquilærā ad Ximenium venit, cui Beiaensis dux, aliique reguli fortè aderāt, qui extemplo digressi, locum Ferdinando sine arbitris reliquerūt. Ergo penè lachrymis erumpentibus, secum indignè agi cū Ximenio conquestus est, quod antiquis, fidiſſimis & optimis ministris, quem sui amantissimum esse existimabat, sine vlla causa priuaretur. Igitur illum per aui Ferdinandi memoriam, per Isabellæ reginæ erga ipsum merita obsecrat, vt tam insignem contumeliam sibi fieri nequaquam sineret, integerrimo custode, præceptore appositissimo, obsequentibus ministris, cœuis denique quibuscum libenter conuiuiebat, per summum dedecus & iniuriam ablatiſ. Pueri pectus dolore accensum Ximenius blando sermone demulcet: omnia magna de eius incremento, de quæ summo apud fratrem loco modò illi pareat pollicetur. De contumelia verò quam tantopere dolebat, se longè aliter sentire, cui propter ætatem & longam rerum experientiam, propterque summum amorem, quo semper eum profecutus fuerat, æquum erat vt consulenti crederet. Officia in ministros iure quidem deberi, sed cariores esse qui nobis sanguine coniuncti bene monent. Cogitare ergo, affectu illo quem famulorum verbis conceperat deposito, id à fratre omnium regum potentissimo, eiusque in primis amantissimo, sine vlla exceptione iuberi, cui repugnare nec tutum nec pium erat. Quod si aliorum atque ille fecisset acciperet, offensusque animi, aut parum grati significationem daret, se & sua in manifestū discrimen adducere: & suis familiaribus damna & detrimenta maxima creare, dum parum cautè curat consulere. Nihil Ximenii dictis pueri animus semel persuasus mouebatur. Amorem (inquit) tuum erga me multis in rebus hæcenus sensi, nunc tamen cū maximè mihi opus erat, nescio quò tandem auolauit. Ergo quando tibi propositum est, me & meos omnino perdere, quibus parua temporis dilatione succurrere possis, curabo ipse rationem inuenire, qua mei nihil detrimenti capiant. Ximenius iam tunc paulò irritatior, asperiori oratione adortus, age quod libuerit Ferdinando: nam ego per caput Caroli tui fratris iuro, quod etiam si Hispania vniuersa aliud niteretur efficere, non posset, quin cras ante solis occasum, regis mandata sint confecta, quibus te ante omnes parere oportet. Quæ simulatque à Ximenio dicta sunt, Ferdinandus animum virilem ante annos gerens, tanta incessus moderatione, & vultus constantia ab eo Arandam reuersurus digreditur, quanta ætate iam matura potuisset. Ximenius verò pueri & oppidi custodiam, Cabanillæ & Spinosa cohortis Prætorianæ præfectis ad se accessit, commendat: iubetque, vt præſidiis militaribus ex finitimus locis conuocatis,

catas, excubias per noctis vigilias agant: omnemque exitum Ferdinandi ministris intercludant: ne quod postea ab illis tentatum fuit, cum puero regio abiquò diffugerent, & motus concitarent, iam rege in Hispaniam vela faciente. Ita gnauiter & strenuè Spinosa se gessit, vt priusquam Arandam Ferdinandus venisset, quem Cabanillas deducebat, custodia expedita & in procinctu essent, continuoque fuerint suis locis dispositæ, quod mirè omnium conatus compressit. Ea nox infomnis & turbulenta Ferdinando, & eius ministris fuit, dum inter se communem fortunam dolent. Vox Ferdinandi à cubiculi ministro, qui prope stabat, grauior quàm pro ætate excepta est, Ximenio si in proposito persisteret inimicitias capitales minantis. Cui cū Nonnius, Oforius, & cæteri qui aderant dixissent, quo pacto se id facere cogitaret aduersus hominem potentissimum, & tot præſidiis militaribus munitum: simulabo (inquit) me ad matrem reginam proficisci, & iter quò libuerit desectam, & quem mihi aduersantem offendero interimam. Ergo cū aula discedendum viderent, syngraphas à Ferdinando imperarunt, quibus pollicebatur se illos in familiam reuocaturum, simulac sui iuris factus esset, & maioribus aucturum honoribus. Quod Castillegii indicio, qui ab epistolis Ferdinando erat, Ximenius cū in eius familiam inquireret, cognouit. Ferdinandus ex suorum consilio, regios senatores, & duos pontificis maximi nuntios, & quotquot aderant episcopos ad se vt venirent, rogat. Quibus Caroli regis mandata exponit, sibi quidem, & suis graua, sed tamen libenter ferenda. Elletamen vnum, quod pro ipsorum debito in regiam sobolem officio, ab illis peteret, vt quando suorum familiarium dignitatem & fidē longa experientia nouissent, & quā paratis & obsequentibus semper illis vsus fuisset, ad fratrem regem de ea iniuria & contumelia literas darent. Quod cū id se facturos respondissent, non est illos amplius moratus. Ximenius per Baracaldum cum Adriano egit, vt ad se P. Nonnium, & Oforium episcopum, & Gonſalum Guzmanum adduceret: velle enim consilii sui rationem illis exponere, & querelis, quas de eo iactabant, fatiscere. Ergo post expostulationes factas, & Ximenii responsiones, ad hoc tandem ventum est, vt se dicerent quod imperatum esset facturos: orare tamen vt autoritate sua & gratia, qua multum apud Carolum valebat, eorum iacturam & damna curaret refarcienda. Ximenius qui eorum animos explorabat, vt si minus iussa comprobarent, Arandam redire omnino vetarentur, postquam obsequentes est expertus, reuertendi locus est datus, resque suas eo die componendi. Igitur ab alumno ægrè diuulsi, ante solem occidentem Nonnius Oforius, & Gonſalus Aranda discedunt. Ni id fecissent, aut Nonnius quò minus id facerēt impedimento fuisset, decreuerat Ximenius eum ad Oretanum præſidium mittere, vbi in arcta custodia teneretur, donec Carolus in Hispaniam appelleret. Ferdinandus Aquilario Marchioni, cui multum Ximenius deferebat, interea traditur: nam Alphonsus Tellezius cuius curæ commendari à rege iubebatur, Arandæ non aderat. Tres de triginta veteres ministri ex familia Ferdinandi sunt amoti, in quorum locum inferioris conditionis homines, ne animos efferrent, consultò assumpti sunt. Seuerum Aquilam equestri rei propositum, & Moschosum puerum Altamiræ vicecomitem dimissos fuisse, mirū fuit: nam ille Sanctii Aquilæ & Isabelle Carauajalæ filius, matris causa retinendus credebatur, quæ Ferdinandum omni diligentia & cura nutruerat, tantaque fide de reuerentia Carolo fratri exhibenda apud puerum assidue agebat, vt Nonnius & Oforius inciuilius nonnunquam cum illa egerint, exploratricem appellando, quam pollicitis Ximenius submitteret. De Moschoſo verò, parentis optimi viri & fortissimi causa, qui in Africanis expeditionibus obierat, omnia fausta & prospera sperari poterant, præsertim illa in ætate & præclara indole. Erat Moschosus liberali facie, corpore agili & compacto, & ingenio ad res omnes tractandas dexterrimo, ob quas dotes semper Ferdinando fuit carissimus. Nam siue artem armorum ludicrâ exerceret, siue serii quid tractaret, siue ad literarum studium cogitationem conuerteret, hic operâ similem daturus præsto erat. Idcirco hunc à se diuelli impotenter Ferdinandus doluit: atque ob hoc multum sibi Carolum debere affirmabat. Cogitauerat Ximenius de

Moschofo non amouendo, & proculdubio fecisset, ni illi Orofius fuisset patruus. Hinc facile cognosci potest, quã seuerus ac penè durus Ximenius fuerit, qui puero bene nato amabiliq; & hominis de se benemeriti filio parci noluerit, ne apud Ferdinandum vlla Oforij soboles relinqueretur. Ob rem tam celeriter cõfectam omnes admiratio inuasit, & religiosè curabant officium facere, vt à Ximenio probarentur. Alphonfus Castillegius in familia Ferdinandi mansit, nã homo musis & poesi deditus innocentiam suam præ se ferebat. Belgæ tamen nonnihil seditiones subueriti, vt ad Marchionem Asturicensem, & ad Lemosiorum comitem, Nonnũ & Oforij propinquos, literas Carolus daret, effecerunt: quos hortabatur, ne vilo modo Ximenij actis impedimento essent. Sed Ximenius suæ virtutis & potentiaæ conscius, ex autoritate regia non se facturum putauit, si eas literas Asturicensi & Lemosio redderet: atque hoc ipsum sæpe multis in rebus fecit, parum curans quid Belgæ trepidarent. Seniores quos vsus ac rerum prudentia edocuerat, rerum que euentus attentius contemplantur, Ximenij factum, vt quieti reipublicæ necessarium, maximè laudabant. Paulò antè quàm hæc gesta sunt, Antonius Rogius Granatenfis antistes, qui regio senatui præfectus erat, ad Carolum scripserat, Ximenium ambitione cuncta moderandi, quid Ferdinandi familiares agerent præsensisse, & cum eis quoq; fœdus fecisse, vt in omnem euentum puerum sibi magis deuinciret. At Ximenius hæc quæ diximus de familia Ferdinandi tacitè machinabatur. Aquilarius cuius vicariæ curæ Ferdinandi commissus fuerat, ita probè seueritatem cum comitate miscens, puerum tractauit, vt ipse per literas sit Carolũ deprecatus, ne Aquilarius, donec ipse in Hispaniam veniat, quod propediem futurum sperabatur, à sua familia amoueretur. Ximenius etiam literis suis Aquilarij fidem & industriam mirificè commendauit: & vix alium inueniri posse dixit, qui incorruptius & obsequentiùs quicquid ipse præscribat exequatur. Nam Alphonfus Tellezius, quem ad id munus obeundum designauerat, omnia ex Ascalonij voluntate, cui cognatus erat, facturum videbatur. Didacus aut Gueuara, de quo præficiendo consultabatur, Velasco comestabili admodũ deuinctus erat. Quod si inconstantiã notã vereretur, posse Chebriũ de regis voluntate, illius muneris curas partiri, & Aquilariũ cubiculo præficere, Tellezium verò vniuersæ familiæ. Quanquã nullam leuitatis animaduersionẽ incurreret, si donec ipse adfit, Aquilarius in munere cœpto perseveret: idq; ita reperio esse factum. Post hæc, cũ varia valetudine apud Aquilaram Ximenius esset vsus, sanie, quam diximus, copiosius ex auribus dimanante, visceribusq; ipsi grauius affectis, quorum in homine sene difficilis semper curatio fuit, magis de eius salute timere familiares & amici cœperunt. Fama igitur crebra iactauerat, Ximenium morbo lethali laborantẽ, in cœnobio Franciscano abditum, reip. curã protinus abieciisse. Quod vt in Bætica vulgatũ fuit, indeq; in Africam delatum, Petrus Gironius Assyndonenfes continuò inuadit. Mauri cuncta eo ægrotante negligentius curari existimantes, oram maritimam Granatæ proximam infestare audacter tentauerunt. Turcæ, qui nuper Algerium occupauerat, Horuscio Barbarossa duce, Oranum Ximenii decus, & trophæum, magna vi militum adoriri destinantes, ipsam propediem inuasuri nunciabantur. At Ximenius qui animi vigore, quantumuis corpore debilitato esset, nunquam destituebatur: ad Gironii motum comprimendũ qui mille & quingentis peditibus ex agro Vrsanenfi congregatis, apud Moronum alias copias conuocabat, Quignonio Lunæ comiti, Hispalis præfecto, reip. præfidijs accersitis, iustum exercitum cogat iubet, eoq; in Gironiũ feratur, donec aut captum ad se viuum perducatur, aut interimat. Id à Quignonio præclare curatum est. Anna Aragonia Assyndonenfis reguli vxor, gemmas & lapillos, omnemque mundum muliebrem, ne reipublicæ ærarium exhauriretur, Quignonio liberaliter obtulit. At Gironius pater intelligens Villafratensem culpam denuo suscitari, cuius nondum veniam à rege consecutus fuerat, & publica præconis voce eius bona fisco regio addici, & adhuc Ximeniũ spirare & valere, supplices literas ad eum mittit, quibus filii errorem & peccatum deprecatur: & se protinus operam daturum promittit, vt ab armis discedat. Quod quanuis cõtinuò factũ fuerit, Ximenius tamen

gra-

grauibus interim literis Carolũ hortatur, vt digno aliquo exemplo tantam tamq; assiduam cõtumaciã eorum plectat. Ex Mauris qui ad tercentum in terram descendentes prædas ex maritimis oppidulis agebant, quinquaginta duntaxat elapsi, cæteri capti aut occisi sunt. Aduertum Turcarum aduersus Oranum, cùm Carolus quoq; dum vela facit, per nauticos aliquot prædones cognouisset, de eare simulatque in Hispaniam appulit, certiorum Ximenium facit, & vt Orano primo quoque tempore subueniendum curet imperat: nihil enim grauius eò tempore posse accidere, quàm si ille in Africana regna aditus aliquo casu aut negligentia occluderetur. Se enim assiduè animo voluere, quonam pacto nomen Christianum dilaret, & Hispaniã littora à piratis tutaretur. Ad quæ cõficienda peraccommodam stationẽ Oranum esse: ob cuius expugnationẽ, & se, & remp. multũ illi debere fatebatur. Lætas eas literas Ximenius accepit, eiusque proposito laudato, reges eos, si historias repetat, beatissimè in Hispania vixisse ait, qui ad eum modum religionem adaugere contendissent. Cæterum de Orano, tanquam de propria sollicitum prouincia, per illius vrbs custodes quòtidie admoneri, & omnia necessaria prouidisse. Sed quoniam magnum hostium numerum esse audierant, cui milites nostri pares non essent, Didaco Fernando Comario marchioni, Orani præfecto præcepisse, vt se intra mœnia cum suis contineret: satisque agi à se existimaret, si eam fortiter & strenuè tutaretur. Postea cognitum fuit, Numidas Turcarum immanitatem & potentiam formidantes, eos Oranum venientes adortos, & conferta pugna fudisse, nostros verò sollicitudine & cura liberasse. Carolus se primo idus Sept. cunctis ferme aulicis inuitis, quibus eo tempore nõ satis tuta nauigatio videbatur, suo tantũmodo consilio vsus, oram è Belgio soluerat: & ad Tazones Asturiæ oppidum, horridis cauib. vallatum, & importuosum, quod nemo vnquã existimauisset, quinto Cal. Oct. cogentibus ventis classẽ appulit. Est non longè oppidum Villauiciofa appellatum, quò Carolus corpus è maris æstu curaturus, nauisq; illam, quã ex molesta & immodica iactatione comparauerat, depositurus se contulit. Carolum Leonora soror, quæ primũ Emanuelli Lusitanorum regi, deinde Francisco Gallorum nupsit, Chebrius inter cubiculi ministros princeps, Laurentius Gorrebotus, Veranius familiæ regiæ præfectus, Seluagius magnus Cancellarius, Carolus Lanouis equestris rei curator, Laxaus qui Aranda iam ad illum venerat, sequebantur, & è nostris permulti, qui in Belgium profecti fuerant, quos superius recensuimus. Aiunt eorum montium incolæ insuetam classẽ littora sua occupasse cernentes, dum Gallicas infidias, hostilẽsve aliquas incursiones timent, sceminas, pueros, & senes in montana loca seposuisse, ipsosque telis assumptis, in mari proximos colles ad vim repellendum paratos aduenisse: Carolum eo spectaculo lætatum Hispaniam è regia nauis proclamari, & vexilla explicari & erigi iussisse, castella simul & leones ostentantia, regum iam olim Hispanorum insignia. Armis proiectis regem suum in genua procumbentes Astures salutant, regemque Villamuiciosam ouantes deducunt, quam Villamudichosam, hoc est, fortunatã, vocari voluerunt, satis apposita literarũ permutacione. Velascus comestabilis, qui amplissimam in eo tractu regionem possidet, simulatque ad ea loca regem accessisse cognouit, rebus omnibus necessariis oppidula instruit: annonamq; quantum terra inculta patiebatur, sine vilo pretio omnibus suppeditari iussit. Ipse equitibus septingētis comitatus, qui omnes familiares, clientes, & propinqui eius censebantur, regẽ reuerenter salutaturus venit: & protinus est reuersus, ne tanto apparatu com meatum & hospitia angustiora faceret. Nemi postea ex proceribus aut regulis, ea in loca adire concessum fuit, donec rex ex illis montium angustiis explicatus, in latiorẽ regionem perueniret. Ximenius quem morbus ingrauescens per eos dies immodicè affligerat, exoptato nuntio exhilaratus longè valentiùs habere cœpit: atque ita pristinae salutis nonnihil restitutus, qui paulò antè lecto decumbebat, III. non. Oct. qui dies diuo Francisco dicatus est, sacra ad aram astans celebravit, & communi mensæ, quam refectorium vocant, cum sodalibus Franciscanis accubuit. Sed hæc vt Carolo perquam grata erant, qui animo verè regio, Ximenio de se tam multipliciter benemerito

multum deferebat, & crebris nunciis Abulensem hortabatur, ut in eo recreando, & restituendo accuratè, ut faciebat, occuparetur: ita aliquot ex Belgis molestissima fuerunt, qui illum omnino sublatum è medio cupiebant, priusquam in colloquium cù Carolo veniret. Videbant, hominem maximæ autoritatis, & ob res gestas summo apud regem in pretio habitum, omnia ex sua voluntate cõfecturum: ipsosq; statim, quod palam Ximenius parum confideratè sæpiusculè inter familiares dixerat, & in notis arcanis ad Carolum scribens subindicauerat, à regis cõsiliis esse deturbados. Igitur ex Parræ & Ianguensis medicorù relatione, à quibus in singulas horas de eius salute certiores fiebant, in quot dies spiritum vitalè producere posset intelligentes, Caroli itinera, dedita opera remorabantur, id vnum sollicitè curantes, ut ille prius viuere desineret, quàm cum rege cõgrederetur. Non cessabat ille interea per crebras literas regem admonere, quid in singulis rebus facere, quo pacto in obuiis excipiendis pro dignitate se gerere deberet. Nam cùm Belgarum consuetudo & conuictus simplicior multo, quàm Hispanorum sit, ut ad nostros mores vultum simul & sermonem componeret, suadebat. Adiecit præterea, se summo opere curasse, ut non mediocri pecuniæ summa ad Bugiæ custodem mitteretur, quam à Simone Ruizio publicano obtinuerat, datis ad Alphonsum Sanctium Valentinum quæstorem literis, ut primo quoq; tempore ea summa Bugiam deferretur. Nihil enim libentiùs agere, quàm ea Africana præsidia communire, & militibus illic collocatis stipendia debita persolvere. Vehementer quoque probare se ait, quod ex Panormitanis multis Neapolitanum exercitum sustinere rex constituisset. Siculos enim illos re atrocissima & inaudita edita, qui Vgonem Panormo eiicientes, cunctos senatores trucidarunt, omnem penam commeritos esse. Imò verò ita necessariò faciendum, modò classis aduersus Mauros instruenda esset, quemadmodum sibi per literas significauerat: alioqui ærarium nostrum, tot impensis nequaquam suffecturum, quantum esset probè per ipsum curatum, ut ditissimum haberetur. De cuius incrementis, de quæ summa vigilantia, quam ne regius census dissiparetur adhibuisset, rationem se coram redditurum: ob quam gratias non vulgares se reportaturum esse existimabat: nullas tamen maiores optare, quàm ut eius animum, mentemque incorruptam cognoscat, integramque fidem suam, quam semper in munere commisso præstitisset: & illi rem publicam incolumem de manu (ut aiunt) in manum traderet. Atque ita pro laboribus in ea hæcenus moderanda exhaustis, id solum petere, ut si quid ipsum deinceps admoneret, ab eo homine proficisci intelligeret, qui paulò antè cunctorum mortalium inuidiam eius duntaxat causa sustinuisset. Mira animi propensione hæc omnia à rege auscultabantur, & omnia ex eius consilio gesturus proculdubio videbatur. Belgæ id durè accipientes, in proposito persistebant, ne vnquam congrederentur: atque ita Villauiciosa profecti, sanctum Vincentium oppidum, cui Barquera cognomen est, deueniunt, vbi multos dies immorantur: & quò reguli, cæteraque Hispana nobilitas minus de rege adeundo cogitarent (nam & illos quoque verebantur, ne ut primi apud Carolum essent laborarent) in Aragoniam prius, deinde in Castellam eundum esse, vulgo iactant. Id ne faceret Ximenius monuit, addens ut nihil de rebus publicis aut priuatis cõstituat, donec ab ipso de regnorum statu, & ærarii facultate doceatur: sed interim omnia negotia in aliud tempus rejiciat. Ferdinandum fratrem in Germaniam ad Maximilianum imperatorem ut transmitteret, consulebat: ea tamen prudentia conficiendum, ut omnes intellexerent in Ferdinandi rem id esse, eiusque referre maximè. Sibi autem commodissimam rationem videri, si ex Maximiliani aui patrimonio bonam partem, aut totam illi cederet, quandoquidem ipsi tam amplissima regna Dei opt. max. consilio & prouidentia obuenerant. Post Ximenii mortem hoc Carolum fecisse certum est: neque id tam Belgarum consilio, quemadmodum multos credidisse video, quàm Ximenii monitu. Nam cùm Carolus æquam manibus lauandis posceret, curasse Chebrium aiunt, ut id ministerii Ferdinandus præstaret, quasi inferiorem fortunam sic melius laturus: Carolum vero, quod pius frater ad id se demitteret, doluisse: cuius hæc tunc vox audita est: Quàm

Quàm bene Ximenius admonerat. Protinusq; illum Verani principis curæ, qui palatii præfectus erat, commendatum, ad auum in Germaniam mittendum decreuisse, omni studio id Chebrio curante, æmulum amandandi causa, ut tunc peruulgatum fuit. Ergo dum Aquilæræ valetudinem Ximenius curat, testamenti etiam sui tabulas, quas anno eius seculi cùm duodecimo tum quatuordecimo Compluti condiderat, & hoc ipso anno antequam Arandam veniret sub mensem Iulium Madriti recognouerat, mira sedulitate euoluit. Et animæ suæ rebus cõsulens, quasi vitæ actæ iamiam Christo Deo rationem redditurus, omnia attentè inspectabat: & siquid minùs rectè factum videretur, id emendari & corrigi studebat. Ob vnum tamen Deo immortalis semper gratias se egisse dicebat, quod in tanta rerum magnarum & variarum mole, neminem damno aut iniuria affecisset: sed vnicique, citra vllum amoris aut odii affectum, suum ius tribuendum curasset. Antonius Rogius Granatenis antistes, senatus regii præfectus, qui Ximenii rebus semper iniquus fuit, tunc ei incommodandi occasionem nactus, omnes ferme senatores regios sollicitauit, ut Ximenio inconfulto Aranda regem salutaturi discederent. Et ne speciosa causæ defuisse viderentur, Ferdinandum puerum secum deduxisset, ni Aquilarius repugnasset. Præsentit Ximenius quid illi molirentur, & binas Caroli literas ad Antonium Rogium misit, quibus cauebatur, ne ipse aut senatores supremi à Ximenio digrederentur. Non tamen ob hoc ab incepto cessauit Rogius, tempus iam non esse iactans, ut cuiusquam nutum expectaret. Senatus præstorius, cæteri que aulæ Hispanæ administri in Ximenii comitatu iuxta Caroli præscriptum, manserunt. Postquam id Ximenius rescieuit, literas ad regem dedit, quibus de Antonii Rogii & senatorum profectioe conqueritur, qui regis mandatis neglectis, se remq; publicam, & negotia deseruisset. Quod si ante regis aduentum tale quid designauissent, ita se in eos animaduersurum fuisse, ut triduo nouum senatum, & eius nouum præfectum deligeret: illos vero per summam ignominiam gradu senatorio deiectos, in ordinem redegisset. Quamobrem illos statim indignandus Arandam redire iubeat, ut qua par erat dignitate, omnes simul illum adeant. Egrè id factum Carolus tulit, Rogium & Senatores acriter per literas increpauit, & ut ad Ximenium reuertatur imperat. Iam prope Pallantiam venerant, quando Caroli literis susceptis eadè via redeundum sibi esse intellexerunt. Omnia potius perpeti maluissent, quàm rursus ad Ximenii cõspectum reuerti, quem adeò temere offendissent. Itaq; facti culpam deprecantes, Almeriam & Polancum senatores ad eum legatos mittunt, qui ne rursus idem iter relegendum esset cum tot vxorum & familiæ impedimentis, ut illic vbi aderant, aut Pallantiæ saltem, expectare concederet, obsecrarent, donec aliud à rege ediceretur. Humaniter hi à Ximenio accepti sunt, & nulla animi offensi significatione data, omnè culpam, quæcunq; illa esset, remittere se ait. Cæterum de Arandam non redeundo verbum nullum esse faciendū: regis enim mandatis aliquid detrahère, nemini vnquam ex subditis licuisse. Itaq; Arandam Rogio irascentes sunt reuersi, qui itineris suafor extiterat. Longè aliter à regulis factum, qui ad officiorum obferuantia ex antiqua nobilitate propensiores, sese comites Ximenio obtulerunt. Anricus Almirantus legatum misit, obtestans ut se comite in primum Caroli regis cõspectum venire dignaretur. Ximenius gratias se illi agere pro tanto officio respondit: Anriqueiorum tamen familiam, cuius ipse princeps erat, adeò nobilem & illustrem esse, ut nefas videri posset, hac occasione cuiquam comitem accedere. Iret ergo bonis anibus regi obuiam, sua gēte & familia stipatus: ut Belgæ intelligeret, quantum illis nostri proceres antestarent. Haud ab simili elogio cõplures alios regulos & proceres, qui se illi obtulerant, dimisit. Hyems interea, quæ in regione illa multò maturius quàm in Cismontana aduentare solet, rigere cepit: & Ximenius ex cœnobii Aquilærani nimia humiditate graue damnum sentire. Decreuit ergo Roam, Siruelani comitis oppidum, vbi prima literarum rudimenta didicerat, tanquàm in terram patriam proficisci, & illuc senatū etiam regium ducere. Ergo focci, chirothecæ, & manicæ pretiosis pellibus, quas Zebellinas vocant, suffultæ erant, ipse etiā villosis vestibus bene contentus, lecticā ingressus est.

Erat ad pedes prunarium argenteum, accensis iuniperi carbonibus, manibus verò argenteum orbē ferro candenti incluso gestabat. Ergo cū Roam appropinquaret, secumq; Ferdinandū puerū adduceret, comes Siruelanus illi obuiam fit: & se vereri ait, ne quoniam olim Roa municipium, Infantum patrimonium fuisset (sic nostri regum filios appellant) vnde & eiusmodi ditionis oppida Infantatus quoq; vocarentur, Ferdinandus arcē in suum detrimentum occuparet: nam leuiores occasionib. propria possessione dominos sæpe turbatos fuisse. Omnia salua se viuo speraret, Ximenius iussit, quo dicto ille conqueiuit. Sedecim autē millibus passuum remotior est à Pintia Aranda quā Roa. Facta est hæc migratio xvi. Cal. Nou. tāta celeritate, vel quia pestis grassari Arādæ cœperat vt Abulēsis scribit, vel quod 10 Roa eo in loco sitū est, vt facillē Pintiam aut Segobiā inde posset iri: nam in alterutrum propediem migrandū esse non dubitabatur. Sed Ximenius Segobiam maluisset, vnde in suam Carpetaniam facillē transire posset. Certē sub extremum Sept. cū meliusculē valere sibi est visus, Pintiam laudauit vt splendidam & capacē urbem, & à pestilentia fama liberam, & regio comitatu aptissimam, postea tamen cū à sancto Vincencio oppido Aquilarium Campense Carolus venisset, vbi multū ex aulicis Hispanis illum, vt iussi erant, præstolabantur: Ximenius literas ad eum xi. Calend. Nouemb. dat, quibus ne Pintiam deueniat iam pestilentia morbo laborantem deterret: se enim eo die nuntium accepisse, non ita pridem quatuor homines 20 Pintia peste obiisse: totamque finitimam regionem eo morbo grauitè infectam esse. Quare Segouiam diuertendum esse videbatur, urbem Pintia non minorem, eiq; rerum abundantia parem: vbi de negotiis agere, & locum conuentibus agendis deligere, & transfuēctionem militum publicorum contemplari posset, quod se Pintia facturum proposuerat: nam stationibus æquo interuallo ab vtroque oppido distantibus, in hybernis legiones erant. Quamquam de conuentibus statim habendis sibi quidem parum probari: nam populi rebus antea factis commoti, ad res nouas petendas animati erant. Quare plurimū referre, vt aliquandiu conuiescerent, donec reipublicæ negotiis sine tumultu compositis, regis præsentiam atque imperium vererentur. Esse enim vehementer curandum, vt à principio per summam reuerētiā reges à subditis excipiantur. Hoc prudentissimum consilium neglectum fuit: quapropter parum abfuit, quin respub. euerfa 30 fuerit. Dum de loco designando tractabatur, commodum Roam legati Toletani aduenerunt, qui ab vrbe sua ad regem mittebatur de aduentu gratulaturi, & eum supplicibus verbis oraturi, vt urbem Hispaniæ amplissimam primis conuentibus celebrandis optare dignaretur. Nam præter eius celebritatem, & aeris salubritatem qua semper fruitur, opportunissimo in loco sitam esse, vt vndique ab Hispaniæ ciuitatibus, cuius vmbilicus videri potest, commodè adeatur. Ximenius, qui iam tum Toletanorum fidem, & vrbis naturam, situm & pulchritudinem cōmendauerat, Regem ita se posse ad Cismontanos deducere sperans, senatus Toletani factum vehementer collaudat: atq; eis ad Didacum Lupum Aialam xv. Calend. 40 Nouemb. literas dedit, quibus ostendit, quā illi cara vrbis Toletum esset: iubet enim vt legatis se comitem adiungat, & eorum causam Ximenii nomine regi cōmendet: ciuium integritatem, salubres loci auras, annonæ vbertatem edisserat. Benigne & comiter legati Toletani à rege sunt accepti: veruntamen Belgis parum id probantibus, qui littori proximi esse cupiebant, & in Hispaniæ interiora penetrare formidabant, Pintia tandem commodior visa est. Didacus Lupus per hos legatos Ximenium consuluit an Roam iret, de rebus singulis copiosius ipsum edocturus. Id ne faciat Ximenius iubet, pedē mve à curia discedat, donec aut ipse aliū substituatur (nam principem aliquem virum se propediem missurum cogitabat) aut coram, quod mallet, Carolum conueniat: nam sibi vires firmiores iam esse, vt itineri dare se possit. Ergo Carolus priusquam Pintiam veniret, Turdesillas matrem 50 salutaturus ire decreuit. Iā itineri accinctus ad Ferdinandū fratrem, Ximenium, senatumq; regium, & ad omnes regulos literas dat, quibus multis verbis suū consilium de matre regina visenda, declarat. Nam ea de causa, relicto Belgio in quo natus atq; educatus fuerat, in Hispaniam potissimum venisse se dicebat, vt aliqua

curatum & solitudinis parte matrem leuaret, ad cuius nutum semper se accommodare certus erat. Collaudauit Ximenius animi pietatem in parentem: cæterum tam multis de ea re egisse non placebat. Nam si re integra sententiam fuisset rogatus: id ne faceret vehementer hortatus fuisset. Neque enim tam id scribere rex videbatur, quod factum suum probari vellet, quā metu aliquo impulsus, ne quid negotii faceretur, matre ad reipublicæ curam capiendam, peruerso malorum hominum consilio, instigata. Nam multa per reges agenda esse censebat, quorum ratio reddi non deberet. Incidere enim per sæpe negotia, quorum ea natura est, vt prius sint conficienda quā euulganda. Interea Pintia hospitium signabantur: vbi quod animum Ximenii offenderet, per quatuoruiros Belgas hospitiorum præfectos, factum fuit. Bernardini iurisperiti domum qui hospitium Ximenii curabant à Belgis poscebant, vt salubrem & Ximenii valetudini peraccommodam. Illi verò Germanæ reginæ esse designatam contendunt, quam Ximenio præferri par erat. Hoc cū Ximenii ministri ad Ascalonium, qui Pintia aderat, & multis à Ximenio beneficiis affectus, eius amicitiam perpetuò coluerat detulissent, cum Teneramunda quatuoruiro, quo cum sibi à Philippi regis tempore familiaritas intercesserat, multa de Ximenii amplitudine & meritis disseruit: cui non modò in hospitio deligendo, sed in omnibus apud regem officiis, primæ partes iure deberentur. Non esse igitur, cur domum quam eius procuratores postulabant, negaret: ni fortè regium dari palatium mallet, quod ille paulò antè, regis vicarius biennium obtinuerat. Omnia modesta Teneramunda respondet, sibiq; hominis clarissimi dignitatem iamdiu cognitam: cæterum regias ad se literas fuisse perlatas, quibus vt Bernardini & des Germanæ reginæ relinqueret, iubebatur. Ascalonium hæc singula ad Abulensem scripsit: & se à Bernardino eiusq; vxore accepisse ait, Albani ducis opera id esse factum. Nō nihil eo nūtio Ximenius commouetur, quod ea de re tractari indignum sua autoritate iudicaret: sed tandem illi domus Bernardini data in hospitium fuit. Sed dum familiaribus quoq; hospitium petuntur, in vicum Pintia proximum ire iubentur, quod periniquo animo Ximenius tulit. Nam neque sub regibus catholicis, aut sub Philippo Caroli patre, 30 quando non modò principibus, sed milirum cohortibus regia curia erat referta, tale aliquid cum familia sua actum fuisse dicebat. Nunc verò post tot merita, post tot labores pro Carolo exhaustos, contumeliā sibi pro beneficio reponi, indignissimum esse arbitrabatur. Sed qua erat prudentia & grauitate, omnem animi molestantiam comprimebat: & rege aulicisq; ignaris, id fieri per ministros rerum nostrarum incios dicebat. Aulici Belgæ, quibus permolestum & graue erat, quicquid in gratiam Ximenii fiebat, nihilq; auidius cupiebant, quā omnem eius auctoritatem imminutam esse, cum nimia eius viuacitate offenderentur, repulsam illi struunt: nempe validissimum mentis quantumlibet constantis arietem. Mora Paxaugustanus episcopus, in Chebrii patroni gratiam & sua priuatim causa, vt Carauajalus prodit incitatus, author pessimi consilii fuit: qui vt rex ad hunc modum ad Ximenium scribat suadet. Se Turdesillas iter instituire: curaret igitur vt ad Mo iados antistitis Segouiensis oppidum, occurreret: vnde postquam de reip. rebus in commune egissent, consiliumq; ab eo de priuatis rebus componendis, totaque familia constituenda sumpsisset, domum quieti suæ consulturus discederet. Sat enim laborum pro rep. subisse: quorum præmia, quando nemo mortalis dignè tribuere valeret, à Deo opt. max. expectaret: se verò quandiu viuere daretur, memorem futurum, & ea obseruantia profecuturum, qualibet bene instituti optimos parentes profequi consueuerunt. His literis à Carolo acceptis, Ximenius se planè reiici repelliq; sentiens, febris lethali (vt ferunt) correptus fuit. Abulensis verò, qui de hac re ad Lupum scribit, pridie quā hæc literæ Ximenio redditæ essent, sub vesperam ea febris laborasse ait: atq; idcirco Caroli literas grauitè iam ægotanti datas non esse, sed ad senatum regium missas. Adriano verò qui eas literas miserat, vii. idus Nouembris rescripsisse, quo in statu Ximenius esset: nam eo ipso die quo literas receperat, decimam octauam horam à febris incremento numerari, & medicos affirmare vigesima quarta è vita migraturum: quare certiorē regē faceret, X

nam fortasse hoc accepto nuncio, propositū de Moradis petendis erat mutaturus. Vtigitur se mori sensit, vitæ sanctissimæ actæ præclara documenta dedit. Nā quavis corpore nimis afflicto & debili, animo tamen, & iudicio firmo, de rerum humanarum instabilitate & vanitate, de immensa Dei misericordia, apud suos breui quodam sermone piè & doctè disseruit. Deinde Christi crucifixi signum complexus, veniam à Deo multis lachrymis efflagitauit, vocās interim in suum patrocinium Diuos omnes, sed ante alios Deiparam virginem Mariam, Michaelē archangelum, Petrum & Paulum apostolorum principes, & Iacobum Hispaniarum patronum, diuum etiam Franciscum, sub cuius instituto vixerat, & Toletanę ecclesię præfides Eugenium & Ildephonsū. Quæ tanta ab illo pietate, atque animi Christiani affectu dicebantur, vt circumstantes amici lachrymas tenere non potuerint. Ergo postquam religionis sacra omnia absoluit, vt oleo sancto perungeretur postulauit: & astantibus Petro Lerma, Antonio Roderico, Fontano Archidiacono, & Balbasio, qui morientem piis precibus iuuabant, & fidei constantiam augebant, subinde versus illos Davidis repetens, In te domine speraui, amantissimus & amplissimus, qualem posteritas vix est habitura, animam efflauit vi. idus Nouemb. die Dominico, anno sui pontificatus xxxi. ætatis verò circiter octogesimo. Cunctis qui aderāt mœstissimis, sletus ingens obortus est, qualem patronum, qualemq; dominum amitterent in clamantibus. Vox moribundi audita est, qua se libenter quidem mori dicebat, quanquam eius morte rebus Hispaniæ incomparabilis iactura pariebatur. Paulò antequam moueretur, epistolam dictare ad Carolū cœperat, qua illi suam Academiam, & cœnobia à se cōstructa & dotata, familiamq; suam suppliciter commendabat, sed digitorum rigido stupore subscribere non valuit. Aderant in vltiori cubiculo multi ex aulicis dum animam Ximenius ageret, inter quos Vadillus & Collazus militares tribuni, qui Ximenii aulam frequentabant, simulatque obiisse vulgatum fuit, argentea vasa, quæ in abaco de more permulta erant, cæteramq; ad manum expositam supellectilem deprædari adgressi sunt: idq; omnino cōfecissent, nisi Coronellus Spinosa, aliquotq; ex proceribus prodeuntes, & præsertim Alphonsus Arellanus Aquilarii comes qui cognomentū ab obtorto capite habuit, eos deteruiffet. E cubiculo in quo decubuerat, in proximum triclinium Ximenii cadaver productum fuit, & pontificiis vestibus indutum, in sella vt viuēs solebat est locatum. Posthæc lecto pretiosis stragulis ornato, & conopeo pendenti intecto, componitur. Continuo per Roenses vias publ. vox præconis audiri cœpit, qua & Ximenii mors denuntiabatur, & oēs ad deosculandas manus de more inuitabatur, proposita erratorū indulgentia. Magnus hominū concursus factus est, non eorum solū qui Roæ aderāt, sed ex finitimis circūcirca oppidis. Conditū fuit cadaver vnguentis & aromatibus, & multo imprimis sale, vt Complutū asportari posset, vbi se humari iussit. Sed dum iter adornatur, in Roense templum transfertur: vbi quotannis vi. idus Nouembris illi parentatur. Eo ipso die Cisnerus vir iuris peritia & prudentia non vulgari præditus, quem Ximenius semper magni fecerat, & omnium cōsiliorum participem habuerat, diem suum obiit: cuius cadaver Cisneros municipium, ad paterna monumenta deportatum est. Qui Ximenium Complutum afferebāt, imbribus assiduus toto itinere vehemēter impediti, qua nocte vicum Roblegordum deuentum est, largioribus delapsis aquis magno in discrimine fuerunt. Turrilacuna, Ximenii natale solum, altero die eos excepit: vbi mœrens patria tanto alumno orbata, iustissimo dolore squalens & lugens, per agros effunditur: & ad virginis Deiparę cœnobium, quod ipse sumptuosum & splendidum condiderat, innumeris facibus comitatur. Ibi iustis per cœnobia sodales parentationibus exolutis, postridie Complutū delatum est. Academia temporarium sacellū, vndiq; gradibus funebri veste stratis cinctum, & in eo cenotaphium ad portam Burgensem constituerat. Vt autem proximè aduentare cognitum est, iuuentus studiosa, cœnobarum fratrum collegia, ordines literarii, omnes mœstissimi, postremò Michael Carrascus iterum rector patribus theologis, collegis que suis comitatus, obuiam ad sacellum processerunt. Altera ex parte, Abbas & capitulum sanctorum Iusti & Pastoris,

storis, aduenere, funesta etiam & atrata Ximenii familia paulò post accessit. Tantisper eo in loco constiterunt, dum preces aliquot funebres, & carmina expiandis manibus accommoda, tam capituli quā collegii sacerdotes, mœstis rhythmis incinuerunt. Contentio illico inter canonicos & collegas exoritur, dum vtriq; Ximenii cadaver ad suum sanū deducere cupiunt. Eam ægrè Abulensis composuit, qui prolatis testamenti tabulis, diui Ildephonsi ad collegium Complutense ædem suę sepulturæ Ximenium deligere recitans, tandem capitulo vt desisteret persuasit. Populum verò Complutensem obuiam progressum & multa mœroris signa dedisse certum est, quāuis alii contrariū asseruerint. Nam & diuuiris, & decurionibus pullas vestes ex publica pecunia datas fuisse satis constat. Certè ea extabant Ximenii merita in ciues Complutenfes, vt sine piaculo secus facere non potuissent. Illud tamen dissimulari non potest, villas quas ad scenicularium agrum, non longè à Compluto, in aruis Benedicto nepoti vectigalibus, inuitis Complutensibus Ximenius extruxerat, extemplo ab eis dirutas fuisse. Ildephonsi collegæ Cardenam canonicum Toletanum rationibus collegii prepositum, & cōmunes ædes cum eis incolentem, Ximenio defuncto statim eiecerunt: nonnullaq; alia, quæ magis eius voluntate, quā vilius decreti virtute siebant, abolere neuitiquā sunt veriti. Multum à Ximenii voluntate Abulensis testamenti executor in paratilibus celebrandis deflexit. Nam cum antistes religiosissimus palàm in testamenti principio prohibuisset, ne quid superbæ vanitatis, aut vulgaris ambitionis & arrogantiæ, in eius funere fieret, amplissimum factum esse scimus. Siruelus theologus cōcionem de eius laudibus, & de temporū insequentium deploratione habuit. Is quasi proximam calamitatē diuinans, quæ remp. continuo occupauit, versiculum illum Davidis concioni suæ thema proposuit: Increpa feras arundinis, congregatio tauro-rū in vaccis populorum, vt excludant eos, qui probati sunt argento. Quem alioqui obscurum, & mysteriis perplexū, graui & diserta oratione ad Belgarū aulicorum mores detorsit: qui nostratibus pulsus, sibi solis apud adolescentem regem locum relinqueret: & assiduis ac immodicis prædis se, & suos locupletarent. Dies quo humānus Complutum inferitur, diuo Eugenio primo archiepiscopo Toletano, lōga olim maiorum religione, non modò in Toletana diœcesi, sed per vniuersam tam Hispaniam quā Galliam sacer est. Quā ob causam rector, & theologi patres, qua pietate in diuum sanctissimum Ximenius fuisset non obliti, in cuius, & diui Ildephonsi tutela suam Academiam esse voluit, lege cauerūt, vt eo die sacris anniuersariis conditori Ximenio parentaretur, fierentq; exequiæ ampla & illustri pompa, concione etiam habita in eius laudem, quemadmodū quotannis celebrari videmus. Sepulchri verò monumentum quo est cōditus, è lunensi marmore candidissimo factum est, in quo eius simulachrum indumentis Pontificiis, & pastorali pedo ornatum visitur, multaq; alia signa rerum variarum in sepulchri lateribus, tam molliter omnia scalpta, vt Praxitelis, aut Phidias manibus ducta videri possint. In sepulchri fronte hexastichum est à Ioanne Vergara elaboratum, quod eius iuuenile ingenium satis ostendit. Erubescere vir eruditissimus ætate iam matura, cum hæc carmina multis aliis fuisse prælata meminerat. Sed sic illa ferebant tempora: adscribam autem ipsum epigramma:

*Condideram musis Franciscus grande lyceum,
Condor in exiguo nunc ego sarcophago.
Prætextam iunxi sacco, galeamq; galero,
Frater, dux, præsul, cardineusq; pater.
Quin virtute mea iunctum est diadema cucullo,
Cum mihi regnanti parui Hesperia.*

30 Anno ab Academia cōdita LVIII. Alphonsus Mendozius rector, sub cuius auspiciis, vt supra diximus, nostri hi commentarii cum ab Academia probati, tū honestissimo præmio sunt affecti, ferreis cancellis miro itidē opere, per Nicolaum Vergaram egregiū sculptorem, elaboratis, monumentū cingendum curauit, sedecim quibus licuit spatiis, totam Ximenii vitā cælaturis præclaris ostentantibus. Nō ab re futurū arbitror, si paucis complectar, quæ anno M. D. LXV. in transferendis diui

Eugenii reliquis gesta sunt. Nam præterquã quòd sempiterna memoria sunt dignissima, ad Ximenii etiã historiam facere videri possunt. PHILIPPVS II. Hispaniarum rex porëtissimus, ecclesiã Toletanã precibus, apud Carolum IX. Gallorum regem operam piissimam dedit, vt sanctissimi Martyris Eugenii corpus ecclesiã suã restitueretur. Quo votis eius annuente, quanuis Gallia populis dolentibus, ac potissimum sancti Dionysii monachis, in quorum cœnobio multis iam seculis asseruabatur, numenque Martyris non vulgaribus miraculis præsentissimum sentiebatur, in Hispaniam per Petrum Manricum canonicum Toletanum, iure quodam postliminii reductum fuit. Consultabant interea Toletani templi patres, an ad ipsos Gallia & Hispania limites obuiam venerabundi procederent, indeque Toletum Eugenium deducerent. Qua de re cum regem consulissent, visum est, vt Manricus Turrilacunam, Toletanã diocesis limitaneum oppidum, & Ximenii natale solum, cum sanctissimis reliquiis festinaret, vbi tandiu consisteret, donec quid factò opus esset moneretur. Ventum est Turrilacunam postridie Calendas Iulias, vbi Eugenius in successoris Ximenii patria magna populorum frequentia exceptus, post tam diurnam à diocesi sua absentiam, quasi Ximenii laribus sese oblectaret, per totum autumnum diuersatus est. Fuit ea dilatio peropportuna, vt interea Episcopis, quos Toletani Antistitis suffraganeos vocant, ad Synodum prouincialem Toleti congregatis, primus Toletanus præsul Episcoporum suorum humeris in ecclesiam Toletanam inferretur. Sub extremum Nouembris diem, qui inter festos in fastis ascriptus fuit, id factum est, pompa celeberrima, variis diuorum ferculis, & passionis dominicæ insignibus, reliquiarum capsam multis gemmis & margaritis fulgentibus illustratam, præcedente: quam per vices Philippus rex, & Carolus iuuentutis princeps, & proceres alii subibant: quibus in partem piissimi laboris Episcopi prouinciales, & templi maximi sacerdotes succedebant. Hoc tanto apparatu, in vrbe nostram multis fornicibus, & amplissimis arcibus ornatam, & magno mortalium concursu ex omni ferè Hispania frequentatam, reliquias illatæ sunt. Nihil illustrius, magnificentius, aut splendidius eo in genere vrbs nostra vnquam vidit. In ædificula Dominici sepulchri, quæ subter aram maximam in templo est, rege iubente, depositæ fuerunt. Quanquam multi patres in sacello Mozarabum, quod Ximenius dicauit, Eugenio (vt credi par est) inspirante, collocandas esse contendissent. Ximenii mors, vt fuit bonis & rempublicam amantibus grauis & acerba, sic malis hominibus & seditiosis iucunda & grata. Nam cum quosdam Senatores regios Senatu eiecisset, & alios, vt merebantur, ignominia norasset, & inferioris nobilitatis hominibus salaria regia, quibus vt inutiles fuci fruebantur, abstulisset, potentiores verò antiquis stemmatibus & ditionis amplitudine superbientes, ex æquo cum cæteris viuere primus omnium edocuisset: fieri non potuit, quin illo sublato gauisi fuerint. Mors enim vtunque accidat, quibus ob damna aut iniurias illatas malè volumus, in vindictæ locum libenter accipitur: quanquã generosos homines, in æmulorum aut inimicorum morte, & doluisse, & præclaras illorum virtutes laudasse, accepimus: carent enim odio & inuidia. Certè Fadricus Albanus regulus, quo cum de prioratu extorquendo tam acriter Ximenius contenderat, miris laudibus post mortem efferebat: vnumque Ximenium fuisse affirmabat, in quo priscum illud robur eluceret, quo nostrates olim excellabant. Quòd si vultus & corporis lineameta, animum & mores produnt, operæpretium erit Ximenii habitudinem, & sensuum instrumenta compendio describere: vt qui hac naturæ parte delectantur, habere possint quo animum oblectent. Procerò fuit corpore, firmo tamen & compacto, incessu composito innatam grauitatem præ se ferente, voce virili & stabili, qualis in heroibus à poeta laudatur; facie oblonga & macra, Fronte ampla sine vllis rugis, Oculis mediocribus, cõditis potius quam eminentibus, acutis tamen & acribus, sed vuidis, quales esse lachrymantium solent, Naso oblongo & adunco, quem Græci grypum vocant, Narium foraminibus laeis amplisque, Dentibus bene iunctis, sed caninis prominentibus, vnde à ridiculis parasitis elephantus vocabatur, Labris crassioribus & aliquantum

rum diductis, nam superius non nihil attollebatur, sed citra deformitatem, Infimis auriculis non pendulis, sed perpetua serie ad maxillarum iuncturas hærentibus, Superiore totius corporis parte longior erat quàm inferiore sesquitertia ferme proportionem. Anno M. D. XLV. Andrea abbate rectore, cum fornix subterraneus, in quo Ximenii cadaver conditum fuerat, reficeretur, eius calua foras ad lucem deducta fuit, quæ nullis futuris compacta erat, sed ossè continuo constabat, qualem aliquando in homine reperiri Aristoteles notat. Animi sententiam breui explicabat, respondebat disertè, nec vnquam extra rem vagabatur: erat enim verborum parcissimus, etiã cum iratus minabatur. Nam cum beneficii loco aliquid promittebat, multò liberalius rem ipsam præstabat & cumulationem quàm verbis: neque vnquam temere, præterquam de rebus seriis, sermonem faciebat. Sæpeque illud Ciceronis vsurpabat, nequaquã ita nos à natura generatos esse, vt ad ludum & iocum facti existimaremur, sed ad seueritatem potius, & ad quædam studia grauiora. Tamen nonnunquam inter familiares suos, qui natura simpliciore & aperta erant (nam hisce hominibus impendio oblectabatur) iocis & risu animum laxabat seriarum rerum mole fatigatum: Sed adeò parcè & rarè, vt comitatem potius illi non defuisse, quàm comem & facilem esse iudicari potuerit. Dicitis Francij scurræ, quæ sale nigro carerent, delectari videbatur: erat enim acri ingenio & dicax. Domi hominem mente lapsus alebat, qui olim Theologiam didicerat, & tunc memoriter multa recitabat, cuius confusus & nonnunquã certis allegationibus oblectabatur. Sancti Pumlionis breui statura, & ingeniolo gaudebat: quem Ildephonsi collegis & rectori moriens commendauit, & mensarum ministrum esse iussit: id enim munus diligenter obibat. Maderolli militari & simplici libertate nonnunquam fruebatur, dũ illi per iocũ vt monachus fieret suadebat, quòd mentè sceleribus impiatã purgaret. Fuerat hic ad Oranũ tribunus, qui mira quadam dexteritate, multis hostibus quibuscum cominus pugnauit, dextros oculos punctim feriens effodit. Literis mirè videbatur recreari, quarum semper studiosus fuit. Solène hoc illi fuit, vt à prandio & cena, doctè quæstiones de rebus præsertim sacris proponerentur, de quibus viri eruditi, qui semper illi aderant, disputarent. Audiebat etiam dialecticas iuuenũ dimicationes: bonũ enim agricolã non minus delectari nouis dicebat virgultis, quàm arboribus iam fructuosis. Atra bile nonnunquã vexabatur, quo tempore negotiis se subtrahebat, neque temere ab aliis quàm ab intimis conueniebat. Quamobrè nonnulla furore potius animi, quàm cõsilio gessit: quemadmodum Granatensem Maurorum per baptismatis aquam lustratio, & Africa debellandæ propositum testimonio esse possunt. Cum potentissimis regulis obstinatissimè contendit, sed iusta semper ratione præcedente, vt superius ostendimus. Nam qui difficultium negotiorum exitus perhorrescunt, atque ea de causa rerũ agendarum occasiones prætermittunt, non tam prudentes aut cauti, quàm ignaui & timidi censentur. Nihil vnquã grauioris consilii aut operæ aggressus fuit, quin prius ad canonicos Toletanos referret: quibuscum re communicata, Deum precari iubebat, vt negotium fortunaret. Nam Africanã expeditionem facturum, & Arãdam cum regio Senatu profecturus, Toletum ad patres venit, quibus conatus & consilii sui rationem edidit. Quòd semel faciendum proposuerat, dicto citius confectum volebat, illud Salustii vsurpans: Vbi consulueris, maturè opus est factò. Si quis parum cautè aliquid egisset, etiam in rebus magni momenti, modò animi voluntas ad nocendum abesset, per omnes ætatis gradus nulla indignitatis significatione data, siue ea humanitas siue potius prudentia erat, dissimulauit. Dum Academiam exædificandã intentus, in diui Ildephonsi templo fabro lignario crucem supra aram maximam clavis trabalibus figenti adesset, penè vitæ discrimen subiit, delapso in Ximenii caput malleo, sed numine quopiam ictum auertente, cutim tantum perstrinxit. Statim inde discessit nulla voce emissa, vitæ humanæ caliginem & pericula reputans. Verborum libertatem in nonnullis magna animi moderatione tulit. Nam Vxamenfi sacerdoti iudicem priuatum suæ causæ postulanti, cum respondisset optimos vicarios se tribunali bus præposuisse, quibus meliores nec Guadalfajara, nec Madritũ erat datura: Potuit (inquit ille) Turrila-

cuna huic regno præfulē dare, & hæc ciuitates nō habebunt iudicē idoneū tantulæ causæ? Ximenius, reguli alicuius fiducia illum procacē fuisse existimans, quæ fuit quæ patronū haberet: pari cōfidentia retulit, se sibi patronū esse, neq; alio indigere. Pol (inquit Ximenius) non poteris te digniorem inuenire. Et hac castigatione contentus, de iudice dando cœpit agere. Contrerā cōcionatorem, qui præsentē Ximenium, ob pretiosas pelles quibus induebatur, acrius quā par erat reprehēderet, magna animi lenitate sustinuit, & ad prandiū vocari iussit, & eius concionē laudauit. Qui personā publ. sustinent, vti non possunt plebeio vestitu & apparatu: nam purpuræ splendore, & supellectilis lautæ copia, maiestas quædā conciliatur, qua homines in officio continentur. Sed Ximenius, quantum istis in vsum quem diximus vteretur, interiores vestes, & lecti quo indormiebat stragula, semper ex præscripto Franciscani instituti habuit. Vitæ itaq; tristioris perpetuō cultor, & rusticitati quā deliciis propior semper fuit, quod de M. Agrippa dictum legimus. Salzedā austerioris cōiuctus causa secedens, cum menianū, quantum angustū, ante quoddā cubiculum proiectū vidisset: hæc est (inquit) illa Salzedā, in qua omnia acida esse dicebantur? quasi curiosum opus, & voluptati factū notaret. Quoties sodales Franciscani panē & vinū ostiatim mendicabant, panem sine quo viuere commodè non possent, iure suo exposcere aiebat, vinum verò delicias meras esse, cum tot perennes fontes vbiq; scaturirent. Nocturno tempore plerunq; tondebat, ne villā dici particulam reip. subtraheret: quanquam nec illud tempus perire patiebatur, audebat enim qui grauem aliquem authorem recitabat. Preces horarias, adiutore raro accersito, solus & plerunq; obserata ianua absoluebat, vt interpellandi occasionem adimeret. Sacram synaxin celebraturus, publico item loco non gaudebat: frequentius in priuata ædícula operabatur, duobus Franciscanis, viris bonis & eruditis præsentibus, quos in id munus apud se habuit. Simplicem in ecclesiis cantum (quem Gregorianum appellant) amabat, theatri offēdebatur. Templis nec admodum spatiosis, nec plurimam lucem admittentibus capiebatur: nam alterutra res mentis intentionem disturbat, quæ in locis subobscuris colligi solet. Extremis vitæ suæ temporibus, negotiorū & morborum agmine irruente, publicis facris interesse desijt: & aliquanto seriùs quā solebat in publicum prodibat. Vtrunq; æmuli culpabant: & apud regem per literas sæpe conquesti, multum detrimenti ex ea relites capere aiebant. Qui responsum rege dignum acceperunt, plus momenti in vnus Ximenii salute ad reip. incolumitatem verti, quā in omnium priuatorum negotiis. Liberalis animi erga posteros argumenta, testimoniis æternis, de quibus iā diximus, comprobantur. Quæ verò singulari beneficentia in sui æui homines cōtulit, multa cōmemorari possunt. Quiomarā Castrā Manrici Najarēnsis vxorem, quā ille vt erat ingenio difficili & feroci, domo per contumeliā expulerat, Ximenius apud se eo splendore & dignitate Toleti habuit, quā vix apud maritū ducem tenuisset, donec inter eos conciliata gratia, in pristinam fortunā restituta fuit. Cuius afflictio eō indignior videbatur, quod Manricus factus fuerat Najarē dux, ab Enrico IIII. in vxoris gratiam. Huius beneficii Quiomara deinceps memor, quotannis ad Ximenium linteam supellectilem, dulciarii operis belaria, aliasque eiusmodi lautitias, veluti perpetuum vectigal, misit. Cùm olim Seguntiz capellanus maximus esset, Alphonfi Iannii suauis voce delectatus: est cur doleas Ianni (inquit) me Archiepiscopū Toletanū non esse: nam ego te primicerium creassem. Est autem primicerius, qui chori cantū curat, nunc capiscolum vocant. Post verò Archiepiscopus creatus, promissi memor ea dignitate illū donauit, addito in literis propria manu elogio, ad cantorē Guadalfajarensem, ibi enim natus fuerat. Brunetū, qui, vt diximus, Ximenio à latronib. ad Aquas Sextias despoliato, viatico est profecutus vt Romā adire posset, ad se officii causa venientem, benignissimè accepit: cumq; eo non semel semotis arbitris familiariter est collocutus, quod per paucis ille præstabat. Voluit apud se Brunetū per amplis præmiis retinere: at ille siue quod ætate prouectus iam esset, siue quod aptum nidum, & quod sibi satis erat Segouiz haberet, gratias Ximenio egit, à quo multis muneribus donatus discedit: quæ ille tā facili & hilari vultu largiebatur, vt nemo esset qui plura

in posterum impetranda sibi non promitteret. Quoties digna aliqua aut optima sacerdotia, Toleti in templo maximo vacua esse acciderat, ea in filios regulorū, aut in viros aliquos doctrina pariter & moribus præstantes, iuxta summorum Pontificum decreta, quæ in hac parte mira quadā consideratione ecclesiarū commodis cōsulerant, propofiti tenax ad mortē vsq; contulit: nam ex claris & nobilibus viris fauorem, ex doctis verò autoritatem rebus sacris conciliari aiebat. Quæ in re nullo in discrimine nothus, an legitimus esset, apud eum habebatur, modò is virtute commendaretur. Benigna fuisse natura satis constare poterit, qui qua fuerit in domesticos caritate considerauerit, & eius epistolas legerit, quibus catholicis regibus, & deinde Carolo nepoti, viduarum & pupillarum causas piissimis verbis commendat. Fuit in Ximenii familia Ferdinandus Valdesius Archiepiscopus Hispalensis, vir amplissimus, qui duos viros alterum theologum, alterum iurisperitum Ximenium habuisse referebat, dicepsi Toletanæ lustrandæ causa, vt pudicas puellas dote castas, aut parentum auxilio destitutas, honestis viris in matrimonio locarent. In beneficiis ecclesiasticis cōferendis, præsertim quæ animarum curam annexam habent, haud vulgarem considerationem adhibuit. Nam proximis quibusq; ex familia prætermittis, sæpenumero ignotos aduocabat, homines probos, & in aliorum commodis curandis piè sollicitos: quos vel mediocri literatura præditos, aliis quantum doctioribus, minus tamen strenuis præferebat. Dum hæc secum ponderabat, & de singulorum virtutibus certior fiebat, multa nō nunquam sacerdotia penes se retinebat, donec dignus minister occurreret. Quod tamen æmuli quoq; vt cætera culpabant: ipse verò consilii sui conscius, quicquid illi calumniarentur contempnebat. Sacris potissimum Pascharum solenniis, eiusmodi sacerdotia benemeritis distribuerebat. Amabat, homo beneficus, habere quod donaret, ne homines indignè egentes expectare, donec vacua essent sacerdotia, cogendi essent. Quæ vt libenti animo in ignaros sponte cōferebat, ita si quis aliquid huiusmodi ab eo peteret, molestè & grauius ferebat, & veluti procacem, & parum sui reuerentem auersabatur. Ministris & familiaribus, viris optimis, & efficacibus est vsus: eosq; semper in maius prouehere, nouisq; incrementis adaugere, vt solent patres carissimos liberos, curauit. Si quis à familia discedere vellet, nihil aliud rogans aut inquirens, illico abeundi comœatum dabat, neq; vnquam rursus admittebat. Rerum occultarum, quarum sibi notitia à rege non daretur, adeò separū curiosum esse ostendebat, vt Lupo apud regem Ferdinandum diuersanti, ne quid tale rogaret per epistolam interdixit, nihilq; operæ in illis rebus inquirendis fumeret. Esse enim vanum & molestum studium in negotio præsertim non admodum necessario: cùm alioqui ita omnia priusquam euulgarentur cognita habuerit, vt nihil sibi repentinum acciderit, aut occultum diutius fefellerit. Equi semper obseruantissimus, iustitiam per se, & per ministros coluit. Quod si quando munera sua aut parum integrè, aut negligenter obire intellexerat, illico magistratibus amouebat, quantumuis vinculo arctissimo coniunctos. Erat Talabricæ præfectus Sanctius Villaroellus, quem ille loco propinquū habebat: hic dum rapinis potiùs, quā reipublicæ curandæ studet, eō res impudentiæ deuenit, vt palàm concussiones per ministros, & per præfectum fierent. Quare Talabricenses commoti, duos decuriones ad Ximenium mittunt, qui præfecti flagitiosos mores declararent: quibus auditis, iudicem Ximenius constituit, qui in Villaroelli acta inquireret, & querelas, qui illum reum facerēt cognosceret, administratiq; magistratus rationem seuerè reposceret, post quæ successorem illi dedit. Supremo suæ dioecesis tribunali iudices viros doctissimos, & maximi ponderis semper delegit: ex quibus multi ad Pontificatum deinceps assumpti, magistri disciplinæ probè retulerunt. Ioannes Velascus, Petri comestabilis filius, Bernardini & Inachi frater, aliquot annos huic tribunali præpositus, Calagurritanus Antistes demum cōstituitur, & deinde Pallantinus. Verūtamen postquā Calagurri præficitur, præpositi munus triennio apud tribunal Ximenii exercuit: nec recusauit homo generosus, Pontificatu haud contemnendo auctus, in familia Ximenii recenseri. Sed fuit hæc olim Toletanorum Antistitem siue autoritas, siue maiestas, vt aliarū ecclesiarum

Antistites publicis munerib. præfectos, & officii priuatis administratos habuerint. Nam Rodericus Ximenius Toletanus Pontifex, is qui historiam Gothicam scripsit, memoria prodidit, se Guadalfajara ægrotatem, in suum locum Dominicum Placentinum Episcopum, qui sibi à sacris agendis erat, substituisse: vt interea regem Ferdinadum Alphonfi noni filium, ad Gienneses, Toraphos, & Plegianos Mauros, qui in Carpetaniam incurfus fecerant, debellandos, comitaretur. Rursum vt ex historiis nostratibus intelligimus, Petrus Tenorius, cuius aliquot sunt in dicecesi Toletana illustria monumenta, Episcopos Conchensem & Segouiensem, inter sui tribunalis iudices habuit. Petrus autem Gonfalus Mendozius generalem vicarium Episcopum Cauriensem constituit. Postquam Ximenii mors diuulgata fuit, Alphonfus Aragonius Ferdinandi regis catholici filius, Cæsaraugustanus Antistes, quem in Toletanum Pont. creare pater exoptauerat, Turdesillas Carolum salutaturus venit, & simul de ecclesia Toletana obtinenda acturus. At Chebrius, qui vt Guilielmo Croio nepoti, præclaræ indolis adolefcenti, conferretur adnitebatur, aliquot nostrorū studiis adiutus, qui diuersæ factionis odio, Croium opibus & honore auctum mallebant, Alphonsum Aragonium Turdesillas ingredi vetuit, quanuis multum deprecantem, vt sibi reginam forem, & Carolū nepotem viscereliceret. Ergo ad cæteros proceres Pintiam proficiscitur, vnde post regē salutatū, spe frustratus in Aragoniam sub extremum Decembrē dimittitur. Quatuordecimo Cal. Oct. Carolus Pintiam ingreditur, ibiq; cōuentibus habitis, procerum & vrbium suffragiis sexto idus Febr. rex Castellæ à cunctis acclamatur. Supererat de dissidiis inter Chebrium & Gorrebotum, deq; Guilielmi Archiepiscopi in Flandria, & Seluagii magni Cancellarii in Aragonia morte, & de conuentibus Pintia celebrari cœptis, & Compostellam translatus, de Hispania etiam Belgarum rapinis exhausta, vnde motibus ciuilibus data est occasio, postquam ciuitatum procuratores ad suos redierunt, & rex Carolus in Belgiū vela fecit, vt se post mortem Maximiliani aui, imperti Romani candidatum ostenderet, & Gallo eius emulo præferri satageret, scribere. Sed nos ista aliis copiosius tractaturis relinquit, sat habentes disertis verbis profiteri, vniuersa illa incommoda, quæ & tunc maxima fuerunt, & in nostra proreperunt tempora, cessatura proculdubio fuisse, si Ximenio vita longior Dei beneficio contigisset.

LIBER OCTAVVS.

POTVISSEM hic desinere, doctis omnibus fortasse approbantibus, postquam Ximenii rebus pro virili satis feci. Sed quoniam Complutensis Academia, à morte Ximenii conditoris, magna subiit discrimina, & ex altera parte magnos fecit progressus, & vberimū doctorum hominum prouentum tulit, qui tum illi, tum Hispaniæ vniuersæ illustri fuerūt ornamento, ad Ximenii etiam historiam pertinere putauī, quædam de vtraq; re compedio scribere. Neq; enim eruditi homines, qui ab illa prodeunt, minus Ximenii opus censendi sunt, quàm ipsa studiosarum ædium structura, quæ vt quotidie nouis fabricis illustratur, sic etiam nouos factus subinde edit, qui eas perpetua successione inhabitent, conditorisq; sui beneficentiam & virtutem præsentent. Ergo Theologiæ schola successorē accepit Michaelē Carrascum, virum doctum, & in disputando acerrimum. Erat in hoc homine tanta morum & vitæ integritas, vt ad summū magistratum, qui rectoris est, iterum sit assumptus: & Ximenius perpetuum rectorem esse voluerit, syngrapha etiam data paulò ante mortem, qua id honoris Carrasco tribuere profitebatur. Conditiō erat, vel in maiori fortuna nequaquam aspernanda: nam vniuersa Academia, & quicquid ab ea emolumenti emanat, quod & multiplex & non vulgare est, ab vnus pendere rectoris arbitrio Ximenius voluit. Cæterum vir prudens, literarias contentiones, odia, & communem hominum ingratitude, ambientium studia, & eos commendantium, molestias considerans, decreuit conditionem oblatam repudiare. Sed

Sed amicis ne id faceret suadentibus, coactus fuit syngrapham antequam magistratu abiret, suis collegis ostendere, & eorum sententias rogare, anno primo à Ximenii morte, ab Academia verò condita decimo. Tantis illico tumultus est exortus, vt Senatu in longius producto, totus ferme dies collegarum contentionibus consumptus fuerit, Carranza inter alios, & Curia, & Almarazio, magna vi admittendam pernegantibus. Quod cum ille animaduertisset, syngrapha discissa, se magistratu extemplo abdicauit. Hic post aliquot annos scholam Theologicam deserere coactus, in Alphonfi Fonsecæ Archiepiscopi Toletani familiā atcius est, cui à conscientia expianda fuit. Datus fuisset Philippo principi magister, nisi corpusculi breuitas obstidisset, matre Augusta iudice, quæ illi Silicem prætulit: hi enim duo, & Siruelus designati fuerant. Huic suffectus fuit Ioannes Metina, iuuenis adhuc, sed perspicacis ingenii, & grauis iudicii. Hic plusquam viginti annos Theologiæ scholæ præpositus, tantam sibi laudem comparauit, vt eius nomen breui celeberrimum per vniuersam Hispaniam fuerit. Erat in eo admirabilis in explicando distinctio, adeoque materiam propositam sine vllis ambagibus colligebat, vt nihil esset tam perplexum aut obscurum, quod vel tardissimum non assequeretur. Et in argumento nonnunquam arido & ieiuno, tanta verborum volubilitate & copia, tanto ordine, tamq; apta & connexa serie, tā intenta contentione, tā firmis sensibus ad rem semper facientibus, tā acutis & veris rationibus vtebatur, vt nihil in illo ad perfectā eloquentiam præter verborum delectum desideraretur. Qua nempe re animos omnium attentos faciebat: qui si semel vagarentur, frustra postea intentionem reuocarent. Concurfus vndique ad eum fiebat in rebus dubiis, aut certè parum cognitis, tanquam ab oraculo claritatem petentium. Ex immoderato studio varios morbos contraxit, qui illum indignis modis cruciabatur: podagram, calculum, & iliorum dolores. Atq; ita ante tempus è viuis sublatus, scholam Theologicam, atque adeò vniuersam Academiam, sua morte mæstissimam reliquit: neque enim annum quinquagesimum septimum attigit. Situs est in diui Ildephonsi sacello, obiit anno Domini M. D. XLVI. quod insculptum epigramma testatur. Reliquit suæ doctrinæ monumenta, libros de pœnitentia & restitutione, qui etsi manibus studiosorum circumferuntur (sunt enim multis in rebus cum primis viles) veram longè maiori cum veneratione is sua verba formans audiebatur, quàm postea eius scripta leguntur. Eo mortuo Andreas Cuesta scholam suscepit, acri ingenio, & non vulgari prudentia vir, quem ob doctrinam & virtutem, Philippus II. Hispaniarum rex, Legionensem Episcopum fecit. Vnde ad Tridentinū conciliū proficisci iussus est, & rediens bene re gesta, & doctrinæ opinione clarus, apud Montem Sarratum diem suum obiit. Fuit in eo mira subtilitas, acie ingenium, & certum iudicium. Liberales disciplinæ multos per celebres viros habuerunt, de quibus alii copiosius tractabunt: à nobis tres tantum hic recensentur, Thomas Villanoua, Alphonfus Pratus, & Didacus Nauerus. Thomas in Ildephonsi collegium cooptatus, artes liberales professus est, & discipulos satis doctos Academiae dedit: inter quos Dominicus Soto, & Ferdinandus Enzinas numerantur. Hic cum raram indolem & ingenii acumen opusculis editis ostentasset, magnamque sui spem concitauisset, immatura morte præreptus fuit: ille verò inter Ildephonsi collegas adlectus, tantos in liberalibus disciplinis, in reque Theologica progressus fecit, vt Salmanticam concedens, & in Dominicanam sodalitatē ascitus, in ea Academia Theologicam scholam multos annos fuerit moderatus: scriptisque eruditissimis orbem repleuerit: & ad res grauissimas tractandas à Tridento per Carolum V. Imperatorem, cui à confessionibus fuit, accersitus, magnam sibi authoritatē comparauerit. Thomas verò, & ipse Ildephonsi sodalis, Augustinianum ordinem postea professus, cum vitæ sanctimonia magis ac magis quotidie claruisset, Archiepiscopus Valentinus factus est: in quo munere obeundo sanctissimè se gessit. Alphōsus Pratus, Toleti ortus, ingenii acimine & acrimonia præditus, scholam philosophicam, non mediocriter illustrauit: proutq; illa tempora ferebant, in illis plusquam Chryssippeis quæstionum subtilitatibus, quibus immodicè illa ætas indulgit, magnum nomē adeptus, multos &

illustres doctrina discipulos reliquit: inter quos Hieronymū Velasum, virū iudicio & doctrina clarum, qui ad Ildophonī collegas tunc assumptus, nunc Episcopus Ouetensis est. Hic Prati præceptoris in S. Thomæ cathedra petenda competitor, non sine multorū reprehensione, victor euasit, quem magistro de se & de re literaria benemerito, cedere fortasse æquum iudicabāt. Pratus ob hanc repulsam à Ioanne III. Lusitaniæ rege non multo post vocatus, Conimbriacæ Academiæ, quæ rex ille florentissimā instituit, Cancellarius est factus. Nauerus ingenii acrimonia, & non ingrata quapiam iactatione feruētioris spiritus homo, recte eruditos discipulos eduxit, & doctrinæ suæ documenta exhibuit, editis de dialectica & philosophia libellis, qui multos annos sunt publicè prælecti. Medicorū schola Petrum Leonem, & hunc quoque Toletanū suscepit, virū excellentè memoria & doctrina, at bilis feruore nonnunquā ad eò percitum, vt vix dū publicè profitebatur, sese posset cōtinere. Quare magno impetu in gymnasio deambulans, corpus mirè contorquens docebat, non sine offensione discipulorū quorum attentioni officiebat. Habuit hic Ioannē Reinosum lectionis æmulum, qui cū non ita pridè ex Italia venisset, ac præceptorē Leonicum referret, literarū Græcarum præsidio adiutus, in quibus nōnullos profectus fecerat, vniuersam scholā medicinæ inuertit, & que ad id tempus Arabū medicorū placita apud Hispanos per sanctè coluerat, totam se ad normā Græcorū cōposuit, Leone ferè destituto. Mirū in eo homine fuit, quòd cū ad reliqua omnia ingenio præcipiti & inquieto esset, in morbis curandis lentus erat, & gradarius: vnde factū est, vt rarò in remediis ministrandis aberrarit. In diui Francisci templo, magna Academiæ frequētia sepultus est. In rhetorum gymnasio Ioannes Ramirius Toletanus Nebrissenī successit, vir leni quadā facundia, & styli elegantia ac puritate excellens: tanta verò probitate, & in rebus domesticis tractandis vigilātia, vt meritò frugi appellari potuerit. Multa scripsit, partim dialogis, in quib. scribendis multū oblectabatur, partim oratione perpetua, ferme ad economicè cuncta pertinentia, quæ in lucē nondum venerunt. Alebat domi adolescentes ingenuos, quos & moribus & literis probè instituebat. Ramirio eloquentiæ scholā tenente, cū magis ac magis studiosorū adolescentum copia cresceret, ne ille annis iam ingrauescentibus nimio labore fatigaretur, visum est rectori & collegis, legē Ximenii de hac re sequentibus, alterā cathedram rhetoricæ constituere. Hæc primum Ioanni Fernandio Hispalensi, cuius nunc doctrina Conimbriensis Academia permultum iuuatur, deinde Io. Petreio Toletano cōmissa est, iuueni ingeniosissimo, qui non ita pridè Complutum venerat: cuius indoles & dicendi vigor, quemadmodū excellentis artificis signo accidere Cicero ait, simul aspectus & probatus est. Eius tam prompta erat & extemporales ad dicendū facultas, tā ameno amne & perenni fluens, tamq; liquido, & minimè turbido, vt medio in Latio natus & eruditus, iudicio etiā Itolorum, qui illū audierant, videretur. Pangebatur etiam venustissima carmina, cuius rei amplum testimonium, editis aliquot per Antonium fratrem eius poematibus, quæ apud nostros circumferuntur, datum est. Iustū opus de vita & actibus Mariæ Magdalenzæ poeticis virtutibus refertissimū scripsit: cui si vltimā manū addere licuisset, esset profectò opus præclarū, & vndiq; absolutū. Lætā sæpenumero Academiā fecit facetissimis comædiarum argumentis. Multum de eius ingenio sperabatur, ni immatura morte præuentus fuisset: neq; enim (vt opinor) quintū & trigésimum annū attigerat. Igitur cū Academia omni genere disciplinarū florens, in dies magis ac magis aueretur, resq; theologica quæ Ximenius sibi excolendā sumpserat, eò gloriæ & incrementi processisset, vt Complutensis Academiæ comprobatio ad res maximas religionis requisita sit: ad integrā corporis literarii magnitudinē, atq; membrorum perfectā absolutionem, professor in primis desiderabatur, qui sacra bibliorum volumina interpretaretur, quorum cognitio viro Theologo propositus est finis: quæ de re in Ximenii legibus nihil cautū est, quòd eius tēpore antiqui authores à paucis versabantur: sacrasq; literas & primitiuam illam scholam, vt facilem negligebant: quā quia sine disputatione procedebat, positiuam vocabant. Postquā verò homines euigilare cœperunt, & se frustra quæstionibus vacare intellexerunt,

nisi

nisi antiquitatis & bibliorum cognitio haberetur, magna diligentia virū ad hanc rem aptum quæsierunt. Oportebat autem linguarum peritia esse præditum, in sacrisq; authoribus euoluendis bene versatum, & maturo iudicio, atq; ad eò vaticinantis spiritu, quod Paulus alicubi prophetiæ donū appellat, instructum, qui ad id munus exequendū accommodus esse videretur. Tandem post longā consultationem, diuino numine rem suam curante, Dionysius Vasquius Toletanus Augustiniani ordinis sodalis, ingenii monstrofi vir, qui tunc in sacris cōcionibus apud Hispanos principatum tenebat, ac propterea Carolo Cæsari in primis carus, cuius potissimum erudita & peracri voce inter palatinos concionatores oblectabatur, què nonnunquam stans audire solebat, ne vel somnus obreperet, vel negotiorum cogitationes aliò auerterent, accitus est. Nouos ipse scripturæ sacræ sensus, qui cum antiquis certare possent, ingenii acumine, quod in illo admirabile fuit, grauitate iudicii plenos passim eliciebat: materiam magna cum iucunditate dilatabat: amplificationibus cum primis eminebat: affectus mirificè inde cōcitabat: & quoties ad ipsam perorationem veniebat, tanto dicendi ferebatur impetu, tā præcipiti torrente decurrit, vt animos omnium vel nolentes raperet, & in quacūq; velle partem flecteret: ad eò vt Ramirius de ipso dixerit, nullum ætate sua præter vnum Dionysium oratorē natum vidisse. Ingenio alioqui viuacissimo, ex doctrinæ adiumentis, quam sibi iuuenis conquisuerat, multum roboris additum fuit: nam & in linguis discendis assiduus, in Theologicis disputationibus frequens, & sanctorum patrum lectioni quotidie intentus, illustre nomen sibi comparauit: & in tribus celebribus Academiis Parisiensī, Complutensī, & Toletana doctoratus titulū promeruit, ipsis certatim honores deferentibus. Incidit Dionysius postremis suæ vitæ diebus in linguæ paralyfin, qua mirè eminebat. Quare maximo omnium mœrore Academiā deseruit, & in patriam secessit, vbi eodem ferè quo natus est die, vita functus est, vix sexagesimum excedens annum. Huic successit Georgius Nauerus, non tā excelsi spiritus vir, at doctrina & iudicio insignis, atq; quod maxime illū commendabat, vitæ puritate & sanctimonia clarus. In Theologia tā grauitate & eruditè instructus fuisse dicitur, vt in primis illis Theologiæ studiis, cū nihil aliud quā scholasticæ quæstiones versantur, quæ in priuatis aut publ. disputationibus asseruerat, ex veterū authorum placitis, suis in fontibus consideratis, cōfirmabat. Is doctrinæ causā Pallantinus canonicus factus, Louanium literas Græcas discendi cupidine incensus, ætate iam decliui cōcedens, nō mediocriter in eis profecit. In ecclesiam suam reuersus, Complutū accersitur, vbi quauis Dionysiacæ magniloquentiæ longè impar (erat. n. minoribus lateribus, & lenta ad loquēdum prolatione) attentione audientium retinebat, admirabili diligētia omnia veterum scriptorū arcana enucleans. Quod nimirū in causa fuit, vt Franciscum Vergaram, Græcæ linguæ professorem, & magnæ eruditionis grauissimiq; iudicii virum, aliquot annos auditorē haberit, quæ ille re impēdio delectabatur. Interim à Cæsare apud Belgas Diuodurum, quæ Metin vulgo vocant, obsidente, ad vulneratorū, & egrotantiū curā vocatus est. Quod munus cū religiosè & sanctissimè Nauerus obiret, è viuus cū cæteris sublatu fuit. Successit in schola Cyprianus, Cisterciēsis ordinis monachus, vir tam Latina quā vulgari eloquentia illustris: qui cū non ita pridè vnus è numero scholasticorum haberetur, & ordinis causā inter præceptores tantum & amicos notus esset, post peracta Philosophiæ & Theologiæ scholasticæ curricula, in linguarum studiis assiduus, breui tantū ingenii acrimonia, qua pollebat, profecit, vt incredilibi totius Academiæ cōsensu, ad eam præfecturā cæteris omnibus prælatu fuerit. Magna de eius ingenio & eruditione in dies sperabantur, sed in medio vitæ cursu omnib. doctis dolentibus raptus fuit, relictis nonnullis doctrinæ suæ monumentis. Petrus Campus, qui vt retulimus, primus rector, cum vi & potestate Academiā gubernandi creatus fuit, postea inter canonicos Toletanos ad sacrarum concionum munus cooptatus, plusquā xxx. annis ita piè, & eloquenter, atq; tanta cum varietate eam rem tractauit, vt eo ad populum verba faciente, templum alioqui capacissimum semper auditorum frequentia repletur. Mirum habebatur in ciuitate acuta & delicata, post tot annorum curricula,

nunquam ex fatietate fastidium cuiquam fuisse subortum. Vtebatur sermone elegantia & culto, graui tamen & seuro, qui non artificio quæsitus, sed sponte sua fluere videbatur. Accedebat motus gestusq; aptissimus, qui eius orationem adeo commendabat, vt vnus eo tempore fuerit, quem aures Toletanæ audivissimè auscultarent. Ioan. Vergara sepulchralem inscriptionem in amici gratiam composuit, quæ sic habet:

Reuerendo in Chr. Pat. Doct.
Petro Campo, Episcopo Vticen.
Can. Tolet. Theologo, ex cuius
ore concionantis Pop. Toletan.
totos xxxiii. annos cupidissimè
pependit, Dec. Cap. q; Toletan.
Sodali B. M. P. C.

obiit

Anno Domini M. D. LI.

Alii deinceps insecuti fuerunt viri excellentes: de quibus qui acta Complut. Academiae sunt scripturi, multa non indigna relatu memorabunt. Primus Academiae Cancellarius Petrus Lerma fuit (vt diximus) vir doctrina clarus, & cui plurimum Ximenius in primordio nascentis Academiae detulit. Hic post Ximenii patroni mortem variis casibus exagitatus, Hispania relicta Lutetiam concessit. Ibi anti-
quioris in Theologia dignitatis ratione, primum locum quoad vixit obtinuit. Ludovicus Catena huic successit, qui in re Theologica Lermam patrum æqua-
uit, & linguarum peritia, & multiplici variarum rerum cognitione superauit. Sunt apud eius hæredes orationes multis eloquentiæ luminibus claræ, quibus studio-
forum hominum encomia, qui ad gradus seu promotiones ascendebant, continen-
tur, maximo totius theatri applausu recitate. Pangebatur argutissima epigrammata, & fauebat ingenii: barbariemque à Compluteni Academia pro virili propul-
sanda curauit. Sed hic quoq; vt eius patruus, graues fortunæ ictus pertulit. Episcopus Abderitanus in Granatensi prouincia, senectute ferme decrepita erat, quæ-
obrem Ludovicus Catena, de quo agimus, Pontificiæ dignitatis confors (quæ co-
adiutorem vocant) est illi datus, vt in eius locum eo mortuo sufficeretur: sed male-
uolorum hominum, qui eius gloriæ inuidebant, calumniis, & vt nonnulli credunt,
Siliceo archiepiscopi opera, alius Abderitano vita functo in episcopatu successit,
& nos in intrapriuatam fortunam neglectus mansit. Hæc repulsa sicutotam Ludouici mentem occupauit, vt merore confectus intra paucos menses obierit, relicto epitaphio, quo animi dolorem est testatus: negat enim fas esse sibi infelici cæ-
lum intueri. Hactenus nonnullos viros eruditos, & sapientia præstantes retulimus, quorum nonnulli ad dignitates haud vulgares prouecti sunt, ex iis qui partim à Ximenio relicti sunt, & partim post eius mortem in eius Academia eruditi fuerunt. Nunc nonnulla referemus, quæ aut addita sunt eius constitutionibus, aut in meli-
orem formam sunt redacta. Quarto volumine retulimus, quemadmodum doctore Valladario occasionem dante, Ximenius cogitauerat, de licentiarum (quas vocant) ordine mutando. Nam cum nostrorum hominum id ingenium sit, in honoris & dignitatis contentione semper primas obtinere, siue id iure, siue iniuria fiat, quoties promotionum comitia fiunt, de prioribus locis acriter decertatur; & omnis modestiæ oblitus, quisq; proximum deturbare cupit: adeo vt is, cuius aliàs nulla ratio aut postrema haberetur, primum sibi locum dari impudenter postulet, eumq; per omne flagitium conquirat. Iam cum ex Ildephonsi collegii seminario, patrum animi, atq; adeo totius Academiae, in factiones diuisi sint, postquam semel turbatis sententiis, hæc aut illa factio aliquem præferendum esse contendit, nihil non ad id faciendum tentat, vel publica Academia tranquillitate conturbata. Nam cum ingenii spiritus iniuria alta mente recondatur, odia in nonnullis ad mortem vsq; durant: & nonnunquam peractis comitiis, necesse iudicium intentantur. Anno ab Academia condita xxxix. accidit, vt ad Nauerium malè multandum, qui Cancellarii vicem eo anno gesserat, quidam Æthiopica larua tectus, stricto pugione, penè incautum &

& inermē noctu post cenā confoderit. Quod & fecisset, ni aliquot famuli accurren-
tes, tumultu audito suppetias tulissent. Versatur etiam in hac honorum cōtentione vtilitatis ratio, ob sacerdotia Iusti & Pastoris, sed quæ minima sit præ honoris ambitu repulsa. Nam in medicorum schola, vbi illa emolumentum causa cessat, gra-
uissimis furiis rem agi videmus: & suffragia, quæ studiorum industriæ debentur, assentationibus, vilissimisq; obsequiis, & muneribus mercantur. Ergo de totius Academiae sententia, Ximenii legem abrogandam esse maximè necessariū visum est. Nam studiosorum iuuenum mutuam contentionē, cui ea lege prospectum esse creditur, nihilominus duraturā esse dicebāt, cum eadē pudoris vis, apud homines
10 præsertim Hispanos, quocumq; tandē modo reprobentur, maneat. Huius rei apud Salmanticensem, cæterasq; Hispaniæ Academiis satis magnū exemplū est, vbi R. literæ timore, quæ reprobationē significari volunt, non minori studio, quā Compluti desudatur. Reclamatum est à senioribus patribus, quibus semper, quicquid ab ea forma quæ illi retinuerunt mutatur, insolens & iniquū solet videri. Quorum adhuc pertinacia apud regium senatū perseuerat, studiorū ardorē ea re sublata perire clamitantium. Sed cum in honorum petitione ea lex seruari semper debeat, vt quæ quisq; meretur dignitatē ea contentus sit, & maiorē etiam oblatam recuset, & ad præstantiorē deferendam esse iudicet, vt septē Græciæ sapientes in tripode aureo recipiendo fecerunt, humanæ tamē naturæ vitio quisq; res suas immodicè amat, & maiora de se quàm æquū est cōcipit. Quare nulla potest grauior esse pestis ad reip. tranquillitatem tollendā, quàm si ea ratione honores tribuantur, vt de multis pariter in re aliqua iudicium fiat, & pleriq; neglectis alii publica sententia præferantur. Nemo est enim qui se contemni velit, & pauci alios prælatos patiuntur. Quare qui parū ingenio & virtuti fidunt, preces importunas, epistolæ sollicitatrices, minas deniq; plerumq; adhibent, vnde egregiè meriti de suis locis pelluntur, & ipsi primarias appellationes manibus (quod aiunt) illotis vsurpāt. Hac de re Ludouicus Catena Cancellarius multis in locis grauissimè conquestus est, sed nullibi prudentius aut elegantius, quàm in oratione anno ab Academia condita xxviii. ad competitores de liberaliū disciplinarum titulis habita. Sed tandem anno ab Academia condita Lix. supremus regius senatus illum locorum ordinem abrogauit, quanquā multis indignè ferentibus, qui maximos studiorum aculeos retundi clamabant, quos illa locorum æmulatio subministrabat. Inter cætera quæ per Ximenium prudenter sunt constituta, illud etiā (vt alibi scripsimus) memorabile est, de redditu incrementis in noua collegia ædificanda cōsumendis. Hinc factum est, vt anno ab Academia condita xx. Mathæo Paschali Catalonio rectore, homine theologo, & nonnulla linguarū peritia instructo, in bonisq; authorib. assidue versato, trilingue collegiū Hieronymo dicatū sit. Triginta adolescentes, quorum duodecim in eloquentiæ arte exercentur, duodecim Græcis literis incūbunt, sex Hebraicā literaturā discunt, perpetuò ibi aluntur. Nam præterquā quod sacra Pontif. decreta linguarū peritiā in Academiis excolendā adhortatur, pullulantū circa religionē sectarum inuentiones qui se fontes ipsos sacrarū literarum petere præ se ferunt, quantum viris theologis necessaria sit, improbitate sua declarauerūt. Sed quoniā ex Ximenii lege, singulis grammaticorum collegiis, seni qui Græcas literas profiterentur adscripti fuerāt, duodecim illi in nouā Hieronymi ædē sunt translati. Habet vnus cuiusq; linguæ familia certas quasdam leges præscriptas: nā rhetoribus declamationes, Græcis in Latinā linguam versiones, Hebræis interpretū sacrorum librorum differentiæ demandantur. Hæc domi inter se crebrò meditantur: nam quotidie ad epulas aliquod laboris diurni testimonium, à nonnullis eorum siue per prorectorē designatis, siue ordine ita exigente, poscitur. Nonnunquā in publicum
50 proceditur, atq; rectore præsentē, & Academiae patribus, magna que omnium frequentia, fructus studiorū constat. Triennium singulis in ea æde cōmoratio conceditur: tantusq; fit in linguis profectus, vt inter cæteras Academiae Compl. laudes hæc potissima haberi possit. Certè ab eo tempore ita bonis literis plerique exculti sunt, vt paucissimi quiq; reperiantur, quos Græcæ aut Hebraicæ citationes remouentur. Ex hoc seminario principū & optimatū filii institutores egregii dantur: &

grammaticorum per vniuersam Hispaniam gymnasia, ad iuuentutem instituenda excellentes præceptores sortiuntur: denique eloquentiam cum sapientia ita feliciter omnes cōiungunt, vt vel theologis ipsis, quod olim mōstro par esse videretur, Cicero placeat & Demosthenes, atq; scripta Platonis & Aristotelis sua lingua legāt. Igitur si quis ex nouis cū incrementis, tū diuisionibus collegiorū, numerū ad calculū deducat, nouē contubernia esse reperiet: iuuenes verò, qui in eis aluntur, plusquā ducentos. Quòd si collegiorū præfecti, & famuli annumerētur, vltra trecentos esse deprehendemus: qui omnes perpetua Ximenii liberalitate singulis diebus ad vitæ vñs necessaria suscipiunt. Quòd si Ildephonsi collegas, & capellanos, cæterosq; ministros cōputaremus, summā quadringentorum hominū excederent, qui à Ximénio perpetuò vestiuntur & alūtur. Inter hos, iuxta Ximenii de conditione eligendorū legē, qui ex Toletana diocesi sunt, nō sine magnis rationibus præferuntur. Nam & Academia Compl. conditor in hac diocesi est natus, & Toletanus præful fuit, huiusq; regni Toletani opibus omnia construxit, & redditibus locupletauit. Accedit etiā Toletani cæli benignitas, quæ ad omnes disciplinas & artes aptissima ingenia producit: vnde meritò illis subuenitur, præsertim si patrimonii angustia premantur. Huius trilinguis collegii gratia, Academia Salmanticensis legatos Complutū misit, Ioanne Ruizio rectore, qui formā & instituta nō solū intuerentur, sed accuratè transcriberēt. Cupiebant enim & ipsi collegiū trilingue cōstituere nostro persimile. Ergo paulatim Academia Compl. in tantā creuit magnitudinem, vt inter orbis Christiani scholas celeberrimas annumeretur, & eius in rebus arduis & grauissimis sentētia, semper requiratur, & apud omnes magno in pretio sit. Per multa sunt huius rei testimonia, aliquot tamen referā. Statim sub nascentis Academiae initiis, cū Erasmi Roterodami scripta passim apud omnes legerentur, & nonnulli apud regē contenderent, multa esse in eius libris, aut temerè asserta, aut affinia damnatis dogmatibus, aut arroganter scripta: visum est, vt censura de Erasmi operibus fieret. Ergo Pintiam theologorum concilium, per Alphōsum Manricū cardinalē, Hispalensem archiepiscopū, & inquisitorē maximum indictū est, à quibus ea res disceptaretur. Cōplutēses inter primos sunt vocati. Petrus Lerma scholę Cæcellarius, & Petrus Siruelus illuc venerūt: ex quorū sentētiis studiosè auditis, per multa Manricus vt fierēt decreuit. Anno ab Academia cōdita xxxii. Christophoro Loaisa rectore, cū Enricus octauus, Anglorū rex, Catharinam vxorē sceminam pudicissimā, Ferdinandi regis catholici filiā repudiasset, Romani Pont. potestate in dubiū vocata, qui nuptias cū prioris vxoris sorore ratas habuisset, Academia Compl. sententiā suam dixit, Carolo Cæsare postulante. Anno verò xl. Ferdinando Barriouero rectore, cū noui orbis per Hispanos patefacti indigenæ, duro & acerbo seruitio à militibus nostris premerentur, seruos eos esse cōtendentibus, quasi barbari homines, & cōtumaces, palamq; Christi religionē auersantes, iure belli iustissimè capti essent: Genesis Sepulueda, vir nostra tempestate doctrina & eloquentia illustis, illorū causam libello elegantissimo, aliis contra asserētibus, defendebat. Huius rei cognitio nostræ Academiae cōmissa est: quæ post longā cū Genesis disputationē, hisce verbis ad regium senatum scripsit: Doctrina huius libri accuratè probat quod assūmit: sed quoniam non est satis tuta, librum hunc imprimi aut euulgari quū non est. Atq; ita iuxta Complutensis Academiae decretū factum esse, in hunc diem videmus. Anno xlv. Entrena rectore, cū libri canonici hæreticorum nostri temporis flagitio vitati essent, & multa passim biblicorum sacrorum volumina, ab illorū excusoriis officinis annotatiunculis perniciosis, & capitulorum pestilentibus periochis scædata, circumferrentur: visum est Ferdinando Valdesio, Hispalensi archiepiscopo, & Inquisitori maximo, vt ea per viros doctos & orthodoxos pristinae puritati restituerentur: huic negotio Academia Compl. elegit, cui eam curā commendauit. Theologi patres inter se laborem partiti, facillè rem necessariam perfecērūt: ex quorū censura formula præscripta est, vt expunctis peruersis quæ notarunt dogmatibus, libri distrahi per bibliopolas possent, quiq; essent distracti tutò retineri. Anno verò xliiii. Roldano rectore, Philippus II. Hispaniæ rex quanti faceret Academiam declarauit: nam cum ipse

ipse adhuc iuuentutis princeps, nondū mole rerū occupatus, ad eam visendā nonnunquā diuerteret, eiusq; institutis & studiis caperetur, collegium Compluti instituire decreuit, in quo ministrorum aulicorū filii, quorū angustæ facultates essent, aliquotq; etiā Academiae adulescentes alerētur & instituerētur, quemadmodum eorum etiam filia (vt alibi scripsimus) donec aut nuberēt, aut religioni sese addicerent, in S. Ioannis, cognomento poenitentis, cenobio, quod à Ximénio ædificatum Compluti fuit, Philippil liberalitate pascuntur & instruuntur. Illud etiam insigne beneuolentiæ in nostram Academiam argumentum fuit: nam post Caroli patris cessionem, regnorū moderatione suscepta, mandata ad Academiam dedit, vt quod in cæteris ditionis suæ urbibus de more in Castella fiebat, ipsi quoq; facerent: vexillaq; sustollerent, ipsumq; regem Hispaniarum acclamarent. Hoc Agesio rectore, anno ab Academia condita lviii. ingenti lætitia & apparatu factū fuit. Sic præsidium potētissimum Academiae nostræ datum est, ne quid aduersus eam, Archiepiscopi Toletani deinceps tentent: quam eo honestissimo mandato, & fauoris pleno, sibi rex propriam & peculiarem fecisset. Certè inter alia monumenta, hoc etiam Academia Complutensis perpetuò asseruabit: vt posteritas intelligat, quanti à rege potētissimo facta fuerit. Diximus supra, theologorum collegium, quod matris Dei cognomine appellatur, eo proposito ædificari à Ximénio cœptum, vt ibi pauperes scholastici, si quando ægrotarent, medicorum nostrorum opera, & Academiae sumptu, in pristinam salutem restituerentur: aut si morbi grauitati succumberent, id solatium parentes haberent, omnem diligentiam ad eos curandos adhibita fuisse. Est enim acerbum & graue nuntii genus, cū is morte immatura interceptus dicitur, quem aut senectutis præsidium, aut decus suæ gētis, aut columen familiarum, literarum beneficio olim fore sperabant. Semper enim aliquid incautis iuuenibus, suorum cura in peregrina regione destitutis, per incuriam accidisse existimatur, quod vitam præter fati rationem ademerit. Adium illarum angustis Ximenius offensus, in eum quem diximus vñs conuertit: animo tamen semper voluebat de ægrotorum contubernio ædificando. Nam & in legibus quæ de collegiis sunt, Valetudinarium diuo Lucae ædificari præcipit: eiusque formam diligenter præscribit. Regni tamen gubernatione, quam statim suscepit, retardatus, morteq; inter hæc præuentus, quæ nullo non tempore viris excellentibus immatura accidit, vñs id ex destinatis ad Academiam consummandam operibus, neq; attingere neq; dedicare potuit. Seruata est ea laus Ioanni Angulo, Eugeniæ grammaticorum collegii patrono. Is enim cū sapius rectorem, & Ildephonsi collegas de ea re consultantes videret, nihilq; tandē perficere, scholasticos ægrotantes miseratus, quos ad publica oppidi valetudinaria, indignissimè deferri videbat, vbi præter priuatas sordes, quas inter viles homines decumbentes tolerare necesse erat, negligenter & malignè curabantur, anno ab Academia condita xxxii. Ioanne Vergara Concheni rectore, spatiosas ædes, quas extra oppidum ad eam portam, quæ tunc Iudæorum, nunc diui Iacobi appellatur, possidebat, in Valetudinarii vñs Academiae dono dedit, cum perpetuis aliquot redditibus, pro ut eius fortuna patiebatur: cubacula singulis ægrotis, vt Ximenius proposuerat, sunt diuisa. Id cū rectori & collegis pergratū accidisset, Ximenii mandata in memoriam reuocantes, quauis ex Anguli benignitate ægrotis esset pro facultate satis factum, vt rei præclaræ ipsi quoq; incrementū adderent, frumenti centū quinquaginta trimodios, ceterum itē aureos nūmos in singulos annos à collegio in vñs ægrotorū pendenda cōstituerunt. Hæc tā amplæ ædes diuo Lucae dicatæ sunt, quod is medicus fuisset: sic, n. Ximenius faciendū proposuerat. Oblata est Academiae patribus, cæterisq; viris studiosis satis honesta occasio pietatem colendi. Per multi enim cubiculariam supellestem, alii perpetuos prouentus his ægrotantium ædibus attribuunt. Valladarius, de quo supra diximus, hoc Valetudinarium, suum ex asse hæredem esse voluit: vnde plusquā ducentorum aureorū summa quotannis fit. Petro Salasio Cisterciensis ordinis sodali, homini ad hæc munia obeunda perstrenuo, deinde eo mortuo, Ioanni Seguræ doctori theologo, disciplinarū mathematicarū professori, domus cura commissā est: quorū prudentia & sollicitudine ea

est eius loci lautitia & mundities, ut nonnulli ex primariis Academiae viris, in eam se domū curandos deportari frequenter iubeant. Post Ximenii mortē egit aliquoties Academia de mutandis sedibus, non quidē leuitate aliqua & animi incōstantia, sed magnis de causis, quas nunc lectori planas faciemus, ne hanc historiae partem reliquisse videamur. Post tumultuosam illam seditionem, quā viuente Ximenio Carolus Mendozius sopiuit, longa quies Academiae & indigenis Complutensibus fuit. Sed tertio postquā Ximenius viuere desiit mense, ex leuiusculae rei initio, ut omnium mortalium felicitates lubricae sunt, ea paulatim certamina inter Academicam & Compluti incolas adē infensis studiis exarserunt, ut non modō Salmanticā urbem opulentam, & studiorū ratione ad cōuiuendū perutilem, sed quous potius terrarū trāsmigrare Academiae patres deliberarint. Anno ab Academia condita x. postridie non. Ianuarias, qui dies Christianis hominibus, ob Magorum aduētum ad Christū recens natum adorandū, religiosus sumprimis est, adolescēs quidam Arenillas nomine, formosae puellae amore captus, cū forte ad eius ianuam, quae in fronte spatiosae plateae, de qua supra diximus, sita erat, spatia aliquot lasciuo gradu & effracto gestu faceret: Carrillus quidam, vnus ex his qui Ildephonsi collegio eo tempore famulabantur, illius mulieris cognatus, adolescentis petulantia non ferens, cui iam pridē ea de causa infensus erat, non desines (inquit) dō bone, scē minam pudicam in loco oppidi celeberrimo sollicitare? Quod si minus te mouet diei religio, erubescē saltē praetereuntium oculos, tuam tacitis nutibus impudentia auerfantes. Ad haec verba indignatus adolescens, stricto gladio in Carrillum fertur: qui quoniā inermis ex Academiae more, quo pacto vim illatā propulsaret, non habebat, intenta voce Academiae auxilium implorat. Idē cū saepius alta voce inclamaret, momento temporis tantus confluit Academiae populus, ut multi oppidani, ne Arenillas à multitudine furente occideretur, qui etiam Complutenses appellabat, conuenerint. Ergo mutuo sese ferociter intuentibus, in eum furorē noxio quopiam instigante dæmone venerunt, ut sese ictibus saeuis impeterent, & cladē, vastitatem, & internicionē mutuam minarētur. Cū acrior in singula momenta cōcertatio fieret, monachus quidā ex scutiferorū ordine, quos vulgus mercenarios appellat, linteum quo sub meridiem dormiturus caput alligarat, in vsum fundae pro tempore conuertit, & Ramirium Complutensem, armorū apparandorum magistrum, tam certo & valido ictu percussit, ut pectus comminuerit, & in omnium cōspectu exanimē prostrauerit. Vargas regius senator, qui pecuniae Vzedanae deferendae gratia non ita pridē Complutū venerat, equo sublimis in aciem progreditur, multisq; obtestationibus regis nomine ad vtrosq; factis, cū & ipse quoq; lapidibus impeteretur, furenti populo tantisper cessit, & in sacram Dei genitricis aedem, quae in postrema plateae parte est, sese quamprimū potuit recepit: & templi parochū vestibus sacris indutum, Christi q; corpus manibus gestantem, ad eos cōtinuō ut prodiret curauit: ad cuius praesentia religione tacti sedationibus animis ira compressa est. Michael Carrascus rector, & Vargas regius senator, increpationibus & minis ad paulō iam sobriores contenderunt, ut armis depositis discederent: quod & fecerunt, sicq; sinē certamen habuit: quanuis odia nō perinde desierint, quae in multā postea aetate durauerunt. Obuerfabatur ante patrum oculos, inconditus ille oppidanorū frementium furor, quo veluti rabie correpti, inclatā Ildephonsi aedem, auguratō conditā, sese in eo tumultu demolituros non semel iactauerāt. Terrebat Complutensium animos prompta illa adolescentū audacia, qua extrema omnia aduersus eos implacabiles tentauerant. Quare cū similia certamina quotidie expectarentur, tunc primū de Academia in alium locum mutanda, deliberari inter patres & collegas cōceptum est: cū praesertim opportuna occasio alioqui se obtulisset, Hieronymianis Lupianensibus, ad aedem Ildephonsi vrbis suis peraccommodam, quouis pretio & cōditione emendam paratis. Madritum & Guadalquivar, quas olim Mantuam & Caracam fuisse existimāt, altera ad orientem, altera ad occidentē, cōfines Compluto vrbes, de recipienda Academia inter se contendebāt. Nam episcopus Placentinus huius Vargae, de quo nuper diximus, filius, in patriae gratiam, cuius ingēs futurum incrementū ex Academiae

demiae aduētū prospiciebat, largissima pecunia ut Madritū venirent inuitabat. Petrus Siruelus, ut cū Madritēsi senatu de ea re ageret, legatus est missus. Quo minus tamen factū id fuerit, Franciscus Prato Madritensis decurio in causa fuit: qui gentem in lubrico aetatis positā, atq; ex diuersis nationibus constantem, postremo recentem finitimorū hominum exemplo odiosam, in partē ciuitatis assumendam non esse dicebat. Quod potissimum Madritenses deterruit, id fuit, quod sub finem orationis à decurione dictū est. Urbem hanc nostrā o ciues (inquit) à regibus frequenter habitari nostis: inuitantur enim caeli salubritate, & rerū omnium in hoc loco abundantia, sed potissimū iucundissimis nemoribus, Pardo & Aransueso tam propē positis, quorū hilaritate & aspectu, rerum publ. tædia voluptate honestissima discutuntur. Praecluditur igitur regum aduentum, si Academicam Complutensem recipitis: nouamq; sibi in hac potius regione urbē reges nostri condent, quam penates communes cū studiosa gente habeant. Nam qui cōueniunt negotia cum musis? qui detrita philosophorum pallia cū augusta principum purpura? qui diffluentes voluptatibus homines, cū frugalibus? Certē prouidis principibus quietem literariam aulico strepitu inturbare animus non erit. His dictis cū mentes fuorum ab Academiae cōiunctione abalienasset, re infecta ad Academicam Siruelus discessit. Guadalquivarensibus cū illa nota essent, commodorū fuorum solliciti, ad Academicam legatos miserunt, qui in vrbe sua nō modō situm & locum, sed annuam vini & olei quantitatem non contemnendam, & in totū quadriennium ad diuersandum, nō illata & gratuita hospitia pollicerentur. Erat haec Guadalquivarensium amplectenda conditio, multo magis quam vllius alterius oppidi: nam & locus amoenis montibus, quos vocabulo Arabico Alcarianos, hoc est mirabiles & spatiosos vocant, cingitur: vnde aurae salubres assidue flantes, caeli temperationem gratissimā faciunt: fontibus etiam gelidis scaturiens, aestum corpora sub cane inflammantē mitigat, & per totum deinceps anni tempus solū pingue & fecūdum est, ad necessarios vitæ vsus. Proinde si quis illam collium hilaritatem, syderū felicitatem in fluxum, Henaris fluminis irrigationem, quā liquidiorē & amceniorē habet, quam tractus Complutensis, contemplari velit, statim eandem cum Alphōso Fonseca archiepiscopo Toletano acclamationem faciet: qui saepenumero demirans dicebat, hoc esse in rerum natura obscurum & abditum, vnde in tā breui locorum interiectu, tanta terrarum dissimilitudo proveniret: nec enim sibi quatuor leucarum (ut nostri dicunt) distantiam videri, sed quadringentarum. Adeo caeli & soli dispositio, longē alia vtroq; in loco sunt. Multū in hoc Academia inclinabat, gratiaq; sunt Guadalquivarensibus acta, quod tam humanis conditionibus repletam terariam ad se pellicerent: sed ne gymnasium suum illuc transferrēt, gentis Mendoziae aulā in causa esse, quae nimirū peculiari quodam genio eam sibi sedem elegisset, quā cū fortunatū patronā colerent, nullo pacto quietem inturbare volebant. Quare ad concordiam cū Complutensibus, Ximenii voluntati obtemperantes, sese componere conati sunt. Tandē ab illis temporibus ea animorum confensio ex mutuis commodis & beneficiis contracta est, ut aeterna futura existimetur: tot praesertim aedificiorum molibus, & tot amplissimis operib. pignorū loco & obsidū extructis. Hunc externum cū Complutensibus tumultū, intestina & civilis seditio biennio post excepit. Nam anno ab Academia condita XIII. cū Carolus ad Belgas rex Romanorū designandus, Hispaniis relictis profectus esset, grauesq; illi populorum motus, qui per ea tempora Hispaniam affligerunt, exorti fuissent: nulla ciuitas, aut oppidum, aut vicus fuit, qui non civilibus discordiis concuteretur. Ildephonsi etiam aedes consuetis factionibus laborarunt, & communi reipub. contagione inuadente, Academiae populus desertis musarum studiis, furia aliqua mentes hominum tunc occupante, ad domestica praelia acrius quam vnquam se cōuertunt. Quoties igitur in Ildephonsi aede senatus de rebus literariis per rectorem Hontagnonum cogebatur, qui rem facere ex voto nō valebant, quod potentia & suffragiis minores essent, furore ex temporum calamitate concepto, illico ad arma conclamabant. Sancitū est in Ximenii legibus, ut vltra numerū collegarum, aliquot studiosi & ingenui adolescentes, quos portio nistas Ximenius vocat, im-

penſis victus (prout ille taxat) exolutis, intra ædem Ildophonſi à collegiſ recepere-
 tur. In qua quidẽ re variatũ aliquoties eſt, nã cum rerum domeſticarũ externos te-
 ſtes habere diſpliceret, ex Romani pont. conſenſu ea lex abrogata fuit. Nũc tamen
 Academia creſcente, virisq; nobilibus ad natiorũ ſuorum inſtitutionẽ eam man-
 ſione à collegiſ petentibus, ad reip. literariã vtilitatẽ, quibus procerũ fauor neceſ-
 ſarius eſt, pertinere viſum fuit, antiquatã legem reuocare. Erat igitur in Ildephõſi
 collegio per illud tempus, inter portioniſtas iuuenis quidam, excellẽs & generoſo
 animo, atq; maiorũ nobilitate clarus, Alphonſus Petreius Guzmanus nomine, Ra-
 mirii Guzmani Legionẽſis, Toraliã ditionis domini filius. Rector Hontagnonus
 & Ultramontani collegã, hunc ſibi ducẽ quẽ ſequerentur elegerunt. Contra Bæ- 10
 tici & eorũ clientes, illorũ conatibus & decretis, quanuis rectore aduerſante, forti
 animo ſe oppoſuerũt. Aderat Bæticiſ conſiliarũ hortator & princeps, Petrus Ga-
 ſca, qui Seguntinus Pontifex nunc eſt, corporis ſtatura, & vultus ſpecie parũ com-
 mendabilis, ex ignobili vico in Abulenſi tractu ortus, ſed iuuenis ingenii ſolertia,
 & ſenili quadã maturitate, ad res omnes prudẽter & ſobriẽ peragendaſ præditus.
 Hic poſtea Compluto Salmanticã cõcedens, theologiciſ ſtudiis relictiſ, breui iu-
 ris vtriuſq; peritiã nactus, atq; ad res graues à regibus noſtris gerendaſ acceſſi-
 tus, magnã quidem animi virtutẽ oſtendit. Nam in ſenatũ inquiſitorum aſcitiſ, &
 ad Mauricã gẽtiſ tumultuſ ſedandaſ Valentiam miſſiſ, quantũ prudentiaſ polle-
 ret oſtendit. Et poſtremo orbis noui Peruanoſ motuſ, totam illã Pizarrorũ fra- 20
 trum erectionẽ, qui velut ſub alio ſole degenteſ in expugnabileſ eſſe credebãtur,
 admirabili animi præſtantiaſ ſupplicio de tyranniſ ſumpto, abſtulit: & prouinciaſ
 poſt tã vaſtum Oceanũ poſitaſ, conſilio ſuo & prudentiaſ pacauit. Vnde admirabi-
 li temperantiã exemplo, eadẽ veſte amiãtuſ quã illuc derulerat, & quidẽ detrita,
 & pileo etiam eodem in Hiſpaniam rediit. Quod de Athenienſi Ariſtide auctoreſ
 Græci referunt, cũ ad Egæi maris inſulaſ tributorum componendorũ cauſa, à ſiſ
 ciuibus miſiſ eſſet. Ergo vecordeſ & infani iuuenes ſtudiõũ ſuorum obliti, cũ
 nocte qua in priuato ſenatu per rectorẽ habito, reſ cõtra Bæticoꝝ ſententiã ge-
 ſta eſſet, idq; principes eorũ malẽ haberet, de rectorẽ cãteriſq; tranſmontaniſ cõ-
 fodiendiſ conſilio inito, vnã impetũ facere decernũt. Suſtulſſent eõſ ò medio, niſi 30
 vigilẽ oppidi cuſtodeſ, qui temporis turbulenti ratione acriũſ nocturniſ circun-
 luſtrationibuſ intendeabant, illac ad multã iam noctẽ fortẽ tranſeunteſ, dimican-
 tium ſtrepitũ, ſuſceſſiſq; voceſ clarẽ per noctiſ ſilentium audiuiſſent. Fruſtra tamẽ
 grauiffimiſ repaguliſ obſerataſ portaſ, aut referre aut infringere tentarunt. Qua-
 re igne ad meridianaſ ianuã, aut quod aliqui malunt, ad ſodalium Franciſca-
 norum poſticum, quod iuxta illam ſitum eſt, admoto, iter ad eõſ patefactum fuit.
 Præſectũ oppidi & ſatellitẽſ ingreſſi ſcholãſticaſ homineſ, in quorũ olim diſputa-
 tionibuſ concertatio quadã togata à ſedentibuſ conſerebatur, nunc ab infeſtiſſi-
 ma & cruenta pugna, qualis nunquã inter immanẽſ militeſ commiſſa fuiſſet, mu-
 tuiſ ſeſe vulneribuſ afficienteſ, vix vt ceſſarẽt eſſicere potuerunt. Rectoreſ in ea 40
 nocturna pugna mortis periculum ſubiſſe ferunt, Cueto Cordubenſi, qui poſtea
 monachus factuſ eſt, hominem vrgente. Illi motuſ in collegio durauerunt, donec
 Caſariſ aduentantiſ auſpiciis, & regulõrum eiũ maiſtateſ fideliteꝝ tuentium
 ſtrenuitate, totiũ regni tumultuſ ſedatiſ: reſ publicaſq; ipſa ad priſtinã tran-
 quillitateſ, & legum noſtrarum obſeruãtiã reſtituta. Hiſ ipſiſ diebuſ Antoniuſ
 Acuniuſ Zamorẽſiſ epiſcopuſ, qui vnũ ſpe Toletani pontificatuſ regã in primis
 authoritatẽ conuellaebat, Cõpluto iter facieſ, cũ Fernando Pintiano Græcarum
 literarũ profefſore, qui maximẽ inter alioſ populariſ habebatur, arcaniſ cõſiliis e-
 giſſe fertur, vt pollicitiſ optimatũ eiũ oppidi animoſ ſolicitare, eõſq; in popu-
 lariſ ſtatuſ fauoreſ quanta poſſet diligentiaſ pertraheret. Sedulã operã in ea re 50
 Pintianuſ nauauit: nam quẽ vnũ cãterõſ pellicere poſſe exiſtimaauerat, tũ quòd
 familiã nobilitateſ illuſtrior, tum quòd clienteliſ potentior videretur, Alphõſum
 Caſtellã præſracti animi, nec multũ opibuſ affluentem iuuenem, vana ſpe & pro-
 miſſiſ lactari, ſexagenniſ milliſ nummũ in ſinguloſ annõſ interim oblatis, vt par-
 tes populi ſuſcipereſ eſſecit. At rebuſ paulõ poſt in contrariũ mutatiſ, totaſq; illa
 tem-

tempeſtate diſcuſſa, popularibuſ in ordinẽ redactiſ, illorũq; ducibuſ capite mul-
 tatiſ, cũ Caſtella Pintianum vt promiſſa perficeret vrgeret, illeſq; rerũ mutatio-
 ne ſe excuſaret: Caſtella magiſ ob reip. prodiã pudorem, quã quòd promiſſa à
 Pintiano homine priuato exigenda arbitrarẽtur, gladio ſtrictõ in illũ irruit, & bra-
 chium viri eruditiffimi vulnerauit. Ob eam iniuriã ab homine potentiſ illatã,
 quem vlcifci nõ poſſet, relicta Compluto, Salmanticã Pintianuſ, nõ ſine magno
 Academiaſ dolore, conceſſit. Erat. n. Græciſ & Latiniliteriſ cum primiliteriſ erudituſ,
 magnuſq; ad eaſ ingeniorũ excitator. Recenſuiſmuſ ſuperiũſ, quemadmodũ An-
 toniuſ Nebriffenſiſ timere ſe dixerat, ne Complutenſiſ Academia, quã in oppido
 10 ad ditionem archiepiſcopõrum Toletanoꝝ pertinente ædificabatur, perpetuaſ
 lites cũ illiſ habitura eſſet, tum de iuriſdictione, tũ de ſacerdotiſ conferendiſ, aut
 fortaſſe leuioribuſ de cauſiſ, vt ſunt potentũ animi facileſ irritabileſ. Ergo poſt-
 quaſ primã partẽ confeſicimus, magniſ viriſ annumeratiſ, qui poſt Ximenii mor-
 tem ab eiũ Academia exierũt, & de diſcordiiliteriſ diſſidiiliteriſq; cũ ciuibuſ Compluten-
 ſibuſ: ſupereſt, vt quemadmodũ iuxta ſeniſ Nebriffenſiſ vaticiniuſ, ab archiepi-
 ſcopiſ Toletaniſ fuerit Ximenii Academia agitata & exercita, exponamus. Ergo
 poſtquã Guilieſmus Croiuſ, qui Ximenio ſuceſſerat, intra annum, nondum viſa
 Hiſpania obiit, Alphonſuſ Fonſeca ad pontificatũ Toletanoꝝ aſſumitur. Iſ vt mori-
 bus perurbaniſ, & clementiſ animo prædituſ erat, Academiaſ rebuſ iniquiſ non
 20 videbatur. Palãm enim prædicabat, Complutum Academiaſ cauſa ſibi veluti præ-
 tioſum margaritũ eſſe. Tamen ſimultatiſ quã cũ Ximenio quondã exercuerat,
 & doloriſ ex ea cõceptiſ memor, cõquiſitiſ cauſiſ Academiaſ cõepit diuexare. Duã
 potiſſimũ reſ fuerunt, ob quaſ Fonſeca vindictã optabat, alterã quidẽ omnibuſ
 nota, quã noſ etiam diximũ de Compoſtellano antiſtite à Ximenio iure prima-
 tuſ inhibitõ. Hanc ſimultatiſ cauſã dictõ aculeatoriſ Ximeniuſ auxilium imprudẽ-
 nam cũ anno inſequenti Compoſtelloſano à Ferdinando rege impetraſſet, vt apud
 Pont. Max. liceret agere de archiepiſcopatu Compoſtellano in Alphõſum filium
 transferendo, ſibi ne graduſ honoriliteriſ decederet, Patriarchã Alexandriniſ titulo cõ-
 ceſſo, Ximeniuſ inter ſermonẽſ familiares, ad procerẽſ priuatiſ diſtẽriſ inſolen-
 30 tiaſ rei notanteſ dixiſſe ferunt, pontificatũ Compoſtelloſanũ gentilitiã hereditariẽ
 ex reſtitutione eſſe factũ, proinde diſpiciendũ eſſe, an ſceminariũ exceptioſ facta
 fuiſſet: acerbo ſcõmate prolẽ vtriuſq; ſexuſ in Alphonſo perſtringeſ, nec non
 regiſ Ferdinãdi parũ iuſtam conceſſionem: cuiũ ipſum poſtea poenituiſſe Cara-
 najaluſ in annalibuſ auctõ eſt. At ſecundaſ illã poſteriuſ multõ gubernationiſ Xi-
 menicã tempore, ex notis arcaniſ ad Carolũ regẽ ſcriptiſ exorta fuit. In iſiſ Xi-
 meniuſ ſuã modeſtiã nõ nihil oblituſ, paulõ liberiuſ in Fonſecãſ moꝝ inuehitur. Hiſ
 igitur de cauſiſ, aut fortaſſe quòd ita ad rem ſuã pertinere Fonſeca arbitrarẽtur,
 primũ ſacerdotia eccleſie Juſti & Paſtoriliteriſ, quẽ per Alphonſum Carrillum ar-
 chiepiſcopum Toletanũ inſtituta ſunt, ſuã diſtributioniſ & curã aſſerẽda omnino
 40 cõtendebat: cũ id regio ea de re diplomatiſ in Academiaſ fauoreſ conceſſo palãm
 aduerſaretur. Deinde quoniam Pont. max. priuilegio Ildephõſi ſacerdoteſ rectoriſ
 Academiaſ ſubiiciũtur, & ab eo in moꝝ eorũ inquirendũ eſt, iniquum eſſe, aut
 potiũ flagitiõſuſ proclamabat, ſi ſuẽ ditioniſ clericiliteriſ aliuſ quã ipſum iudicẽ ha-
 berent: eã eſſe inquieſ, dũ ſe rector, & illiſ mutuò, iuxta prouerbium, ſcabunt,
 peraccommodã ad peccandũ licentiaſ. Idcirco quo iure, quãque in iuriã, de eoꝝ
 moribuſ conſequeſtionem facere eſt aggreſſuſ: ſed hanc vim præſentiſ animoꝝ
 rorum conſtantiaſ noſtriſ repulerunt. Nam ſimulatque id à canoniciliteriſ ſacerdotiſ,
 recens è theologiſ patriſ per Ximeniuſ adactiſ, reſcituſ fuit, rectoriſ ope &
 præſidio imploratiſ, in Ildephõſiſ collegium ſe receperũt: ibiq; pluſquam triginta
 50 dieſ templo abſenteſ moratiſ ſunt: donec Pontif. max. tutelareſ literã Roma ad-
 uenerunt, quibuſ ea ſolũ archiepiſcopuſ curare iubebatur, quã ad templiſ cul-
 tum & preceſ horariãſ ritẽ perſoluendaſ neceſſaria eſſent: cãteriũ morum &
 vitã inſequeſtionem rectoriſ relinqueret. De collatione tamen ſacerdotiorum, quẽ
 per Alphonſum Carrillũ inſtituta ſunt, quãdiũ Fonſeca vixit controuerſia fuit:
 quòd nullo modo in alteriũ præiudiciũ, ſiue per regẽ ſiue per ſummũ Pon-
 tem-

tificem, ea facultas (vt ille aiebat) potuisset cōcedi. Ergo tutelares illæ literæ quibus in mores sacerdotum inquisitio verabatur, eius animū eò acrius pupugerūt, quòd per ea tempora à regio comitatu sponte absens, Compluti quandiu illi vita superesset, morari constituerat. Nam cum in Cardinalium S. R. E. senatum, priuatis legibus, nothus cooptari non posset, & Cardinales nonnulli in curia Cæsarea tūc diuerfarentur, quibus propter eius senatus maiestatem, maior honos quàm Fōsecæ Archiepiscopo deferretur: indignū sua autoritate esse duxit, qui Hispaniarum Primas esset, tam insigni nota quotidie affici. Nam cum ad Augustam aliquando venisset, sella que sibi ex earum forma allata fuisset, quæ nullis hinc inde lateribus cinguntur, atq; ea de causa rasæ appellantur: Ioannes verò Tauera Archiepiscopus Cōpostellanus quòd Cardinalis esset, in multò digniori federet, dolore & indignatione affectus, non multum apud Augustam moratus, aula egreditur, & vltimum vale comitatu regio dixit. Hac ergo occasione, quod iamdiu cogitauerat, Complutum secessit. Secedentē ingens familia secuta est: decreuerat enim Compluti amplissimè viuere, & animum honestè oblectare. Nam & musicis concentibus lectissimarum vocum ad peragenda sacra utebatur, & studiosis iuuenibus digna præmia proponebat, qui conscripta themata apud illum eloquentiùs perorassent. Ad quod spectaculum in ædes pontificias Academia vniuersa confluerebat: & crebrò sex, nonnunquam octo declamationes, habebantur. Vbi præter iuuenum disertas orationes, & ambiguam de præmiis sententiam, Petri Lermæ Cancellarii versiculi studiosè audiebantur, quos aut è Virgilio, quem ille ad vnguem senex memoria retinebat, aut ex alio quopiam poeta in singulos iactabat. Quale fuit, Lusitano quopiam non inuenistè causam suam agente, mulumque iudices obrestante, ne sibi quòd esset Lusitanus fraudi esset: Tros, Tyriusve mihi, nullo discrimine ageretur. Dum hæc in fauorem Academiae gerebantur, clam per accomodos ministros, non modò iam sacerdotes ipsos, sed vniuersam literariam remp. sibi subiectā facere curabat. Ildephōsi collegiū per ea tempora in duas factiones diuisum erat, Baticam, & Transmontanam, quā Castellanam vocat. Hæc verò cum alternis vicibus in Academia, prout fors dabat, regnarent, qui numero & potentia maiores erant, dignitatibus, cathedris, & emolumentis cōtrarios pellebant: vnde atrocibus odiis inter se laborabāt. Igitur Villichio ex Batica factione rectore Castellani multò inferiores, in magnis angustiis & dolore sunt constituti. Peropportuna eam occasionem Fonseca ratus, quauis tunc Compluti nō aderat, aliquot tamen Academiae patribus qui in eius aula versabantur internuntiis, Moiam qui inter Castellanos præstantior habebatur, pollicitationibus permultis inescatum, modò iuri suo renuntiet, & ipsi demū Academiam traderet, cōstitueret rectore parat. Id autem facile factu Fonseca erat, Bernardini Alphonfi visitatoris opera, qui ex Ildephonsi collegis, quos liberet suffragio priuare poterat. Procuratum est tandè à Bernardino homine multis de causis Fonseca adducto, vt Moia rector crearetur. Nā sub mensem Augustum, qui secundæ visitatoris censuræ deputatus est, secretum & obsignatum edictum in Michaelis festo, ne quid remedii interea quæreretur, publicare decreuerat: aliquot ex Baticis suffragio ad finem Octobris sunt priuati, vt sic eis exclusis comitia de rectore creando præterirent. Id edictum, cū apud censuræ tabellionē magna cura & studio seruaretur, Didaci Agramōni, & Ioannis Cueuæ Cordubensis, & Santacrucii cuiusdam industria, noctu ex feriniis clam est abductum. Et ne quæstione per antistitis vicarium facta, allicubi gentium edictum compareret, ab eisdē confestim deuoratur. Is enim erat Ioannes Figueroa, vir ingenio vehementi & seuro, qui postea nostro tempore magnis reip. muneribus functus, ad regii senatus præfecturam per Philippum II. assumptus fuit. Qua in re cum Agramontii sedulitas illustrior fuisset, Bedellatus officio per rectorem donatus est. Cum itaq; censuræ tempore elapso, Bernardinus nihil contra efficere valeret, & Fonseca tunc spe sua frustratus, postea in Academiam (vt diximus) venisset, atq; Castellanos factionem commutata fortuna, tertio post anno potentiorē offendisset, quod per suos absenti non successerat, præfens maiori contentione aggreditur. Quendam itaque Alexandrum ad se

vocari

vocari iussum, qui inter factionis Baticæ collegas & prudentior & cautior habebatur, ad hunc modum alloquutus esse fertur. Miraberis fortasse vir optime, quid ego vestræ reip. (nam ita existimatis) tantopere infestus, te accersi in præsentia curauerim, quæ vnum eius amantē ante omnes esse audio, ac proinde mihi (vt vestra fert opinio) minimè propitium. Veruntamē hæc ipsa ratio vt tuū colloquium ex peterē effecit, cui ex omnibus qui hanc literariā remp. gubernatis, voluntatē meam apertire, & consiliū approbari volui. Atq; vt primū omnem animi erga vos maleuolentis suspensionē à me remoueam, intelligere te cupio, nihil mihi in tota pontificatus Toletani ditione, siue carius, siue pretiosius Academia vestra esse: idq; & passim, & libenter prædico, ac testimoniis quotidie declaro. Nam crebrò ad vestras literarias disputationes in collegium venio, & studiosos iuuenes partim publicè in vestro conspectu, partim priuatim inter meos familiares, siue declamantes, siue pugnans eruditas conferentes ausculto. Verum dū audio, quod de viris theologicis nūquā credidissim, cōtentiones priuatas inter vos esse, odiaq; tantū inuicem creuisse, vt animis implacabilibus, alteri alteros deturbare conemini, totaq; illā literariam quietem, cui vos vir ille ter maximus Franciscus Ximenius dedicare voluit, amittatis, non possum non grauiter dolere, & labanti gymnasio qua potuero ratione succurrere. Id autem si opera tua mihi præsto fuerit, me facile contecturū spero. Fontem & originem huius mali, qui res vestras penitus nouerunt, in rectoris magistratu, qui prorsus tyrannicus apud vos est, esse aiunt. Nam cum in hanc Academiam ex variis Hispaniæ locis conueniatis, patriæ nomen apud omnes mortales, natura ipsa dictante, tam sanctum est, vt quoties in transmontanis imperium fuerit, Pelendonem, vel remotum Cantabrum, sint Toletano, atq; adeò ipsi Complutenfī, sine vllò delectu anteposituri: atq; idem Carpetani, & Batici cōmutatā fortuna in suis sunt facturi. Huic ego malo vnicum remedium esse video, si hic rectoris magistratus auferatur, & vnus aliquis opulentus vir & potens, quē nihil vestra emolumenta moueant, Academiae curā suscipiat. Ille enim priuatis vestris rationibus liber, æquum sese erga singulos præbebit. Neminem autē huic rei magis cōuenientem quā Archiepiscopum Toletanū inuenio: qui vt potentiam, auctoritatem, & reliquā omnem amplitudinē taceam, quæ ad populos regendos necessaria sunt, certè personæ quā profiteretur causa & officii proprii ratione, eruditissim sacerdotialargiturus est, & omnibus studiosis suum fauorem præstaturus. Hanc tu si meam sententiā approbaueris, ego te in annū sequentem rectorē esse faciam, dūmodo factus fidē tuam des, hoc quod dixi, te statim curaturum: & mihi in manus potestatem vestrā tradas: quæ multò magis (vt modò se habet) diffidiorum, & seditionū fomes existit, quàm vllius commodi, aut profectus studiosi causa. Et ne te ad tam manifestam vtilitatem torpor aliquis segnis retardet, quamprimū in Toletano templo canonicatus vacuus erit, ego te incunctanter donabo. Defixis humi oculis aliquantisper Alexander constitit, non tam reip. suæ proditionem considerans, ad quam fucatis causis, & præmio insuper non contemnendo ferme iam persuasus fuerat, quàm aduersæ factionis odium, & suæ maiorem potestatem illa ratione futuram. Quare gratis Fonseca actis, quòd secum ea de re tractare voluisset, collaudatis eius sermonibus, difficile esse dixit se rectorem creati posse, cū Castellanos factio sesquialtero maior quàm Baticorum esset: nec enim tunc forte, quemadmodū nunc sit, sed ex maiore suffragiorū numero, rector, vt Ximenio placuerat, creabatur. Facile hoc Fonseca, inquit, modò tu firmus & fidelis maneat, effectum dabo. Iusti & Pastoris canonici, sub Andreae festum, ex Ximenii vestri legibus visitatorem, quem vocatis, inter se eligunt, qui in acta præteriti rectoris inquirat, omnesque alios magistratus exploret. Eius potestas quàm lata sit, intelligis: vosq; ipsi sæpenumero apud me conquesti estis, graue iugum & intolerabile à Ximenio ceruicibus vestris impositum fuisse, cum quicquid ille sanxerit ratum sit habendum, neque vlla ratione prouocandum esse iusserit. Hunc ego deligi in præsentia curabo, qui non vt cæteri ad omnia annuentes, sibiq; gratiā vicissim captantes, sed rebus diligenter examinatis perspectisq; iuxta munus suum fontes vlciscatur, atque quatuor aut quinque ex Castellanos factione collegas, quos ego

moribus corruptis inter alios esse noui, suffragiorum iure priuatos, donec comitia Lucanalia prætereant, atq; ab octauo Cal. Aug. quando secunda inquisitio agitur, ad Lucæ diem exulare iubeat. Quamobrè tu ita superatibus Bæticis facile rector ab eisdè declaraberis. Nã & Ægidius, qui rectoratu fungitur, cui tu in primis es amicus, vt reliqui omnes earundè partium ad te creandū statim inclinent, curabit. Sensit tyrannicas technas Alexander, nihilq; tale commeritos villos ex collegis Castellanis sciebat, cur ea essent poena afficiendi. Sed tamen diuersæ factionis odio, quã omnino sublatã cupiebat, ad ea animo letabundo annuit: & quod antea arduum videbatur, sine molestia & difficultate ita effici posse nõ negauit. Digressi sunt datis dextris vterq;, silentiumque ante alia pollicentur, donec ad finè optatum perducta cuncta essent. Alexander interea suos pertentabat, varièq; ipsi sermones iniiciebat, de Academia statu mutando. Sub Andreæ festū, Fonseca curante, Albornotius Seguntienis Visitator factus fuit, vnus ille quidè ex Academiae partibus, sed què minimo negotio in sententiam suam Fonseca traheret. Huic magistratui in rectoris præteriti acta, & mores omnium collegarū inquirere, summa potestas absq; vlla prouocatione, eo tempore erat, quã posteri bonis legibus coartarunt. Venit, vt mos est, postridie diui Andreæ ad rectorè & collegas salutandos Albornotius, seq; statim iuxta Ximenii legem, præfante rectore, sacramento deuouit, citrà vilius iniuriam in eorū acta inquisiturum, in quos sibi potestas ex lege esset: neminiq; vnquã reuelaturum, quæ vel collegii, vel magistratu dignitati fraudi essent futura: nullisq; verbis, literis aut signis, vel pecuniæ impensæ numerum, vel rerum gestarum notitiam significaturū: omniaq; piè & sanctè curaturū, quæ ad Academiae vtilitatè pertineret. Dum ergo muneris sui partes exequitur, & anni præteriti magistratus examinat, & dati & accepti rationes expendit, quæstionem de moribus singulorum agendam, in paucos quosdam propèsius dirigebat. Senferunt illico quorum intererat, Albornotium nõ admodum æquum Castellanis futurum: nam per omne fas ac nefas, eorum potentiam & conditionè labefactare velle videbatur. Hoc Alexandrum machinarum consciū in spem maiore étigebat, & omnia sibi ex voto successura sperabat. Elapsi sunt interea quinquaginta quatuor dies, per quos visitatori in rectorè & collegas ius est: cumque nihil rei nouæ accidisset, pauore quem Castellani conceperant deposito, rursus animis sedatis quieuerunt. Inter hæc in collegiū Fonseca ventitare, & ne quid beneuolentiæ prætermitteret, ludorum die, quos post Pentecosten in Christi corporis cultum splendidissimos quotannis Academia exhibet, epulis eorum, quas tãti cõuiuæ causa lautissimas collegæ apparauerunt, comitatis plenus accubuit. Instabat iam S. Iacobi diès, qui per vii. Cal. celebratur, quando Albornotius iuris depositi compos denuo factus (durabat enim id spatium minori, nempe ad iiii. idus Augusti, quod ferme tempus semestre est) cœpit animum suum magis prodere: & quibusdam causis præteritis, quinque primores Castellanae factionis viros per quatuor menses exilio multat, & se magistratu continuo abdicat. Collegæ qui sunt in exilium missi: Didacus Wagus, Martinus Malus, Inachus Angulus, Ioan. Morenus, & Martinus Luidandus fuere. Secesserūt in proximum Compluto vicum, qui Turrijonus Ardozus appellatur, vbi amœnis rusticationibus præfinitum exilium traduxerunt. Comitibus Lucanalibus, iuxta Fonseca votum Alexander rector creatus, Castellanis qui rem vt acta erat iam rescuerant, non mediocrem curam iniecit de rep. literaria conseruanda, cuius negotia sub nouacula (quod aiunt) esse, Alexandro rectore intuebatur. Grauiora sunt enim domestica quamuis remissa mala, quã vlli hostiū durissimi incurfus. Quare Castellani qui comitiis interfuerunt, interpositis appellationis tabulis, eum rectorè salutare noluerunt, donec ritè comitia fierent, exulibusq; rursus suffragia redderentur. Nam Archiepiscopi Academiae insidiantis nutu ea esse facta clamitabant: virosque optimos & prudentissimos ea de causa exilio pullos, vt is tãdem rector crearetur, qui antistitis partes sequebatur. Hæc querimoniis in tam iusto dolore effectum fuit, vt is annus, quod nunquam contigerat, sine nouo rectore principium habuerit, Ægidio magistratum, donec lis componeretur, in sexquimensè & amplius prorogante. Id autem non

non mediocriter Fonseca conturbauit, qui consilia sua palã iam innotuisse cerneret. Proinde ad regium senatum, vbi Castellani aduersus potentissimū aduersariū causam agere constituerant, procuratores mittit, qui omni criminationū amplificatione Castellanam factionem onerarent, culpamq; cunctam à se depellant, cui id vnus in primis curæ sit, vt seditiosis hominibus pulsus, Academia indies augeatur. Irritus Castellanis conatus fuit aduersus hostem ingetem dimicantibus: nam rectoratus Alexandro confirmatur: & res illas ad se non pertinere senatores regii pronuntiarunt. Interea missi in exilium redierunt, & tãquam in publico commodo, quemadmodū viros bonos decebat, depositis odiis & simulatibus, viros ex Bæticis præstantiores ad commune periculū cohortantes, cõsilia inire promiscuè cœperunt, ne quid resp. detrimenti caperet. Cuncti igitur ad eam rem vnanimis, quinque illis ab exilio reuersis, qui ob recentem iniuriã magis archiepiscopo infensi credebantur, curã rectorè compellendi demãdauerunt. Ex quibus Wagus homo prisca feueritatis & constantiæ, qui postea ad Cæsaraugustanos inquisitor à Cæsare est missus, ita in vtriusq; factionis conspectu Alexandrum alloquutus est: Si ego solus, & non potiùs hi vniuersi præstantissimi viri, ad id persuadendū quod in præsentia dicturus sum, animatus essem, fortasse tanquam nihil profuturus, aut occasionem aliam expectassem, aut prorsus in silentio me continuissem. At cum eiusmodi periculum metuatur, ad quod euitandum depellendumque omnes animis paratissimis accedere fas est: eorum, quos in conspectu tuo tanta consensio ne congregatos cernis, meam vocem esse existimato. Quam cum non possint sine tumultu & confusione simul omnes emittere, mihi vni prouinciã dederunt, non tam quidem ob eloquentiam, quæ in me parua aut nulla certè est, siue ob maioris prudentiæ opinionem, cum tu ipse vir iudicio eximius, quales hi omnes sint abunde noueris, sed quòd rerū præteritarum, & contumeliæ susceptæ causa, mihi maiorem notitiam esse existimant fœderis inter te & Fonseca Antistitem isti. Quod vt certum esse cognouimus, vobisq; tantum non sanguine humano firmatum, ita facile vniuersi speramus id te protinus depulsurum, postquam ex meo sermone intellexeris, cuncta ea quæ in Academiae perniciem clam pepigisti, in lucè tantem prolata fuisse. Neq; enim hominibus prudentibus cogitandum erat, viros innocentes per summum dedecus collegio pullos, omnem operam non adhibiturus, ad huius calamitatis causas præcognoscendas, ipsaq; ad eò principia perscrutanda. Fucū ille tibi fortasse fecit, vt est magnus verborū artifex: neq; enim de homine, qualis tu es, incorrupto & probo, vllã prodicionem suspicari animus est: tuūq; istū rectorum magistratū tãquam seditionū & turbarū fomitem atrocibus verbis infectatum fuit, ac deniq; nostrã hãc optimatū remp. democratiae nomine traduxit. Et vt sunt omnium potentiorū mores, vbi vim inferre nõ possunt, pecunia & muneribus impudenter oppugnât: tu aliquid humanū in hac re passus, præmii alicuius ingentis spe eius perniciosi cõsiliis assensisti. De vtroq; breuiter in præsentia dicã: neq; n. longa oratione opus est ad tuam mentè tibi reducendã, hoc est, integram, & reip. amicam. Atq; vt ad primū statim respondeam, quantã vigilantiam retores hætenus adhibuerint ad hanc remp. conseruandã & augendã, numerosus populus tanto cū profectu literarum, & Academiae nostræ maiestas, in quã tam paruo temporis spatio creuit, argumento & testimonio sunt. Nam cū publ. commodū agi videremus, si æquè omnibus in Academiam confluentibus, modò apti ad disciplinas habeantur, aditus ad collegia & cathedras sit, nullusq; fauor aliunde requireretur, præterquã à cuiusq; natura & virtute, cõditoris huius gymnasii leges secuti, omnem in hoc operã posuimus, vt cunctis hoc persuasum esset, cõmunem esse literariam fortunã, & pariter opulenti & egeni, nobilibus & obscuris, tardis & ingenio valentibus, patere: primū verò locū & honores labore improbo sibi quemq; parare oportere. At quo pacto hoc potuissemus facere, nisi liberis legibus vteremur? nisi in eodè ludo exercitati cuiusq; merita cognosceremus? nisi quotidie eos explorâtes, laboris industriã, ingenii acrimoniam, operã indefessam, noctes infomnes, inuictã deniq; in euincendis disciplinarū difficultatibus cõstantiã, ante oculos semper haberemus? At id credo Toletanus antistes accuratè per-

spiciet, non me hercle magis quam rex Persarum. Satis illi cum sacerdotibus suis negotiorum est: satis de rege demerendo, de se cæteris præfulibus anteposendo, sollicitudinis & ambitionis habet. At id faciet eius vicarius, totaq; illa tabellionū, fiscalium & licitorum, quibus stipatur, cohors multò minus profectò: cum vix libris diiudicandis, dies & noctes illi satis esse videamus. Nostra hæc Minerva ambitione & avaritia vacua, libertatem & otium requirit, quæ non ab aliis quàm a nobis ipsis præstari queunt. At fingamus nos, vt Fonseca dicit, per omnia negligentēs esse, nihilq; quod nostri muneris sit curare. An non videtis, vniuersum studiorum profectum, qui vnicus nobis scopus esse debet, ita funditus cadere & perire: Statim ad eius nutum cathedræ dabuntur: gradus qui licentiarum appellantur, quibus à nobis de singulorum studiis iudicium sit, non iam ex cuiusque meritis, sed ex eius voluntate, aut quod grauius & intolerabilius est, ex suorum ministrorum libidine, conferentur. Quorum insolentiam non ita pridem experti sumus, quando tu ipse, & competitoris tui de theologis gradibus contententes, vnus mulierculæ, quæ Maldonato præfecto domus Fonseca nupta est, arbitrio, res vestras interturbari apertè sensistis. Taceo contumelias & iniurias, quibus per oppidi præfectos nostra iuuentus quotidie afficietur, quibus nescio qua de causa tantopere infensa est. Alterum verò quod dicendum mihi erat, ne te ille, quod minimè credimus, præmio aliquo proposito lactauerit. Sentis iam quantū spes huiusmodi fallant: solent enim principes viri aureos montes, dum aliquid fieri cupiunt, facile promittere, post rem verò confectam, non solum aut nihil aut perpauca præstare, sed obliquè, & nonnunquam apertè prodicionem exprobrare: quod Philippum Macedonem fecisse scimus cum eis qui Olynthum illi tradiderunt. Quocirca si quid huiusmodi cum Fonseca pactus es, memento rectorem te huius Academiae esse, hoc est, parentem, protectorem & patronum: cuius muneris & officii est, seuerè in eos animaduertere qui tale aliquid designarent: & pacta, quæ in manifestam nostræ scholæ perniciem, & in tuum sempiternum opprobrium futura erant, irrita facito: quod diuis & hominibus laudantibus es facturus. Erige obsecro Alexander te, tuamque vitam tanta hætenus integritate antea tam recolito, cui notam hanc inurere nullo pacto vir ingenuus debes. Habes hic prope sacram aram, & diuum Ildephonsum huius Academiae tutelarem, nostri cõditoris Ximenii ossa, quod si per maximam hæc iniuriam ædes has literarias perdidideris, Deum ultorem, & Ildephonsi numen inimicum, & Ximenii manes iratos semper habebis, qui omnibus locis cõscientiam tuã terreant, & te grauibis furiis vlciscantur. Hic cum ille finè dicendi fecisset, illico ingens silentium fuit: manifesta; notæ in Alexandro visæ mutati animi, & culpã deprecantis. Nam & notabiliter expalluit, & lachrymæ sponte sunt illi obortæ. Vt primū igitur voci interclusæ locus datus fuit, omnia prout cū Fonseca conuenerant exponit, sibiq; magnis precibus veniam dari postulat, hoc vnum in tanto crimine bonū futurum prædicans, quod se cū Fonseca sic esset gesturus, vt & ipsi suum antiquū animum, & caritatē in Academia essent agnitori, & ille nullius vnquã animum de prodicione esset interpellaturus. Quod tam constanter & fideliter præstitit, vt eius propositum Fonseca demiratus, se anguillam cauda captasse dixerit. At is talē se deinceps toto tempore rectoratus præbuit, vt æquè vtrique factioni carus esset: & munere tandem rectoratus functo, libenter erant si per leges licuisset, magistratum prorogaturi. Verum non multò post in Hispalensem ecclesiã ab Alphonsio Manrico Archiepiscopo vocatus, canonicatu & theologica eius cathedra donatus est. Fonseca, aut quod operæ frustra sumptæ eum iam tæderet, aut quod iniquo animo tulerit, Michaele Carraço, & Ioanne Vergara eius familiaribus indicantibus, Annã Villoom Francisci Maldonati (vt dixi) vxorem, curasse vt gradus secundum eius voluntatem distribuerentur, interminatam, ni id fieret, Archiepiscopi & totius familiæ indignationem, mirum in modum se continuit. Vidit enim si quod tantopere conabatur effecisset, omnia pro suorum libidine esse iactanda & inuertenda. Interim tamen magna & frequens consultatio rectori, & Academiae patribus, de mutandis sedibus fuit. Nã ex Ximenii lege apertè inuitabantur, qui prudentissimè in hoc quoq; pro-

prouidit, vt de regum nostrorum voluntate, si quid incommodi ex Complutensis oppidi habitatione Academia pateretur, aliò continuo migrarēt. Cùm ergo præfulēm, alioqui benignum, tam iniquum erga se experti essent, frequentesq; item studioforū mortes, ex oppidi loco, & cælo pestileni contigissent, decreuerunt calamitosos sedibus cedere, & se Pontificum Toletanorum molestiis liberare, quas perpetuas futuras ex principiis illis diuinabāt. Postquam id vulgatum fuit, crebræ multorum populorum legationes venerunt, commodissimas cõditiones offerentes, & caritatē, rerumq; omnium mutuam coniunctionem. Fonseca non sine magna sui nominis iactura, & Complutensis oppidi imminutione, id futurū sentiens, dedit operã apud regium senatum, ne quid tale suo tempore permitterent: quare nihil actum fuit. Quod si tunc effecissent, & suæ libertati Academia consulisset, & multi præstantissimi viri, qui immatura morte non ita pridè occubuerunt, magna studiorum vtilitate nunc starent. Sed huic malo obuiam itum esse affirmāt, paludibus illis per emissiones in flumen siccatis, salicibusq; frequentibus, & populis ad eius ripas studiose cõstitis, quarum attractu nebula illæ perniciosæ refringuntur, & magna ex parte vi sublata hebescunt. Moritur Fonseca Cõpluti intercuti morbo, & in eius locū Ioannes Taueræ Compostellanus antistes suffectus est, vir quidem quod in elogiis in templo maximo Toleti habetur, temperantia & prudentia eximius. Verum vtilis virtutibus maximè laudandus est, ita iuris quod iuum arbitrabatur ad eò tenax fuit, vt suis emolumentis quantumuis minutis impendio plus studuisse dicatur, quàm Pontificem deceret. Nam cùm statim vt ad Pontificatum Toleranum designatus fuit, controuersiam sacerdotiorum Iusti & Pastoris componere à Cæsare iussus esset, idq; optimis cõditionibus actum fuisset, in mores sacerdotum inquirere voluit: & nihil grauius aut molestius ferebat, quàm si Compluti præfectus, atque ipse Taueræ vicarius, diplomatibus quæ Academia à summis pōtificibus Alexandro, Leone & Iulio benignè & meritò data sunt, à causarū scholasticorum cognitione repellerentur. Sæpe enim accidit, vt nonnulli scholastici iuuentæ vitio, noctu vagarentur, aut interdiu rixarentur, qui ab oppidi circitoribus intercepti in carcerem coniciebantur, & inter vilissimas custodias vincti tenebantur. Hos rector postquam suæ iurisdictionis esse compertum erat, vt sibi traderentur curabat. Quod nisi fieret, præfectos oppidi sacris arcebat, & diris (vt solet) deuouebat: monebatq; ne Academia iuuentutē irritarent. Taueræ non multò post Complutū veniens, aliquot scholasticorū iuuenum delicta plus æquo apud rectorē exaggerauit, & theologis patribus conuocatis, sese illā remp. mutare velle dixit, quietemq; eius perpetuò stabilire. Nam quod Fonseca de rectoris potestate imminuenda visum fuisset, sibi quoq; maximè placere: cœpitq; statim nonnulla scholasticorū errata cõmemorare, quæ in tanta hominū diuersitate, quales quotidie in Academiam cõueniunt, accidere tanè necesse est. Quibus expositis ad rectorē conuersus, per multa de eius negligentia dixit: quæ tamen cõdonabilia (vt aiebat) & ferenda in homine priuato, & literaria tantummodo supellectile instructo essent. Annuo enim magistratu fungens, nō erat cur sibi inimicos cõpararet, quibus vlciscēdis omnino impar futurus esset. Idcirco ex Salmanticēsis gymnasii exemplo, magistrū scholarū se velle cõstituere, qui censu suo & fauore adiutus, Academiam tranquillã teneret, omnesq; eas iurgiorum causas obliteratas è medio tolleret: idq; se apud regē cõtinuò curaturum. A quo si id obtinere nequiret, vel pedibus Romã iter facturum, vt id à Pont. max. impetraret. Dura oratio rectori, & patribus theologis fuit, tãtiq; præfulis autoritate indigna: cæterum magistrū illum, quē dicebat, scholarum, se suscepturos responderunt, modò vnus ex theologis patribus ad eum magistratū gerendū sumeretur: quod ille cõstanter renuebat, quasi idē tandē magistratus mutato nomine esset futurus. Aliquot dies cùm ea de re altercatū fuisset, nihil confectū est: illeq; ad Cæsareum comitatū discessit: vbi partim per regium senatū, partim per Romanos apud summū Pont. procuratores, Academiae libertatē non ille clã, quod Fonseca fecerat, sed apertis machinis expugnare conabatur: Erat enim iam antistitū criminantium causa rectoris magistratus vulgo nonnihil inuidiosus. Missi sunt ad eum legati Fernandus Balbafius, &

Fernandus Mataticus, vterq; prudentia & doctrina commēdatus. Hi cūm de rebus Academiae apud eum cōpessent tractare, liceat (inquiunt) p̄sul potentissime, hominibus priuatis, & longē infra tuam fortunā positus, de re propria ex aquo tecum tantisper loqui, donec tu nobis tuam voluntatem, nos tibi contra nostrū propositū & consiliū declaremus. Placuit Taueræ iusta petitio: atq; ita inter eos semotis arbitris actum fuit. Tandē cū sermo produceretur, Tauerā bili cōmota iratus, vir alioqui animi fedati & cauti, quod fortasse iamdiu in animo celabat, ipso dicendi calore (vt fit) effudit. Nihil (inquit) Ximenius, aduersus p̄ticiam Toletanæ sedis dignitatem perniciosius excogitare potuit, quā eo in loco Academiam constituisse. Mirati id verbum legati, non ita (inquiunt) Fonseca sentiebat, à quo 10 instar appensæ ad pectus pretiosæ gemmæ, Academia nostra ostentabatur: idēque passim, & libenter p̄dicabat. Quid ille dixerit aut egerit, parum curo, Tauerā respondit: ego p̄sentes discordias tantummodo cerno. Quod si ē re vestra futurū esse creditis, statim omni studio apud Cæsarem cōtendam, vt vobis sedes quocūq; libuerit mutandi facultas detur. Atq; eo dicto cū fuisset colloquium solutū: legatis domū reuersis, post multas vltro citroq; habitas super ea re disceptationes, Academiam Compl. mutare decreuerunt. Quare rursus ad Taueram redierunt, & vt pollicitis staret petierunt: neq; enim aliam se posse rationē inuenire, ad eas turbas & contentiones euitandas. Cū igitur, quod nunquā existimauerat, cōstantem de cōmigrando Academiae sententiam videret, hoc (inquit) viri optimi, non sine magno strepitu, grauiq; quodā & inuidioso apud oēs rumore fict. Diu est quod hanc rē conamini, atq; ab ipsis ad eō Academiae primordiis, partim insalubris aeris iniuria, partim genio loci, hoc est, indigenarū auersatione, ab huius loci habitatione repellimini. Vos quid nunc tentetis obsecro attendite: nā si id tandē effeceritis, nō propterea Complutū cōcidet, neq; ipse Toletanus antistes aut primatū, aut auctoritatē deteret. Atq; in interius cubiculū se recipiēs, nihil amplius de ea re egit: cēpitq; diem de die ducere, donec illi tædio correpti, pollicitis frustrati in Academiae sunt reuersi. At cū quotidie nouæ causæ acciderēt, quæ p̄sulē alioqui attentū, minimeq; ad ignoscendū nostris animatū, facillē rursus irritarent & accenderent, semper lites paratæ erant: & inter rectorē & antistitis vicariū negotia animis exacerbatis gerebantur. Proinde cū id mirū in modum Tauerā vreret, & palām 30 efferre rursus vereretur, ne eos de trāsmigrando iā dudū sollicitos, eo pacto vt efficerēt cogeret: gratia & fauore, causisq; itē adfabrē cōfictis, apud Romanū pontificē contendit, vt proprio (quod dicūt) motu, sibi in oēs sacerdotes, qui Cōpluti studio-rum causa cōuenissent cognitio cōcederetur, atq; in eos dūtaxat iuuenes qui dice-censis Toletanæ essent. Cū Academia per procuratores suos, qui Romæ erāt, statim rescuisset, grauius vt par erat tulit: & ad sacram (quod aiunt) anchoram cōfugientes, & Pont. Max. eiusq; intimos familiares, & in primis sanctæ Balbinæ Cardinalem Academiae patronū obtestati & deprecati sunt, vt Academiae labanti sue currerent, & ē potentissimi aduersarii manibus afflictae musas, & studia eriperent. 40 Sed cū furdus caneretur, & Academiae negotia in vltimo discrimine essent, Deus (vt aiunt) ē machina, & Ximenii Genius rebus perditis opem tulit. Nondum Roma pontificis tabulis allatis, cū Pintia Isabella Philippici principis vxoris exequiis Tauerā interesset, siue atrarum vestium, quibus pullatus venerat, pondere, siue facum cerearū fumo, homo senex & longis laboribus confectus, in febrim incidit, & paucos post dies extinctus est. Eius morte Academia respirauit, & veluti longa tempestate iactatis, lumen quoddam affulsisse visum est. Erat enim certamē cum magno aduersario, eoq; magis formidoloso, quod probitatis & prudentiæ opinione, in corruptius de rebus iudicare, & quid esset in negotiis faciendū, rectius quā ceteri p̄uidere credebatur. Designatus non multo p̄st ad sedem Toletanam 50 Ioan. Martinus Siliceus fuit, Philippi regis quondā magister: qui cūm animi erga inopes paterni, in annonæ per ea tempora caritate nō parum multa indicia dedisset, comitate præterea quadam peculiari cunctorum animos sibi conciliaisset, incredibili omnium fauore ad eam dignitatem promotus fuit. Academia partim hisce rebus persuasa, partim studiorū ipso-rum coniunctione, nam & philolophus &

& theologus, quæ duæ res in Compl. gymnasio florēt, habebatur, & libello de arithmetica Parisiis edito, se à mathematicis non alienū ostenderat, ingentē quā-dā significationem lætitiæ dedit, supplicationibus ad omnes aras vno die habitis, & certamine literarū iuuentuti publicē proposito. Nā poetica themata, symbola, inscriptiones, multaq; alia exercitamentorū genera ad nouā antistitis designatio-nem celebrandā, non sine præmiis, rectoris edicto in mediū sunt allata. Quāta totius gymnasii atq; oppidi hilaritate, pegmatibus per vias erectis, Complutū ingres-sus fuerit, quoniam publicis typis vulgatū est, non est cur in eo recēsendo immo-remur. Fecit Academiae patres ad omne genus obsequiorū erga nouū antistitem 10 eo tempore propensiores, imminens à Tauerā paulō antē periculū: quod proculdubio aut euitare nequaquā potuissent, aut nō sine maximis & durissimis molestiis eo sese tandē explicassent. Pollicitus omnē Academiae benignitatē Siliceus, Toletū quam primū profectus est: vbi nouis legibus cōdendis occupatus Academiam quietā reliquit, magna nostrorū (vt ego existimo) sc̄litate: quibus si acré homi-nem, & ad id in quod incūbebat vehementem, hostem ex proposito habere cōti-gisset, actū fortē esset de nostra libertate. Nam anno m. d. l. doctore Fontinouilla cū quadā de re inter Antistitis p̄fectos & rectorē litigaretur, & Ludouicus Ca-tena abbas, ceteriq; Iusti & Pastoris doctores sacerdotes, sacrorū interdictū non timuissent, quod rectori subiectos nulla interdicti religione obstringi dixissent, o- 20 mnes ad vnū comprehendere per arcanas literas Compluti p̄fecto iussit. Quod cū ad aliquot ipso-rum permanisset, sibi in tempore consuluerunt: & eo die quo manus & vincula illis iniungere constitutū erat, templo abstinerunt: & alius alibi de-lituit. Tres tantummodo, qui aut ætate senili freti, aut dignitatis & innocentia: suę cōscii, aut potiū quod nihil de manus iniectio-ne rescuissent, securē rebus diuinis peragendis intenti erāt: Ludouicus Catena abbas, Alphonfus Almenara, Bernar-dinus Alphonfus: quos p̄fectus oppidi armatorum hominum manipulo stipa-rus capit, & iumentis impositos, ad Almonacitanam ditionis pontificiæ arcē, quæ Toletū duodecim millibus passuum distat, properē abduci iubet. Interim omnis Academiae iuuetus commota, in maius collegium venit, & cubiculum armorum 30 referati poscunt, vt necessariis telis communiti vindictam sumerent: idque facili negotio fecissent, copia & viribus longē oppidanis præstantiores, ni rectoris im-perio, & patrum Theologorum prudentia, coerciti fuissent. Ponuntur illi in ar-tiffima subterranei carceris custodia, anni tempore rigidissimo, nempe sub Chri-sti Dei natalem. Concitauit apud iratum Antistitem risum Almenara, qui longæ- uior ceteris erat, homo innocentia & vitæ sanctimonia apud omnes commenda-tus, cūm descendere in specum iuberetur: nam vt tabellio adesset postulauit, qui se in illum locum obscurum inuitum descēdere, tabulis obfignatis fidem faceret. Adhibita est omnis custodia, ne quis ex amicis, aut ex familiaribus, ad eorum col-loquium admitteretur. Nemo fuit in vrbe nostra inuentus, qui apud furibundum 40 Antistitem intercedere pro eis auderet. At cūm periculum in mora esset, crebri- que rumores Toletum deferrentur, partim temporis intemperie, partim animo-rum afflictione, tres illos viros in languorem incidisse, sed potissimū Ludouic- cum Catenam, qui animi deliquium patiebatur: non defuit ex illorum discipu- lis Toleti agentibus, qui Siliceum interpellandi munus subierit. Erat tempus ge- niale, & Saturnalitium, quod mutua hilaritate inter omnes celebratur, ac proinde cūm antistes totius vr̄bis salutationibus occupatus conueniri non posset, postri- die Dominici natalis, noctu aditus ad eum patuit. Sed vbi sensit de Compluten- sibus agi, vultum mutat, & illorum crimen multis verbis exaggerat: & ignorant (inquit) miseri isti quo cum litigent? existimant enim ab inferis Fonseca, aut 50 Taueram reuixisse, quorū altero stolidē clemēte, altero timidē prouido pro libidi- ne sua abutebantur? Qui deprecabantur, ne se torrenti opponerent, tantū orare se dicebāt, vt sibi & medico quem Siliceus vellet, vinctos liceret adire: ne homines id ætatis, negligentia perirent: & ipse non tam emēdare voluisse, quā interime- re videri posset. His verbis cōmoueri visus est, & literas ad carceris custodem dat, quib. iubet vt Osoguerē medico, & Aluaro Gomēcio, liceret vinctos Cōplutēses &

vifere. Postea huius medici relatione, & multorum precibus factum est, ut Toletum in mitiore custodiam adducerentur: è qua tamè dimissi non sunt, donec per tertias senatus regii literas, ut id faceret Siliceus est iussus & coactus. Sed cū ex iuris præscripto id per moras quasdā, & dierū interpositiones fieret, ab extremo Decemb. ad Cal. vsq; Maias, nō sine multis impensis & molestiis eorū qui afferuabantur, tēpus est protractū. Post horū in Academiam reditū, accidit ut aliquot adolescentes è nostra Academia, scholasticū eorum amicū, è vinculis in quibus à Complutenfi præfecto tenebatur, eripuerint. Factū id fuit carceris postibus effractis: vnde oēs simul custodiæ fugerunt. Erat tunc Siliceus rebus Tolertanis, quæ multū negotii & odii crearunt, occupatissimus. Quare Complutū conquisitorē regium mittendū curauit, qui ea de re in Academia ciues seuerè animaduerneret. Ob hanc causam, eo anno graue damnū studia passa sunt, scholasticis cōquisitoris metu maturè ad parentes in patriam discedentibus. Tunc antistes intellexit, frustra huiusmodi regios iudices ad eos mitti, qui nihil priuatarū facultatum, præter libros aliquot, & vrceolos, curtamq; aliam supellectilē studiorū gratia possident: qua contempta, facile solū vertunt, nullis focis aut liberis relictis. Quin & populus ipse Complut. oppido vacuo nō mediocrem iacturā fecit. Lōgè diuersa quàm cū aliis præfulibus ratione, Academia cū Siliceo cōtendebat: illi enim Academia principatū curabāt sibi afferere, ut euertērēt: sed Siliceo ad alias res perficiendas Toleti intento, pœnā de scholasticis & Academia patribus quoquo modo sumere, fat erat. Complutenfes verò cū tā pertinaci animi conatu rebus Tolertanis incumbentē viderent, neq; se facile ab iis explicaturū crederēt, & insuper apud regium Senatū aliquorū odiis laborare intelligerēt, noluerūt optimā occasionem prætermittere: sed quod nunquā in animū sub aliis præfulibus olim induxerāt, de duumuiris ad causas cognoscendas, more per Antistites abolito reducendis, qui ex ipsis ciuibus creati solebant, & de hospitii Pontificiæ familiæ denegandis, deq; Ianuariis strenis non dandis, apud regium Senatū contra Siliceū postularunt, & omnia ad vnū obtinuerunt. Qua de causa Siliceus grauius offensus, Compluti cōmoda & auctoritatem, ratione sagaciter excogitata, imminuit. Nā conuocatis ad se vicorū Cōpluto subiectorū ditioribus agricolis, ut ius municipiorū apud regium Senatū consequerentur, effecit, magno Compluti detrimēto, & Pontificiorū etiam iudicū. Nam plures quā quindecim vici è territorio Complutēsi, municipali libertate fruuntur. Hisce difficultatibus occupatus Siliceus, non sine affiduis irarū causis, quæ quotidie in tanta rerū inuidiosarum turba, homini alioqui irritabili, necessariò passim occurrerāt, calculo pariter & vrinæ ardore octogenarium senē atrociter affligētib, fatis concedere coactus fuit. Bartholomæus Miranda Dominicani ordinis sodalis, Siliceo successit, in cuius Pontificatu Academia competitore carēs, quieta pace per hos annos fruitur: nouisq; subinde studiorū profectib. exultat. Hæc sunt Philippe rex catholice, quæ de rebus per Fr. Xim. Cisnerium gestis scribi curauimus, in Hispaniæ, vel potius in totius orbis gratiam. Sub augustissimo verò tuæ maiestatis nomine in publ. prodire voluimus, ut auspiciatius & tutius inter varias orbis nationes versarentur. Simulq; fieret, ut nōnulli magni viri quibus ingentia sunt patrimonialia, ad Ximenii æmulationem excitarētur. Nam ut nouas vrbes condere, & pilis molibusq; in mare iactis, necessarios nauigantibus portus moliri, & magnorum flūminum cursus mutare ne frugibus noceant, aut arua agricolis necessaria occupent, aut quò irrigationi sint aptiora, regū sunt potentissimorum opera: sic ad opulentos præfules, & regulos magnanimos pertinet, Academijs iuuentuti erudiendæ, & ædes sacras virginibus alendis, & hospitia medicis & valetudinariis hominibus recipiendis construere. Quanquā sic noster Ximenius omnes Archiepiscopos & regulos, quotquot illum præcesserunt, aut ad nostram vsq; ætatem floruerunt, operum magnificentia & amplitudine superauit, ut æmuli quoq; si qui fortè tantarum laudum exorientur, longo interuallo sint nostræ Academiae conditorem secuturi.

F I N I S.

IN-

INSCRIPTIONES ALIQVOT TARRACONENSES

ex historia Hispanica Ludouici Pontis Doctoris, &c.

C. CERÆCIO
C. FIL. QVIR.
FVSCO AQVIFL.
EX CONVENT
BRACAR AVG.
OMNIB. H. IN RE
P. SVA FVNC.

GENIO
CONVENT
ASTVRICENSIS.

AVRELIÆ
MASCVLINÆ
EXCLVNIENS.
FLAMINICÆ.

DEVICTORI OMNIUM GEN-
TIVM BARBARVM ET SV-
PER OMNES RETRO PRINCI-
PES PROVIDENTISSIMO
IMPE. CÆS. MARCO
ANTONINO VERO
INCLIT. AVG. P. M. T. POT
P. P. COS. II. PRO
VAL. IVLIANVS. V. P.
P. P. H. TARRAC. NVMI
NI MAIESTATI Q. EIVS
SEMPER DICATISSIMVS.

GENIO COL. I. V. T. TARRAC.
L. MINICIVS APRONIANVS
II. VIR. Q. Q. TESTAMENTO
EX ARG. LIBRIS XV
PONI IVSSIT.

COLONI COLONIÆ CON-
CORDIÆ VLPIÆ TRAI-
NÆ AVGVSTÆ. FRVGIFE-
ER HADRV. METINÆ.

C. CALPVRNIO
P. F. QVIR. FLACCO
FLAM. P. H. C.
CVRATORI TEMPLI
PRÆFEC. MYRORVM
COL TARR. EX. D. D.
CALPVRNIVS FLACCVS
HONOREM ACCEPIT
INPENSAM REMISIT.

H. S.
ETHEIVS. F. L. COELI
VS BELLICVS

P. H. C.
FAVSTINÆ
IMP.
ANTONINI
FILIÆ

FAVSTINÆ
AVG.
IMP. M. AVREL.
ANTONINI
AVG.
D. D.

D. M.
FACTIONIS VENETÆ FVS-
CO SACRAVIMVS ARAM DE
NOSTRO CERTI STUDIO ET
BENE AMANTES VT SCI-
RENT CUNCTI MONIMEN-
TVM ET PIGNVS AMORIS IN-
TEGRA FAMA TIBI LAVDEM
CVRSVS MERVISTI CERTAS-
TI MVLTIS NVLLVM PAV-
PER TIMVISTI INVIDIAM PAS-
SVS SEMPER FORTIS TACVIS-
TI, PVLCHRE VIXISTI, FACTO
MORTALIS OBISTI, QVISQVIS
HOMO ES QVÆ RES TALEM
SVBCISTE VIATOR, PERLEGE
SI MEMOR ES, SI NOSTI QVIS
FVERIT VIR FORTVNAM. ME-
TVANT OMNES DICES TA-
MEN VNVM, FVSCVS HABET
TITVLOS MORTIS HABET TV-
MVLVM, CONTEGIT
OSSA LAPIS, BENE HA-
BET FORTVNA VALE-
BIS, FVNDIMVS INSON-
TI LACRIMAS NVNC

Z ij

VINA, PREGAMVR VT
IACEAS PLACIDE NE-
MO TVI SIMILIS.

D. M.
EVTYCHETI
AVRIG, ANN. XXII
FL, RVFINVS ET
SEMPER DIOFANS SERVO B.M.F.
HOCRVDIS AVRIGÆ REQVI
ESCUNT OSSA SEPVLCRO
NEC TAMENIGNARI FLEC
TERE LORA MANV
IAMQVI QVADRIIVGOS AV
DEREMSCANDERE CVRRVS
ET TAMEN ABIIVGIS NON
REMOVERER EQVIS
INVIDERE MEIS ANNIS CRV-
DELIA FATA
FATA QVIBVS NEQVEAS
OPPOSVISSE MANVS
NEC MIHI CONCESSA EST MO
RITVRO GLORIA CIRCI
DONARET LA CHRIMAS NE
PIA TVRBA MIHI
VSSERE ARDENTES INTVS
MEA VISCERA MORBI
VINCERE QVOS MEDICÆ
NON POTVERE MANVS
SPARGE PRECOR FLORES SV-
PRA MEA BVSTA VIATOR
FAVISTI VIVO FORSITAN
IPSE MIHI.

L. NVMISIO
L. FIL. PAL.
MONTANO
ÆD. Q. II. VIR.
ITEM. Q. Q. II. VIR.
EQVO. PVBL. DONATO
AB IMP. HADRIANO AVG.
IVDICI DECVR. I
NVMISIA
VICTORIANA SOROR
TESTAMENTO IN FORO
PONI IVSSIT.

L. SEPTIMIO
MANNO
C. V.
CONCILIVM
P. H. C.

C. VIRIO
FRONTONI

FLAMI
EX LVCENS
EX DECRETO
CONCILII
P. H. C.

SEMPRONIAE
FVSCI. F. PLACIDÆ
POMPAELONENSI
FLAMINCAE CON-
SENSV CONCILII
P. H. C.
C. CORNELIVS VALENS
MARITVS
S. P. F.

CANNIO L. F.
QVIR. FLAVO
IVLIO BRIGENS
EX GENTE CANTA
BRORVM
PROVINCIA HISP-
ANIA CITERIOR
OB CAVAS VTILITA
TESQVE PVBLICAS
FIDELITER ET CON-
STANTER DEFENSAS.

M. FABIO M. F.
GAL. PAVLINO
EQVO PVBLICO
DONATO AB
IMPE. CÆS. HADRIA
NO AVG.
ILERDENSES
CIVI OPTIMO OB
PLVRIMAS LIBERALI
TA IN REM PVBLIC
SVAM LOCO A PRO-
VINCIA.
IMPERATO POSVERVNT
D. D.

Q. CÆCILIO GAL. RVFINO
Q. CÆCILI VALERIANI. F.
SAGVNTINO OB LEGATIO
NEM QVA GRATVITA A-
PVT MAXIMVM PRINC. HA-
DRIANVM AVG. ROMÆ
FVNCTVS EST
P. H. C.

L. NVMISIO
L. F. PAL
MONTANO
TARRAC

OMNIB.

OMNIB. HONO
IN REP. SVA FVNCTO
FLAMINI. P. H. C.
P. H. C.

L. AELIO.
IMP.
ANTONINI
FILIO.

FORTISSIMO ET CLEMEN-
TISSIMO.
IMP. CAE. M. AVG. CARO
INVICTO. AVG. P. M. T. COS.
II. P. P. PROCONSVLI.
M. AVR. VALENTINIANVS
V. C. P. P. HISP. CIT. LEG. AVG.
PR. PR. DNM, EIVS.

VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI IVVENTVTIS
M. AVR. CARINO NOBIL
CAES. CONS. PROCOS
M. AVR. VALENTINIANVS
V. C. PRAE. PROVINC. HISP.
CITER. LEG. AVG. DEV
OTVS NVM. MAIESTATI
QVE EIVS.

VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI IVV NTVT
M. AVR. CARINO NOBILIS
SIMO CAESARI
COS. PROCOS M. AVR
VALENTINIANVS. V. C.
PRAESES PROV. HISP. CIT.
LEG. AVGG. PR. PR. DN. EIVS.

M. TVLLIO CICERONI
M. F
ROMANAE FACVND.
PRINCIPI.

QVAESTAEDI. COS. PROCOS
IMPERATORI. P. P.
ARPINATES

M. T. CICERONEM. OB EIVS
EXIMIAM VIRTVTEM ET
EGREGIAS ANIMI SVI DO
TES. PER VNIVERSVM OR
BEM TERRARVM. SALVVM
ESSE IVBEO

C. I. CAESAR.

IMP. CONSTANTINVS IVLIANO.
V. C. VEL DIC IVLIO VERO PRAE-
SIDI TARRACONENSI.

DEVICTORI OMNI
VM GENTIVM BAR-
BARVM ET SVPER OM-
NES RETRO PRIN-
CIPES PROVIDENTIS
SIMO. IMP. CAES. MAR
CO ANTONINO VE-
RO INCLITO AVG.
P. M. T. POT. P. P. COS. II.
PROCOS VALERIVS IV-
LIANVS. V. P. P. P. H.
TARRAC. NVMINI
MAIESTATI. Q. EIVS
SEMP. DICATISSIMVS.

PIISSIMO. FORTISSIMO. FELI
CISSIMO. DN. CONSTANTI
NO MAXIMO VICTORI
SEMPER AVGVSTO.
BADIVS MACRINVS. V. P. P. P.
H. TARR. NVMINI MAGES-
TATI. QVE EIVS SEMPER
DEVOTISSIMVS.

MARTI CAMPESTRIS. SAC
PRO. SAL.
IMP. M. AVR. COMMOD
AVG. ET EQVIT. SING.
T. AVREL. DECIMVS
LEG. VII. G. FEL.
PRAE. P. SIMVL. ET
CAMP. DEDIC. K. MART.
MAMERT. ET RVFO CONS.

ISIDI, AVG
SACRVM
IN HONOREM
ET MEMORIAM
IVLIAE SABINAE
CLOD. OSIANA
MATER.

TVTELAE
TARRAC.

HIC REQVIESCIT VIR SANC
TISSIMVS CIPRIANVS PRIMAE
SEDIS TARRACONENSIS CI-
VITATIS EPISCOPVS DEPO-
SITVS EST IN HVNC TVMV-
LVM OCTAVO KLAS MAIAS
IN PACE.

ORN+TE EAQVE L+O+VNS+
VER+BVS+I+S+NEGL+VI+VA+
FL+BVS+SIBI PERPETVO RE-
MANET+

F I N I S.

INDEX LOCUPLETISSIMVS RERVM

OMNIVM, QVÆ IN HOC VOLV- mine continentur.



Academia multa conduntur Ximenij tempore pag. 4, vers. 9. Academia Complutensis decies centes nummum perpetuo percipiendorum e proventibus regis Ximenius comparat 50, 7. Academia gubernanda cur Ximenius collegij diui Ildephonsi rectorem presecerit 94, 28. Academia Complutensis initia & quasi incubula 95, 20 & 53. Academia patroni 102, 10. Acanixus nobilis Maurus Oranum prodidisse fertur 129, 11. Acis, Guadix 148, 18. Adriatus Traicensis Louanij decanus, a Carolo legatus in Hispaniam venit 164, 14. Adrianus, Ximenio deprecante, Dertmensis Episcopus creatur 210, 13. Adrianus Cardinalis creatur 226, 9. Aegidius Albornozius Archiepiscopus Toletanus 149, 21. Aethiopes serui ab Hispanis ad nauas insulas transportantur 185, 13. Aethiopes ad Indos traducti in Hispanos conspirant 185, 29. Arabes, & eorum mores 128, 28. Albaizinus Granatensis 35, 17. Albi reguli maior nati filius in Lotophagorum insula obruncatur 140, 17. Albani ducis cum Ximenio simulatae 226, 32. Albornozius ex urbe Ostia, quod navi appulerat, vincit in Hispaniam mittitur 195, 55. Albornozius e vinculis emittitur 20, 19. Alfaqinus Mauris idem est quod nobis e Archiepiscopus 124, 9. Algerij rex sese fidei Ferdinandi tradidit 153, 53. Algerium nonnulli antiquam Circiam, sed falso, esse credunt 200, 37. Algerium sub Hispanorum potestate erat tempore Ximenij, ibid. Algerium exercitus mittitur aduersus Barbarosam 201, 21. Almeriam antiquam Abderam esse, sunt qui asserant 109, 47. Almozarifus apud Mauros idem est cum publico quaestore 133, 2

Alphonsus Mendozius doctor theologus, Cluniensis Comitit frater 157, 1. Alphonsus Mendozius rector, Ximenij sepulchrum, ferreis cancellis affabre factis, cingendum curauit 243, 50. Alphonsus VI. Hispania rex, Bernardum natione Gallum, Toletanum antistitem creauit 11, 3. Alphonsus Cardenas, in ludis nuptialibus Ioannis principis equo delapsus, moritur 25, 29. Alphonsi Aguilarij mors 39, 20. Alphonsus Carrillus viginti sex sacerdotibus in templo Iusti & Paustoris instituit, & Franciscanorum cenobium adificauit 105, 32. Alphonsi Mendozij Cluniensis, in ludis militaribus praestantia 159, 30. Alphonsi Maurico Paxaugustano, Cordubensis ecclesia traditur, Ximenio fauente 210, 23. Alphonsus Gasius Matamorusrhetor clarissimus 100, 14. Alphonsus Tostatus Matricalij natus est 165, 27. Alphonsina 103, 1. Amphionis vox 57, 28. Andreas Cuesta 249, 32. Antequeram nonnulli Singiliam esse putant 190, 37. Antonius Augustinus regnorum Aragoniae vicecancellarius 163, 52. Antonius Moralius, Ambrosij Moraliij pater 92, 47. Antonius Nebrissenfis ad Ximenium, relicto Salmanticensi gymnasio, reuertitur 98, 26. Antonius Nebrissenfis in cathedra petitione Salmanticae repulsam accepit 98, 29. Antonij Nebrissenfis manibus quorundam academia Complutensis iuxta olim funebria faciebat 99, 17. Aquarum calidarum situs & varia nomina 70, 24. Aram sacrosanctae eucharistiae ministerio dicatam, & in domino sepulchro repertam, Ximenio Hierosolymitanus Guardianus dono dat 54, 29. Archiepiscoporum Toletanorum cum Academia Complutensi pacta conuenia, in designatione canonicorum & portionariorum 106, 4.

Armatophus paricum Adriano & Laxao potestate in Hispaniam mittitur 213, 32. Artium liberalium collegia 100, 19. Ascanius Sfortia Cardinalis Laurentio Vacca fauet 9, 22. Auellaneda Sicelus Bernardini sapsicans, Ximenium inuisit 18, 42. Auellaneda ob egregiam fidelitatem Ximenio carus semper extitit 19, 17. Barbarossa Algerium occupat 200, 40. Barbarossa Hispanorum copias a portu Algerium fundit 201, 47. Baptistanam ecclesiam Ximenius repetendam censet 141, 24. Baptistana urbis expugnatio 147, 42. Baptistane ecclesia ad Toletanam diocesim reductio 148, 5. Baptistana ecclesia quo tempore in potestatem Acitanorum episcoporum venerit 148, 20. Baptistana ecclesia Acitano episcoporum iuribus commissa est 149, 55. Belgarum principes Philippo grati & intimi 69, 43. Benedicti Cisterij, Ioannis Ximenij filij, educatio & mores 29, 45 & 55. Bernardini Ximenij fratris ingenium & mores 17, 32. Bernardinus comprehenditur ob petulantiam in fratrem 18, 14. Bernardinus Ximenium strangulare nititur 18, 32. Bernardinus Turrigios vincit abducitur 18, 52. Bernardini statura & facies 19, 14. Bernardinus Carauaius conuersionis in Iulij II. Pont. max. author precipuus 151, 31. Bernardinus Carauaius Seguntino pontificatu deijcitur 151, 42. Bernardinus Carauaius in Seruntinum episcopatum restituitur 207, 28. Bibliorum editio a Ximenio inchoatur 42, 45. Bibliorum emendate excudendorum cura quibus commissa 43, 5. Biblia quantum impensis & laboribus excusa 43, 47. Bozeguilis Ximenio venentis pro-priatum fuisse, fama constans est.

INDEX IN GOME CIVM.

est 231, 45. Briocae oppidi situs, & qua ratione ad Toletanos antistites deuenit 52, 21. Bugiam, quam nonnulli Iuliam Casaream appellant, Nauarrus capit 137, 51. Butragiorum montes 162, 20. Cadin Afrorum lingua idem est quod pontifex 111, 31. Cairus Memphis olim dicebatur 60, 8. Cancellarius academia Complutensis 94, 53. Canonici Toletani de Ximenij voluntate admoniti, secreto Albornozius Romam mittunt 19, 47. Canonici dant operam ne adicula regia sacello maximo adiungatur 23, 53. Canonici Toletani ad reginam legatos cum querelis mittunt 55, 46. Canonici & portiones, pro titulum antiquitate, in academia doctores & magistros, Ximenius distribuere contendit 105, 4 & 37. Canoniorum Complutensium & portionariorum redditus 106, 12. Canonici Complutensis rectori obtemperant 106, 34. Capella maxima Toletani templi laxatur 24, 12. Capellani maximi diui Ildephonsi in parochia in collegas & collegij habitatores tenent 91, 16. Carolus Quintus Rom. Imperator & Hispaniarum rex, canonicorum Complutensium authoritatem elogio honestissimo amplificauit 106, 21. Carolus Gandani natus 169, 31. Carolo intimi & magis grati viri 169, 40. Carolus, Ferdinando suo suo, apud Belgas iuxta funebria, splendidissimo & regio apparatu, facit 170, 35. Carolus vna matre rex appellatus est 171, 16. Caroli in Hispania aduentus 237, 21. Carolus ad Ximenium literas dat quibus eum ad colloquium vocat, ut tandem Ximenius quieti suae consulens, in Archiepiscopatum Toletanum se recipiat 241, 41. Cartagena medicina professor 92, 52. Catharina Ioanna regina, & Philippi filia Torquemate nascitur 83, 38. Cazoria antiqua Catastauon est 65, 29. Cazoria quot annos in Toletanorum

potestati potestate fuerit 65, 33. Cercinna insula 139, 11. Cerui quo tempore in veneri promores sint 154, 35. Chebrius omnium procerum Carolo gratissimus 169, 48. Christi in cruce pendens signum, quod Burgis asseruatur 70, 40. Christiana religio a quo tempore in Hispania florere coepit 158, 4. Christophorus Columbus Genuensis incogniti orbis repertor 38, 22 & 184, 3. Cisterii oppidum 1, 1. Classis Ximenij aduersus Oranum comparata, e quot nauibus constitata fuerit 120, 54. Classis Ximenij Oranum appellatur 121, 16. Claustralium censura & correctio Ximenio & alijs duobus episcopis committitur 27, 19. Clemens Scoti interpres apud Complutenses 92, 26. Coadiutor a Romano Pont. Ioanni Cabrera Toletano archidiacono datur 153, 4. Cenobium tituli sancti Ioannis penitentis Ximenius adificat 57, 51. Cenobium eodem titulo Toleti extruitur 58, 16. Cenobium istud Franciscus Ruizius auxit & locupletauit 8, 30. Canobia duo Ximenius Orani condidit 130, 14. Cenobium Turrilacuna a Ximenio extruitur 145, 51. Cenobium hoc quam magnus impensis fuerit adificatum 160, 7. Canobia Ioannis penitentis titulo, alterum Compluti, Toleti alterum adificari cepta, perficiuntur 160, 36. Collegij diui Ildephonsi quo tempore iacta sint fundamenta 32, 27. Collegium Complutense quo tempore proprii habitatores primum ingressi fuerint 90, 54. Collegiarum nomina, qui primi diui Ildephonsi collegium incolere coeperunt 91, 2. Collegiarum diui Ildephonsi & capellanorum numerus 91, 9. Collegiarum diui Ildephonsi vestitus & insignia 91, 10. Collegij diui Ildephonsi anteriores parietes, quis ex marmore extruendos curauerit 97, 22. Collegia minor a Ximenio instituntur 99, 29. Collegium theologorum 101, 2. Collegio diui Ildephonsi admittuntur tantum theologi 101, 24. Collegium sodalium Franciscanorum, ibid. 26. Collegas minores cooptandi penos quosius sit 102, 6. Collega diui Ildephonsi cum suo rectora priuata singulis semel mensibus senatum cogunt 106, 28. Collega Seguntini, de suis sedibus Complutum transferendis agunt 106, 49. Commendatarij unde dicantur 184, 42. Complutensem ecclesiam quis collegiatam fecerit 105, 16. Complutensibus data est veltigalium immunitas Ximenij opera 51, 49. Consiliorum regum molestia 51, 13. Consilarij rectori a Ximenio dati 94, 35. Conuentualium & claustralium libertas & licentia Ximenij tempore 8, 44. Corona olim Brigantini portus dicebatur 66, 4. Corona etymologia 66, 11. Cregniensis comitis filius, comitatus heres, Ximenij nepem Ioannam Cisteriam uxore ducit 156, 51. Crux in aere se ostendit Alphonso VIII. Hispanie regi 66, 31. Darrus fluminis unde sic dicitur 41, 14. Decumam fructuum sacrorum Leo X. Pont. max. a sacerdotibus exigebat 218, 23. Dicitur egregium cuiusdam viri, quo molestia consiliorum regum declarantur 51, 8. Didacus Fernandez Corduba a rege accersitur 111, 39. Didacus a Mauris superatur 112, 24. Diplomata Roma allata, ad supremum regis tribunal ex quo adduci coeperunt 162, 4. Diplomata a Carolo Ximenius imperat, ut omnia ad suum arbitrium componat 183, 2. Ecclesia Toletana Ximenio de amplissima dignitate gratularum mittit 19, 20. Ecclesiam Complutensem quis collegiatam fecerit 105, 16. Emanuellum Ximenius a Philippo sciungere curabat 75, 53. Emanuel Portugalliae regis ad Ximenium litera 89, 4. Esquinas Abulensis canonicus literas a Pont. max. impetrat, ut licet horis sacris non adesset, emolumenta perciperet 161, 54. Eugenij in Toletanam ecclesiam translatio 244, 2. Euphemia corpus in vico quodam asseruatum, Ximenius inuisit 68, 14.

F Alfos nostros, ob solis cursum a tempore Iulij Caesaris nomihilvariantem, in ordinem redigore nititur Pont. Max. 161, 29
 Fernandus rex, ad comprimendos regis Gallorum motus, in Catalonia se confert 20, 54
 Ferdinandus Talabriceus, Archiepiscopus Granatensis, cum Ximeno in Maurorum conuersionem incumbit 33, 9
 Fernandus Cortesius Mexicani imperij expugnator 38, 12
 Fernandus princeps, Joanne & Philippifilijs Complutinasit 51, 45
 Fernandus rex, tabulis a Belgis ad se missis, Castella gubernationi praeficitur 65, 11
 Ferdinandus III. Hispanie regis virtus bellica, & pietas admirabilis 66, 45
 Ferdinandum regem Hispani proceres in odium generi adducunt 67, 23
 Ferdinandus & Philippus Ximenij operam colloquium veniunt 71, 12
 Ferdinandus regis in Mauricij Neriarensem & Garciam Lassum summam 71, 53
 Fernandus iterum cum genere colloquitur 74, 7
 Fernandus per literas Ximenij de Philippimorte certior fit 79, 10
 Ferdinandus Philippifilius patremortuopuntia transferitur 79, 34
 Fernandus rex Ximeno rescibit 81, 46
 Fernandus rex post Philippimortem ad Castellam gubernandamredit 86, 8
 Fernandus Balbafius sextus rector 96, 39
 Fernandus Balbafius primum inter suos competitores honoris gradum adeptus est 104, 13
 Fernandus rex Complutensem academiainiuit 97, 13
 Fernandi regis in Complutensem Rectorem humanitas 97, 38
 Fernando Vera, qui nuntius de Oranica direptione ad regem mittebatur, litera furtim eripiuntur 136, 24
 Ferdinandus ad Aragonios conueniens profecturus, Ximenium in suum locum sufficit 146, 37
 Ferdinandus rex validam & numerosam classem Gadibus apparat 150, 15
 Fernandus rex, Ximeno Hispaniam venientem, obuiam octo millia passuum produit 151, 20

Ferdinandus princeps, Ferdinandi regis nepos, Ximenium honoris gratia, domum deducere contendit 154, 15
 Ferdinandi regis ad Ximenium littera, quibus Gaditana classis aparatum in Gallum transferri, excusat 154, 50
 Ferdinandus rex, Ximeno ad regium comitatum venientem, semper obuiam prodibat extra oppidi monia 163, 47
 Fernandi regis mors 166, 46
 Ferdinandus rex mortis proximis Ximenium gubernatorem declarat 166, 36
 Ferdinandum principem Alamanum admonent, ut iure tabularum Burgensium, auctoritatem regiam usurpet 167, 13
 Ferdinandus principem, Ximenius ut Guadalupum peruenit, ad se adduci iubet 168, 10
 Ferdinandus Villalua Placentinus Navarrae fundit 186, 13
 Fernandus princeps ad animum Germaniam amandatur 239, 1
 Ferrera fratres, Talabriceus 45, 24
 Fœdera inter Ferdinandum & Galorum regem certis conditionibus sanciantur 64, 52
 Fons prope aquas calidas mirabilis 70, 26
 Fontarabia piscum Oleasum fuisse creditur 41, 49
 Franciscani fratres de Ximeno apud generalem ministrum congeruntur 16, 6
 Franciscus Ferrera, Complutensis ecclesie abbas, cum pontificis litteris ad academiæ erectionem necessarijs, ad Ximenium redit 41, 38
 Franciscus Ruizius Ximenij sodalis, episcopus creatur 147, 5
 Franciscus Ruizius Ximenij sodalis, Toleti in canobio diui Ioannis penitentis sepultus est 160, 45
 Franciscus Ruizius ilices in Complutensi tractu disseminari fecit, ibid. 54
 Frumenti magnam copiam, in publicis horreis afferendam, Ximenius Toletanus, Complutensibus, Turritacunenibus, & Cisnerijs in publicos usus largitus est 157, 17
G Allorum regis Francisci egregium circa expeditionem Hierosolymitanam dictum 90, 14
 Garcias a Toledo, Albaniregulis filius obruncatur 140, 17
 Gehuenses ex Hispania inuentur discedere 202, 44

Genensibus in Hispania esse permissitur 205, 16
 Germana regina Fernando in matrimonium collocatur 64, 52
 Germana rebus mortuo Ferdinando Ximeno proficit 168, 12
 Gironij Frematū comitis cum Ximeno similitates 219, 29
 Gonfaluus Mendozius Cardinalis, iure propinquitatis Ximeno fauissè creditur 2, 18
 Gonfaluus Mendozij Episcopi Seguntini, de Ximeno iudicium & praesagium 5, 12
 Gonfaluus Mendozius ex Episcopo Seguntino Hispalensis Archiepiscopus, & deinde Toletanus efficitur 6, 16
 Gonfaluus Mendozius apud Isabelam reginam miris laudibus Ximenium effert 64, 43
 Gonfaluus II. Archiepiscopus Toletanus scholam Compluti condidit 32, 38
 Gonfaluus Ferdinandus, cognomenio magnus dux, familiarissimè Ximeno usus est 34, 32
 Gonfaluus Agidius Burgenfis, theologica schola a Ximeno praeficitur 92, 8
 Gothorum imperium quot annos in Hispania vigerit 46, 35
 Gothicarum literarum characteres 47, 38
 Graduum tituli, quos licentias appellunt, quo pacto tribuantur 102, 36
 Grammaticorum collegia 99, 37
 Graecae linguae professores Ximenij tempore 93, 4
 Graeci professoribus, ex Ximenij legibus, quibus auditorum numerus satis est 93, 10
 Granate urbis descriptio, & unde sic dicitur 39, 37
 Gregorius Castellus clarus concionator 30, 20
 Guadix Acis dicebatur 148, 18
 Gutierij Cardene obitus 152, 7
 Hebraeus mirabilis 112, 4
H ebraea lingua professores 93, 18
 Helionora in ipso aetate flore obiit 29, 52
 Hieronymus Madritus, & Petrus Zalamea, sodalitates conceptionis Deiparae titulo Toleti instituerunt 48, 11
 Hierosolymitanam expeditionem Christianis regibus Ximenius suadet 88, 46
 Hispani proceres Fernando regi insens, cum a Castella gubernaculis deicere conabantur 61, 18
 Hispaniae urbes legatos ad Ximenium &

I nium & Senatuum regium cum querelis mittunt, & facultatem in aliquem locum conveniendum petunt 215, 40
 Horrea publica Ximenius instituit 157, 10
 Iacobi Hispaniarum propugnatoris die, quotannis è sacello diui Iudephosi ad diui Iacobi ad eum solenni popa proceditur 91, 36
 Iudephosi corpus, quod Zamore aservatur, Ximenius inuisere constituit 62, 2
 Iudephos Ximenius monialium cenobium condidit 141, 33
 Impetus in bello Oranico factus rex Ximeno persolvere non vult 141, 48
 Infantatus dux vicarii Complutensis fiscalem sustibus male multat 220, 35
 Infantatus dux, Ximenius & Velasco ad fontem Carralium conueniunt 221, 14
 Infantatus dux contumeliosam legationem ad Ximenium mittit 220, 49
 Infantula lactens matris interempta verberibus, adhaerere visa est in expugnatione Oranica 125, 48
 Inquisitionis tribunal quo tempore apud nos institutum fuerit 87, 46
 Joannes Ximenius tres ex Helionora liberos procreat 29, 40
 Joannes Vergara unus ex correctoribus bibliorum Complut. 43, 33
 Joanna Philippi uxor in Belgas transfertur 53, 30
 Joanna cum Philippo iurgia 53, 34
 Joanne regina deirationes 83, 5
 193, 46, 194, 1
 Joanna regina, patri ad regnum Castellae gubernationem accersito, obuiam procedit 86, 23
 Joanna regina post mariti mortem nocturnè faciebat ibid. 26
 Joanna Cisneria, Ioannis Ximenij filia, Petro Gonfaluio ducis Infantatus ex fratre nepotè, collocatur 146, 14
 Joanna Cisneria nuptia cum Petro Gonfaluio irrita sunt 155, 52
 Joana Cisneria, post irritas nuptias cum Petro Gonfaluio, Alphonso Mendozio Cluniensis comitis filio heredi nubit 156, 33
 Ioannes Velasco, Bernardini comestabilis notibus, primum elegantis & sciticultus in ludis militaribus tulit 159, 35
 Ioannes Rius Toletanus pirata insignis 202, 49
 Joannes Medina 249, 11

Isabella regina priores partes tenebat in administratione regni 6, 19
 Isabella regina Mendozio Cardinali mandat, ut virum aliquem spectata probitatis quarat, qui sibi ab arcanis confessionibus, sit ibid. 35
 Isabella regina mirifice Ximenium laudat ibid. 52
 Isabella catholico regum filia, & Emanuelis Portugalliae regis uxor, ex dolore partus Casaranguis moritur 31, 34
 Isabella regina graui ulcere laborare cepit 53, 54
 Isabelle regina mors 59, 26
 Isabella cadauer qui deserebant ob imbrium multitudinem, id coacti sunt per aliquot dies Toleti deponere 60, 5
 Iudaei Hispani, ad fidem conuersi, a Carolo contendunt, ut euerentur testimonia, cum ob violatam religionem ipsi damnarentur 206, 42
 Julianus Pomerius Archiepiscopus Toletanus, inter diuos relatus, 25, 39
 Iulius II. Pont. max. è pontificatu desicere, aliquot Cardinales adiunguntur, Gallorum regem faventem 151, 23
 Iuris pontificij professores 93, 40
 Iuriscivilis academia Complutensis locus non est ibid. 39
 Iusti & Pastoris templum a Ximeno in meliorem formam extruitur 105, 16
 Iusti & Pastoris templum, Ximeno petente, academia a Pontif. summo conceditur ibid. 37
L apis pluuiialis miranda magnitudinis 152, 15
 Laurentius Vacca Ximeno obstitit, ne coenuales ad prisca vitae normam reuocet 9, 1
 Laurentius Suarius Clunie domitium tenet 156, 53
 Laurentij Galindi Carvajalij, de Carolo regis nomine appellando, oratio 171, 37
 Laxans, tertius ad rempub. Hispaniam moderandam a Carolo mittitur 212, 19
 Lazarus Nosocomium, quod extra muros Hispalis est, Ximenius reditus auxit 39, 1
 Legatus post obitum Isabelle è Belgis in Hispaniam veniunt 62, 48
 Legatos Belgarum, de rege Ferdinando in Aragoniam detrudendos agentes, Ximenius oratione sua perterrefacit 64, 34
 Libri omnes quibus Maurorum superstitio coinebatur, a Ximeno comburi iubentur 35, 1
 Libros religionis nostrae vernaculis linguis circūferri, nefas esse 37, 51
 Libri sacra doctrina referti, quas Ximenius excudi iussit 44, 53
 Libri musici diuinis cantibus celebrandis necessarii, in membranis a Ximeno excudi iubentur 45, 9
 Libri de agricultura Ximenij dicti typis mandantur ibid. 18
 Licetia & graduum designationes academiae Complutensis 103, 41
 Licentia theologica celebrata praesente Ximeno 103, 52
 Licentiarum & graduum designationes abrogandas esse, Ximenius censuit 104, 23
 Ludi militares (quos vulgo lustras appellant) ad exhibendum regem agratum splendide apparatur 159, 24
 Lupus (conchillus, Ferrerae Aragonii iudicio, regi Philippo proditur 63, 31
M alacitani motus 189, 47
 Malacitani motus sedatur 190, 39
 Manus propriae deosculari, Maurorum mos est 34, 11
 Marzilla fortissimum Navarrae propugnaculum, quo passio illum manserit 186, 51
 Matriculium ut caueret Ferdinando regis praeditum fuerat 165, 21
 Mauros Granatenfes qua ratione Ximenius ad Christi fidem reducerit 33, 17
 Maurorum Granatensium conuersio quo tempore coeperit ibid. 32
 Mauri Granatenfes tumultuosè Ximeni domum adorantur 35, 39
 Mauri Alpuzarreses a Catholicis regibus deficiunt 39, 4
 Maurorum aliquot principes Ferdinandi potentiam formidantes, eius se fidei committunt 153, 20 & 38
 Medicis Complutensibus, quo patetograduum insignia tribus soleant 103, 48
 Mendozium Cardinalè, graui laborante morbo, reges inuisunt 9, 39
 Mendozius regibus suadet, ut Ximenium in Toletanum Archiepiscopum eligant 9, 50
 Mendozii Cardinalis, & Archiepiscopi Toletani obitus 10, 33
 Mendozia Ximenij lecticarij luctuosa mors 152, 35
 Meninx insula Lotophagorum, ab Europio Cirba appellata 140, 39
 Mercalacibir, id est, portus ma-

INDEX IN III. TOM.

gnus 108,22
Merfalcabir adorantur Hispani milites 109,47
Merfalcabirani Mauri sese Hispanis dedunt 110,27
Michael regum catholicorum nepos, Granate obiit 32,16
Michael Pardu, Burgens 92,47
Aditum Hispanorum, qui ad expugnandam Oranum conscripti sunt, numerus 114,5 & 121,2
Adites Ximenii tumultuantur, ob non numeratam sibi pecuniam 119,31 & 120,2
Militares copias, multis propositis immunitatibus, Ximenius per omnes Hispania civitates conscripsit, quasi vocarentur, pre se essent 179,38
Minister generalis Ximenium apud regnam grauter criminatur 16,6
Mirobriga, ab Hispanis, Ciudad Rodrigo 8,2
Molmami Ptolemai Oluam nonnulli esse dicunt 67,36
Monachi cuiusdam Ximenii comitis mirandum de ipso Ximenio vaticinium, dum simul iter facerent 5,44
Monachorum correctioni potissimum intendebat Ximenius 25,52
Monachis claustralibus cur nobiliferaebant ibid.
Monachorum correctio intermititur, iubente Pontif. max. 26,30
Monachi aliquot Hieronymiani ad res Indicas componendas mittuntur a Ximenio 184,20
Monumentum marmoreum a rustico Talabrica repertum 157,50
Mos antiquus excipiendi Toletanos pontifices, in suo primo in urbem ingressu 22,8
Mota Pax angustanus Episcopus creatur Ximenii opera 210,23
Mozarabum sacra, qua ratione a Ximenio renouari ceperunt 45,38.46,24
Mozarabum sacra a quo fuerint instituta 46,48
Mozarabum litorum penuria 59,4
Mozarabum libros Paulus III. Pont. max. missis Toletum legatis, ab ecclesia Toletana petiuit ib.7
Naiarensis dux Nauarre gubernationi preficitur 188,29
Nauarro summo imperatore designato, Ximenius in Hispaniam reuertitur 130,54
Nauarri nomen Mauris formidabile 138,37
Nauarri mors 140,43
Nauarrus, quibus conditionibus Gallorum partis sequutus fuerit 204,33
Nauarre rex schismatis Pisanis, et belli aduersus Pontif. suscepti, vna cum Gallo fautor 157,7
Nauarre rex quibus conditionibus fœdus cum Gallo pepigerit 158,17
Nauarre rex, Ximenio rerum moderatore, Nauarram recipere conatur 185,47
Nauarre arces, & nonnullorum oppidorum mari, Ximenio iubente diruantur 186,57
Nauarre supremus Senatus, pari Senatorum numero ex Agra montensium & Diamontensium familia, more maiorum consistabat 189,16
Nuptia principis Ioannis, cui Margarita, Maximiliani filia, Burgis celebrantur 211,24
Oratio Ximenij ad suos canonicos 22,37
Oranica expeditio 108,10
Orani descriptio 108,53
Oranum varijs nominibus a recentioribus appellatur 109,18
Oranica expeditionis dux maximus, Didacus Fernandus deligitur 109,41
Oranicum bellum, maleuolorum quorundam vocibus persuasus rex Ferdinandus protrahere incipit 115,52
Oranum inuadunt nostri milites 123,45
Oranum capitur 125,2
Oranica prede estimatio 126,24
Oranum prodicione captam fuisse, quidam asserunt 128,47
Oranum Ferdinandus rex ditioni regie vindicare studet 141,35
Oranensis Episcopus litem Ximenio intendit 143,12
Oranicam ecclesiam, collegiate titulo Toletane adiungendam, inter Ximenium & regem conuenit 144,33
Orense oppidum, aque calide, dicebatur 67,36
Oropesam regium Senatorem, in locum Mendozii Archiepiscopi regina sufficere statuit 11,48
Oropesa quas ob res Archiepiscopus factus non fuit ibid. 55
Ostenta & signa, qua Oranicam expeditionem precesserunt 126,33.127,6
Paranympsi Complutensis munus 103,18
Pasquins & Marbodij statuas, in Tiberim projicere voluit Adrianus factus Pontif. Max. 218,1
Pericles singulis annis classem apparabat 202,15
Petri Martyris de Ximenio indicium 65,4
Petrus Martyr literis Ascanii sollicitatur, ut Vacca faveat 9,22
Petrus Corduba a Mauris contribus peditum milibus in Africa speratus et extinctus est 85,44
Petrus Lerma Burgensis, ethica Aristotela Compluti interpretari cepit 90,48
Petrus Campus, primus rector Complutensis 94,48
Petrus Lerma, primus Cancellarius Complutensis 95,4
Petrus Nauarrus, totius exercitus in Oranum conscripti Imperator declaratur 113,51
Petrus Arius 138,41
Petro & Paulo ad Romam sacra in meliorem formam redigere cepit Leo X. Pontif. Max. 160,24
Petrus Portocarrerius magister S. Jacobi per vim occupare contendit 168,31
Petrus Gironius, Urennatum comitis maior natu filius, ingenti militum manu in Affidonensem ducatum irruiit 174,44
Petrus Vreca, Caroli apud summi Pontif. legatus simul cum Hieronymo Pico 206,8
Philippus catholicorum regum gener, cui Ioanna uxore, per Gallias in Hispaniam peruenit 41,52
Philippus ad Belgas redit, incredibile sui desiderium Ioanna uxori relinquens 50,29
Philippus II. Hispaniarum rex, quinqueaginta aslicorum ministrorum filius, Compluti in cenobio diuo Iohanni Penitenti sacro alit & sustentat 58,39
Philippus I. edicto sancit, ne quis Hispanus literas, se inficio, in Hispaniam mittat 63,40
Philippus rex curæ Ioanna uxoris in Hispania post Isabelles mortem appellat 65,52
Philippus rex febri corripitur 76,29
Philippo mortis proximo, principes viri in Ximenij domum conueniunt 77,3
Philippi regis mors 78,30
Philippus I. rex, Hispaniarum dilectus & cohortes Ximenias, de summi senatus consilio, instaurauit 183,17
Pimætelis & Zeneretis rixa 74,33
Pintiani tumultus causa 181,18
Pim.

RERVM HISPANIC.

Pintianus tumultus sedatur 183,2
Pintia publicos procuratores instituit Ximenius, qui quoties senatus cogeret, adessent ibid. 5
PLVS VLTRA, quis in Caroli gratiam excogitauerit 169,45
Poeticis & Philosophicis rebus, quin quennio tantis sacris initiatis, in publ. gymnasijs incumbere posse, Ximenius concedebat 161,22
Pompeij Magni erga Possidonium Philosophum humanitas singularis 97,41
Pontifex max. Ximenio per literas imperat, ut Toletanum pontificatum accipiat 13,1
Pontifices summi, qui privilegia & immunitates Complutensium suorum dederunt 41,43
Pontifex max. auxilium a rege Ferdinando aduersus Gallum petit 151,34
Portenta visa, quo tempore de pontificis dignitate fulium secundum, Pontif. max. deicere conabatur nonnulli ex Cardinalibus 152,6
Præde Oranica distributio 127,49
Prodigia, qua expeditionem Oranicam precesserunt 127,1
Professores doctrina præstantes, vndiq. Ximenius, hand cotemendis premijs, in sua academia accersit 91,55
Professores Complutenses missionem a Ximenio flagrant 96,3
Professores artium liberalium, quo tempore creari soleant 100,35
Phella omni custos, quid feretrum Isabella regina ducenibus dixerit 60,14
Patus Cardinalis 206,37
Raueri beneficium per vim occupare conatur Bernardinus Mendozius 85,27
Rektor Complutensis schola 94,28
Rektor primus in academia Complutensi 94,48
Rektor Complutensis, Ximenio ab Oranica expeditione redenti, obuiam procedit 135,8
Reges quam ob causam, bello ingruente, in oppida inimicis consinia secedunt 158,43
Regina Lauretum contendit, ut Ioannam filiam suam ad Philippum sponsam traiecerit, ad naves deducat 211,1
Regij sacerdotes Ximenij decreto, de iungenda adicula regia sacello Rhetoricos professores, & quid eis concefferit Ximenius 93,19,24
Rheumatisms, qui totum ferè orbem terrarum afflixit 212,51
Rhododendros seu rhododaphne 150,53
Ripadei comitis privilegium 230,39
Ripadei comitatus litem Ximenius decidere studet ibid. 36
Rodericus Diasus, Rogius, cum centum leuis armatura equitibus, peditibus verò quadringentis, Merfalcabir mittitur 111,35
Rodericus Moschofos Altamira Comes, in expugnatione Bugia morte occumbit 138,23
Rodericus Ximenius Archiepiscopus Toletanus 148,48.149,11
Romani horrea publica construebant 157,16
Særa anniuersaria pro Ximenio varijs in locis fiunt 49,5
Salmaticensis schola legatos ad Ximenium mittit 107,6
Santa Maria portus, Menesthei olim dicebatur 113,19
Santi Audis, vulgo Sanctoid, delubrum 146,1 & 162,24
Santillus Complutensis, homo dicax & vrbanus 158,32
Scholastici Complutenses, aliquot homines morti damnatos, impetu facto, seruauerunt 95,31
Scholastici adolecentes cum regijs pueris rixantur 98,3
Senatores regii, Ximenio inconsulto, Arzandam regem salutaturi discedunt 239,13
Sierra Vermigia nostra tempestate, Orspeda olim dicta 39,15
Silices quo pacto canonicorum Toletanorum censuram facere tentauerit 57,7
Synodi a Ximenio coacta decreta 24,27
Soalitiium, Deipare virginis conceptioni dicatum, quo tempore Toletii ceperit 49,24
Sol in Oranica expugnatione cursum suum continuit 127,17
Sofa, primus Orani muros occupat 124,53
Specula, qua facis dicitur 108,51
Sueui Hispaniam in sua ditionem redegerunt 70,33
Tamai erga Albornozium heurum suum fidelitas 20,22
Tamaius, mortuo Albornozio, in familiam Ximenij aspicitur ibid. 26
Tarracona, medicina professor 92,52
Taurus Sarabis esse creditur 60,1
Taurica leges quo tempore primum fuerint promulgata 60,52
Templi Toletani reditus, qui cedit curandis fartis lectis 67,54
Testamentum regine quid continebat 61,2
Testamenti regine Isabella exequutores 60,45
Theologis Complutensibus quomodo licentia bonus tribuatur 103,11
Toletanorum Archiepiscoporum quanta olim fuerit dignitas 10,41
Toletanus pontificatus, ex quo tempore hominibus mediocri fortuna committi ceperit 11,35
Toletanum pontificatum multi amiserunt mortuo Mendozio, ibid. 36
Toletum, urbs regia olim appellata 46,40
Toletanum templum, quorum duobus & auspicijs, in eam quam nunc habet formam, adificari ceperit 66,49
Toletana ecclesia, Ximenium Oranicam expeditionem molientem, pecunia iuuat 115,4
Torturum mira magnitudinis, a Malacitanis constat 190,23
Torquemata olim Porta angusta dicebatur 83,32
Tribuni militum in Oranica expeditione 114,9
Trimesem Mauri, ob Oranum captam, in Christianos & Iudeos, quibuscum illis commercia erant, atrociter desecrunt 130,35
Tripolis a Nauarro capitur 139,1
Trimesibus, quas Hispana resp. obtinebat, Ximenius viginti adiuuendis curat 183,20
Trugilium, antiqua turris Iulij esse creditur 165,21
Tumultus, qui gubernante Ximenio, concitati sunt 84,23
Tumultus Hispanorum procerum aduersus Ximenium 175,50
Turbalano rectore, opus marmoreum collegi diu Iulij dephonsi coeptum est 97,22
Turrigij, Tharasia Anriquefia insalutata, Ximenius discedit 150,39
Turris Corina, in qua fabulis proditum est, speculū arte quadam arcana fuisse collocatum 66,4
Valdesi prætoriana cohortis prefecti, factum memorabile 158,53
Valladaro in graduum designatione quid contigerit 104,19
Valleoleu, antiqua Pintia est 66,1
Vallegius quomodo narret similitates inter Carrillum & Ximenium 3,45
Vaticinia & anguria vana 165,37
Vetigal, quod alcabala vocant, quando, & cur institutum 28,29,32
Velasquides Arenalum occupat 191,5

INDEX IN III. TOM.

Veleunt oppidum 219,36
 Veluna Crugniensi aduocatur 220,31
 Venentium Ximenio datum fuisse mul-
 ti afferunt 231,41
 Venetorum natura 108,18
 Vestis pretiosa Ximenio oblata, que
 tribus ducatorum aureorum mil-
 libus estimabatur 15,11
 Viam, que maxima à Compluten-
 sibus appellatur, Ximenius lapi-
 dibus sterni iubet 41,28
 Viam maximam, ad eam quam
 nunc habet pulchritudine Fon-
 seca Archiepiscopus reduxit
 ibid.
 Vianelli in Hispaniam aduenit 32
 Vianelli in Hispaniam aduenit 54,13
 Vianello Villaroellus vulnus infli-
 git 119,52
 Vianellus obruncatur 139,11
 Villafatrurum flammis vastatur 224,40
 Villalua mors 187,39
 Villaroellus Castorle prescitur 70,10
 Villaroellum Mauri equites ado-
 riuntur 175,17
 Villaroello Oranica Alcazaræ cu-
 stodia committitur 133,32
 Villaroellus, ob eadem cuiusdā ci-
 uis Castorlani, ingenue cōditio-
 nis, in ius vocatur 146,29
 Villumbrale oppidum, Valleoleto
 proximū, quo pacto in ditionem
 Toletanorum pontificum vene-
 rit 66,31
 Urbium prefecturas viris prima-
 riis committendas, Ximenius in-
 sistit 208,17
 Vultures hominum stragem diui-
 nant 127,1
X Enodochium dno Bernardi-
 no sacrum, Ximenius Ora-
 ni exedificat 130,5
 Xerexium oppidum, olim Casaris
 Castrum dicebatur 113,19
 Ximeniorum antiquitas & origo 1,1
 Ximeniorum stemmata et insignia
 ibid. 8,12
 Ximenii parentes 2,7
 Ximenius, Gonzalus die Iuliano vo-
 catus est ibid. 12
 Ximenium ex Cisteriorū familia
 originem ducere, sunt qui asse-
 rant ibid. 15
 Ximenius ubi literarum rudimen-
 tis, & postea grauioribus scientijs
 se addixerit ibid. 27
 Ximenius peracto suorum studio-
 rum curriculo Romam contem-
 dit ibid. 46
 Ximenius dum Romam properat
 in latrones incidit ibid. 49

Ximenius Archiepiscopus Toletanus
 Xede ex pontificio diplomate ob-
 tinet 3,4
 Ximenius in odiū & offensionē Al-
 fonsi Carrilli, ob Archiepiscopyte-
 ratum Vzeda incurrens, in vin-
 cula conijciuntur ibid. 12
 Ximiente felicitatis presagium ibid. 21
 Ximenius ad sancti Torquaticus sto-
 diam transferitur, & ibi adē-
 vinculis liberatur ibid. 32
 Ximenius iram Carrilli veritus ab-
 illius ditione concedit, & Segun-
 tiam se confert ibid. 38
 Ximenius, cum Capellania Segun-
 tine ecclesia, quam maximā ap-
 pellant, Ozedanum Archiepiscopi-
 byteratum commutat ibid. 41
 Ximenius auctor fuit Alma Xani
 archidiacono, vt Seguntinam a-
 cademiam conderet 4,1
 Ximenius ad sacrarum literarum,
 & Hebraice lingue studium, se
 conuertit, dum Seguntia cōmo-
 ratur ibid. 21
 Ximenius à civilibus & forensibus
 studiis abhorrebat ibid. 21
 Ximenio vicariam Seguntine dice-
 cesis administrationem delegat
 Episcopus Seguntinus ibid. 26
 Ximenium ditioni suæ prescitur
 comes Cifomanus ibid. 38
 Ximenius otium & quietem desi-
 derabat, vt Deo Opt. max. sepe
 nitus dicere posset ibid. 46
 Ximenius dno Francisci instituit
 se dedicat assumpto etiam Fran-
 cisca nomine 5,9
 Ximenius offensus loci celebritate,
 precibus obtinet, vt è celebri To-
 leti cōnobio in Castaneti oppidi
 solitudinem mutatur ibid. 25
 Ximenius in Salzedæ monasterium
 cōmigrare iubetur, & intra pau-
 cos dies Guardianus ibi creatur
 ibid. 52
 Ximenius literis Gōzali Mendozii
 accitur, & cum Isabella regina
 colloquitur 6,38,40
 Ximenius rogatur vt regine à sa-
 cris sit confessionibus, & qua cō-
 ditione id onus subierit ibid. 47
 Ximenii virtus eduis à Deo mira-
 culis aliquando patefacta est;
 7,14
 Ximenius in ministrū prouinciale
 totius Castella delegitur ibid. 22
 Ximenius Franciscum Ruizum
 sodalem sibi deligit ibid. 53
 Ximenij integritas in obeundo mi-
 nistrū prouincialis munere 8,3
 Ximenius de traiectione in Afri-
 cam cogitat, dum Baticam lu-
 strat ibid. 18
 Ximenius è Batica per literas ab 7-

RERVM HISPANIC.

Ximenius primum conuentum Cō-
 pluti celebrat 24,20
 Ximenius Pontificias literas impe-
 rat, quibus cautum erat, ne in
 sua diocesi aliquis se ab eius foro
 posset eximere, prætextu Ponti-
 ficij diplomatis 27,50
 Ximenij circa exactionem vectiga-
 lis (quod alcabalam vocant) mi-
 ra industria, & in rempub. be-
 neficium 28,54
 Ximenius fratrisuo vxorē dat He-
 lionoram, Joannis Zapate filia
 29,33
 Ximenius synodum sacerdotū Ta-
 labrica congregat, dum reges To-
 leti commorantur 30,16
 Ximenius post synodum Talabrica
 celebratam regum literis accer-
 situr, vt eos in Aragoniam itu-
 ros sequatur, ibid. 41
 Ximenius, dum per Aragoniam iter
 facit, crucē que Toletanus An-
 tistites præcedere solet, se antee-
 dere iubet 31,3
 Ximenius dat operam ne in Casar-
 angusta ingressu honorifice (vt
 moris est) excipiatur, ibid. 14
 Ximenius de Maurorum seditio-
 ne, traditis Esiopi literis, re-
 ges Catholicos admonet 36,17
 Ximenius Ruizum sodalem suum
 ad reges mittit, vt ab illo Grana-
 tensis tumultus culpam dimo-
 ueat, ibid. 54
 Ximenius Granatēsis Archiepiscopi
 consiliū improbat, qui vul-
 gari Maurorum idiomate mul-
 ta ex veteri & nouo instrumen-
 to edi permittebat 37,23
 Ximenius consiliū, vt à cadibus &
 rapinis noni orbis habitatores li-
 beraret 38,33
 Ximenius in granem morbu Gran-
 nata incidit 39,33
 Ximenius Maure cuiusdam mu-
 lieris opera in pristinam valetu-
 dinem restituitur 40,23
 Ximenius quibus artibus tātus vir
 euaserit 45,50
 Ximenij in multas sodalitates & cœ-
 nobia liberalitas 49,2
 Ximenius sacra funebria, in maio-
 rum suorum antiquo domicilio,
 Ciferis instituit 55,9
 Ximenius in sacerdotum ecclesia
 Toletana mores per vicarium
 suum generalem inquirere in-
 sistit, ibid. 34
 Ximenius honorificentissimè à Fer-
 dinando rege excipitur post 7
 bella mortem 60,39
 Ximenij precibus aqua pluuialis e-
 licitur in oppido Villumbrale
 67,12
 Ximenius vt Ferdinandum genero
 reconciliet Compostellam prosti-
 tuitur, ibid. 55
 Ximenius Ferdinandum certiore
 facit, de his que cum Philippo
 egisset 68,48
 Ximenij cum Compostellano Anti-
 stite controuersa 75,6
 Ximenio, mortuo Philippo, regni ha-
 bena traduntur 80,30
 Ximenius Hispania gubernator fa-
 ctus Vianelli opera militum ma-
 num conscribendā curat 81,10
 Ximenius necessariam armorū co-
 piam è Cantabris adduci iubet,
 ibid. 20
 Ximenius Ciferos se confert 84,1
 Ximenius Ferdinandi regis opera
 in amplissimum Cardinaliū se-
 natum cooptatur 86,44
 Ximenius inquisitor generalis cre-
 atur 87,42
 Ximenij mores & natura 107,46
 Ximenius regi Ferdinando, vt Ba-
 giā & Tripolim caperet, & Ca-
 nate aut fuit 108,36

Ximenij ad suos milites oratio 122,
 31
 Ximenius Orano capta, funebria
 sibi iusta quotannis in templo
 maximo persoluenda, instituit
 130,1
 Ximenius Oranica rebus ritè com-
 positis in Hispaniam redit 133,
 46
 Ximenij in academiam Complu-
 tensem ingressus, post Orani di-
 reptionem 135,28
 Ximenij in Iulium II. Pont. max.
 liberalitas 151,45
 Ximenius regnorum gubernationi
 prescitur mortuo Ferdinando
 166,45
 Ximenij in gubernatione sibi com-
 missa auctoritas 167,35
 Ximenius & Adrianus de regno-
 rum gubernatione contendunt
 168,17
 Ximenius, tabulas ab Adriano &
 Laxao signatas rumpi iussit,
 quod nonissimum locum ipsi ad
 subscribendum reliquissent 213,
 22
 Ximenius & senatus literas ad Ca-
 rolum mittunt, Hispanorum ho-
 minum querelis plenas 215,49
 Ximenij mors 242,12
 Ximenij corpus Complutum deser-
 tur, ibid. 49
 Ximenius die Eugenio sacro humā
 dus Complutiū deseritur, quam
 ob causam illi quotannis eodem
 die iusta funebria persoluntur
 243,28
 Ximenij sepulchrum, ibid. 36
 Ximenij mores, facies & totius cor-
 poris lineamenta 244,48
Z Amora, Sētica olim dicta 62,2
 Zegri Maurus Granatēsis,
 Ximenij conat⁹, qui Mauros ad
 fidē Christianā reducere stude-
 bat, maxime retardabat 33,52

Preceptores, in suis quosq; scientijs & artibus insignes, Academie admirabiles
 progressus, cum Archiepiscopis Toletanis contentiones, in octauo libro require.

F I N I S.

